BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
F
83
NAPOLI

XLII
F
83

HORATIANA

PROSOPOGRAPHEIA.

SCRIPSIT

I. G. F. ESTRÉ.

10

AMSTELODAMI,
APUD FREDERICUM MULLER.
MDCCCXLVI.

VIRO. CLARISSIMO

P. HOFMANNO. PEERLKAMP.

PRAECEPTORI. DILECTIS

SIMO. EGREGIE. DE. SE

MERITO. HUNC. LIBRUM. DE

PERSONIS. HORATIANIS

I. G. F. ESTRÉ

D. D.

PRAEFATIO.

Septem fere sunt anni, quum consilium cepi Horatianam Prosopagrapheiam conscribendi, neque per omne illud tempus unum fere diem intermisi, quin eo maiorem partem conferrem otii, quod mihi privata iuventutis institutio relinqueret. Ac ne quis miretur, me tam longum temporis spatium huic operi impendisse, de via et ratione, quibus argumentum tractavi, pauca referam. Nam praeter lectionem quotidiandm Horatii, omnes eius Commentatores, qui quidem in aliquo numero habentur, inspiciendi, conferendi, excerpendi fuerunt. Commentatores autem, veteres inprimis, si Lambinum, Torrentium et Bentleium excipias, sed multi quoque recentiores, valde negligenter annotationes conscripserunt, locos veterum scriptorum, quibus Horatii Carmina illustrarent, mendose describentes, sub alienis Librorum Capitumque numeris afferentes, vel prorsus de suo effictos iis tribuentes. Cum vero omnis fere interpretatio ex veterum scriptis auctoritatem habeat, ita saepe vel speciosissima explicatio loci Horatiani, quum auctoritate esset destituta, prorsus erat improbanda. Hinc ad mea me adversaria scribenda con-

tuli, inque ea, legens poëtas, philosophos, historicos, quotquot coniuncti essent cum argumento proposito, omnia conieci, quae ad Horatium illustrandum pertinerent. Ita factum est, ut semel iterumque mihi contigerit, invenire locum, ad interpretandum poëtam peridoneum, quem tamen apud nullum Interpretem videram. Religio autem mihi fuit, ullum citare testimonium, sive veterum scriptorum, sive recentiorum, quod haud ipse inspexeram. Magnus sane labor, haud tamen inutilis, iucundus etiam, siquidem ad interiorem Horatii intelligentiam ducebat. Horatii autem studium, quod me adolescentulum, vel puerum adeo, iam ceperat, omnem mihi molestiam demsit. Semper enim, ex quo primum legere coepi, Horatium magno amore complexus fui. Summam viri pietatem in patrem, fidem erga amicos, amorem in patriam, mediocritatis studium, facultatem poëticam, hominum intimam cognitionem semper miratus sum et adhuc miror. Itaque iam tenera aetate indignabar et indignor quoque hodie, si quis de viri praestantissimi moribus, ingenio, fide detrahere conaretur, et parum abfuit, quin interdum suspicarer, fictis illos criminibus, ut nomen sibi facerent, non ex vera persuasione, Horatium esse aggressos. Quum autem, quibus modis dixi, ad probabilem personarum Horatianarum notitiam mihi pervenisse viderer, hoc consilium in scribendo unice tenui, ut sequerer et illustrarem ipsius Horatii verba, ubi de personis mentionem facit, tum ea adderem, quae aliunde depromseram, neque inutilia videbantur ad accuratiorem earum notitiam. Erunt fortasse, qui mirentur, me neque fusius Horatii iudicium de iis, qui ab eo commemorantur, exposuisse, neque meum ipsius de iis declarasse. Consulto ita a me factum fuisse profiteor, quamvis haud nesciam, fore, qui

hoc inprimis a Prosopographo exspectent. Horatii enim iudicia mihi semper tam clare expressa, tam facilia intellectu visa fuerunt, ut interpretatione vix egerent. Et ita quoque a Suetonio iudicatum fuit. Interdum tamen factum est, ut ea alii aliter acceperint Interpretes. Id semper monui, meamque ipsius sententiam adieci. Inprimis ita accidit, ubi plus ex Horatio colligere voluerunt, quam ipse significaverat, ubi totum hominem, quem induxit poëta, ex uno vitio, unave virtute, veluti leonem ex ungue, depinxerunt. Mirum, ni Lycoridis capillos ex tenui fronte, qua erat insignis, Chloës oculos ex coma flava sint descripturi. Hinc una eademque persona aliis tristis, morosa, severa, aliis contra visa fuit; ab aliis, doctis viris, vehementer accusata, ab aliis, nec iis indoctis, omni crimine liberata. Ita facere prorsus supervacuum iudicavi. Multas longàsque legi disputationes eorum, qui sibi placuerunt in depingendo personas Horatianas, quasi praesentes intuerentur praesentes, easque intus et in cute, ut aiunt, cognovissent, quam vero earundem ingenia, indolem, mores diiudicaturus essem, coniecturus, ubi nulla veterum auctoritas suppeteret, quae, qualesve fuissent, ingenue fateor, me nihil omnino ex iis profecisse. Aut enim, post lectam eiusmodi disputationem, eadem mihi, atque antea, persona videbatur, aut, ubi Horatius eam non satis distincte depinxerat, ipse quidem mihi imaginem eius informaveram, sed erat ea diversa ab imagine, quam alter sibi informaverat. Idem aliis, idem meo modo tentantibus, eventurum esse puto. Ego contra ita edoctus fui, verumque esse arbitror, unum veteris auctoris locum, opportune allatum, unam bonam emendationem saepe plus conferre ad intelligentiam cuiusvis, quem tractes, difficilioris loci, quam

longissimam disputationem, quae magnam habeat doctrinae speciem et variae lectionis ostentationem. — Hanc meam sententiam, hoc consilium ut teneat benevolus Lector, in evolvendo iudicandoque opusculo meo, etiam atque etiam rogo. Hoc praesertim deprecor, ne quis existat, operis, quale suscepi, inexpertus, ac propterea iudex iniquus. Haud inexpertos scio multum mihi esse condonaturos. — Scripsi Amstelodami, Kal. Iul. a. MDCCCXLVI.

INTROITUS.

Prosopographi Horatiani.

Sunt duo Porphyrionis scholia, alterum ad Horatii Libr. I. Sat. 3. v. 21.: « *Maenius absentem Novium cum carperet:*) *Qui de personis Horatianis scripserunt, aiunt Maenium scurrilitate notissimum Romae* [*fuisse*]. *Hic post patrimonium abrosum Calendis Januariis in Capitolio clara voce optavit, ut quadraginta nummorum aeris alieni haberet. Quaerente quodam quid sibi vellet, quod tam sollenni die aes alienum optaret habere, Noli mirari, inquit, octingenta habere debeo. Hic fertur, domo sua, quam ad forum spectantem habuerat, divendita, unam columnam sibi ibi excepisse unde gladiatores spectaret, quae ex eo columna Maenia nominabatur cuius et Lucilius sic meminit: Maenius columnam cum peteret,* » alterum ad eiusdem Satirae vs. 91: « *catillum Evandri manibus tritum:*) *Qui de personis Horatianis scripserunt aiunt Evandrum hunc caelatorem et plasten statuarum, quem M. Antonium*

ab Athenis Alexandriam transtulisse, inde inter captivos Romam perductum multa opera mirabilia fecisse. » De scholiis suo loco videbimus, nunc unum hoc ex illis observamus, iam antiquitus fuisse qui operam dederint personis Horatianis illustrandis. Scholion autem posterius Porphyrionis fere ad verbum convenit cum scholio Helenii Acronis, qui alter est Horatii scholiastes hodie etiam superstes: « *Evandrum ferunt caelatorem ac plasten Atheniensem a M. Antonio Alexandream perductum et inde inter captivos Romam venisse, ibique multa admiratione digna fecisse,* » unde haud iniuria colligamus Acronem fuisse inter eos quos intelligit Porphyrion locis laudatis. Nam, etiamsi ad locum priorem Acronis scholion breviorem de Maenio narrationem contineat quam Porphyrionis, sic enim se habet: « *Maenius cum de Novio male loqueretur, ait illi alter: Dic mihi tu, nescis te? Hic est Maenius qui venditis rebus omnibus unam sibi columnam reservavit in Foro unde gladiatores spectaret, quae columna Maenia dicebatur,* » illnm tamen Acronis narrationem de Evandro, non vero Acronem illius descripsisse constat, propterea quod bis Porphyrion profiteatur se Acronis scriptis usum fuisse, ad Libr. I. Sat. 8. v. 25.: « *Memini me legere apud Helenium Acronem, Saganam fuisse nomine libertam Pomponii Senatoris, qui a triumviris est praescriptus,* » et ad Libr. II. Sat. 3. v. 83.: « *Anticyram:) Et oppidum et insula hoc nomine, sicut Helenius testatur, in qua elleborum plurimum nascitur.* » Acronis autem de Maenio scholion a librario aut in brevius redactum, aut negligentius descriptum fuisse, non est quod miremur.

Fuit igitur Helenius Acron auctor Prosopographeiae

Horatianae, qua utinam integra nobis uti liceret. Quae vero hodie ex ea supersunt tam lacera sunt, tam mutila, tam interpolata ut vix ullo in loco priscam et genuinam Acronis manum agnoscere liceat. Eadem omnia valent de scholiis Porphyrionis, quae partim ex illa Prosopographeia petita fuisse iam vidimus. Est praeterea tertius, qui vulgo fertur, Scholiastes Horatianus, sub nomine Commentatoris Cruquiani. Is vero Scholiastes non est. Scholia, quae sub eius nomine landari solent, descripsit Iacobus Cruquius Gandavi e compluribus Codicibns, inter quos excellebant qnatuor summae vetustatis, ex Monasterio PP. Benedictinorum S. Petri, quos Blandinios vocavit a nomine collis cui illud Monasterium impositum erat. Perierunt in εἰκονοκλαστῶν seditione, ut narrat ipse Crnquius ad Libr. I. Sat. 1. v. 1., A. MDLXVI. Scholia cum auctorum nomina addita non haberent, ea omnia commentatori, ut vocabat, suo Cruqnins adscripsit. Conspirant fere cum Acronis et Porphyrionis scholiis. Ita, ut hoc exemplo utar, de Evandro eadem habet Commentator ille, quae Acron, de Maenio eadem fere quae Porphyrion, nisi quod pro: *octingenta habere debeo*, probabiliorem lectionem exhibeat: *octoginta cet.* Ad ipsos autem Scholiastas qnod attinet, qni fuerint, quando vixerint, prorsus ignoramns. Interpretes quae de iis tradiderunt, ea fere hausta fuerunt e praefatione Georgii Fabricii, Chemnicensis, praefixa ipsius Horatii editioni, quae Basileae prodiit A. MDLV. Solum Ianium excipio et Snringarum, hunc in *Historia critica Scholiastarum Latinorum*, *Vol. III.*, illum in prolegomenis snae Horatii editionis fuse docteqne de iis disputantes. Neque

audiendus est Mitscherlichius [1], ubi dicit Ianium, quaecunque habeat de vetustis illis interpretibus, Fabricio debere; debuit ipse Mitscherlichius prolegomena sua, vix quinta parte excepta, Ianio, quem ad verbum descripsit [2]. Fabricii autem verba haec sunt: « Interpretes Horatiani ex vetustissimis fuerunt quinque, C. Aemilius, Iulius Modestus, Terentius Scaurus, Helenius Acron, Porphyrion. De Aemilio et Modesto accepimus e fragmento codicis veteris vitam Horatii continente quod editioni suae praeposuerunt Basilienses [3]. Caium Aemilium optime omnium commentatum in eodem fragmento legitur: et Iulium Modestum artis scriptorem fuisse disertissimum dicit Charisius[4]. Scauri autem decimum in A. P. librum idem[5]

---

[1] In Praef. p. XVII.

[2] Inter eos qui Ianio sua reddidere, neque, uti fere fit, Mitscherlichium ubique pro eo laudant, inprimis est Richterus in Horatii Vita, Zwickav., 1830.

[3] In Edit. Basil. secunda, a. 1527. — Vitam prorsus similem descripsit Cruquius e vetusto Cod. Bland. Excepto quod in fine apud Basilienses legitur: « *Commentati sunt in illum Porphyrium, Modestus, Helenius Acron; optime omnium C. Aemilius*, » apud Cruquium vero: « *Comm. s. in i. P., M., H. A.; optime omnium Acron*, » nulla C. Aemilii facta mentione. Eadem vita, uti legitur apud Cruquium, saepius in editionibus posterioribus repetita est. Modestus inter interpretes Horatianos recensetur etiam in Horatii Vita a Vanderburgio e Codice *V*, (Vatic. n°. 3260,) descripta. Vid. Edit. Horat. Vanderb. V. I. p. xivilj.

[4] Incertum est diversusne fuit necne a Inlio Modesto grammatico, Hygini liberto, quem commemorat Sueton. de illustr. Gramm. c. 20.

[5] Charisius bis laudat « librum decimum Terentii Scauri in Artem Poëticam, » Instit. Gramm. p. 182. et 188. Putschii. Erat Scaurus Grammaticus nobilissimus, vixit Hadriani temporibus. Vid. Gellius Libr. XI. c. 15.

adducit. Helenium Acronem bis citat Porphyrion[1], Porphyrionem Priscianus. — Praeterea de personis Horatianis aliqui ex antiquis scripserunt, quorum bis mentionem facit ad Sat. I. 3. Porphyrion[2], intelligens videlicet eos qui ex professo fabularum et historiarum obscuritatem sunt interpretati. — Sed et horum interpretum et trium, quos nominavi, priorum, Aemilii, Modesti, Scauri scripta penitus interierunt, nisi aliquae (ut ego suspicor) annotatiunculae sint commentariis Helenianis admixtae[3]. Nam in unum locum saepissime binae, interdum tres pluresve expositiones leguntur neque semper unius generis: similiter de una eademque historia diversae proferuntur sententiae. — Omne autem reliquum quod est, id Helenio et Porphyrioni asscriptum fuit. Verum utriusque libri adhuc sunt mutili; desideratur enim Narratio Porphyrionis de vita Horatii, cuius ipse mentionem

---

[1] Vid. supra. Ad Libr. I. Sat. 8. v. 25. et Libr. II. Sat. 3. v. 83.

[2] Vid. supra. Ad vs. 21. et 91.

[3] Quid ergo Fabricius titulos exhibuit Carminum, Epodon et Sermonum: « cum antiquissimorum gramm. Helenii Acronis et Porphyrionis comm., admixtis interdum C. Aemilii et Iulii Modesti scholiis, » Epistolarum: « cum ant. gramm. Helenii Acronis et Porphyrionis commentariis, » et Artis Poëticae: « cum ant. gramm. Helenii Acronis et Porphyrionis comm. admixtis interdum Terentii Scauri scholiis; »? quid Ianius apud Fabricium, ut testatur, legere potuit fragmenta pauca C. Aemilii, Iulii Modesti et Terentii Scauri? At Scauri scholion legitur apud Schol. Cruq. ad Libr. II. Sat. 5. v. 92.: « *Stes capite obstipo:*) *Fixo, immobili, tristi, vel, ut Scaurus dicit, inclinato in alterum humerum*, » ubi Acron simpliciter: « *Inclinato*, » Porphyrion: « *Tristi ac severo. Secus inclinato dicit*, » exhibent. Pro *secus* apud Porphyrionem, legendum esse apparet *Scaurus*.

facit ad Serm. I. 6.[1], desiderantur graeca epigrammata quae ab eodem commentatore aliquoties adducuntur[2] et plurima fortasse alia. » Haec Fabricius. Acronem Porphyrione, utrumque Charisio priorem aetate fuisse videmus. Charisius autem Prisciano antiquior. Scholion igitur Acronis ad Libr. II. Epist. 1. v. 228. *Arcessas :*) *Secundum Priscianum arcesso venit ab arceo, quod nunc dicimus adcio, — quia antiqui dicebant ar pro ad,* » (legitur quoque apud Schol. Cruq. qui pro *arceo*, habet *arcio*,) aliunde illius commentariis adhaesit et iure inde exturbatum est a Doct. Heusdio[3].Quo vero tempore vixerint, de utroque Scholiasta incertum est. Collegit Ianius scholia nonnulla[4], quae antiquissimam produnt aetatem. Iis alia addi possunt[5], sunt vero etiam quae recentiorem aetatem prodant[6]. Libros multos legerant, quos hodie de-

---

[1] Vs. 41 : « *Patre libertino natum esse Horatium, et in narratione quam de vita ipsius habui, ostendi.* »

[2] Fabricius respicere videtur Porphyrionis scholion de Bitho et Bacchio ad Libr. I. Sat. 7. v. 20.: « *Bithus et Bachius gladiatores optimi illis temporibus fuerunt qui* [*cum*] *multos interemissent, commissi inter se mutuis vulneribus conciderunt. Et cum eodem tempore mulier, quae septem extulerat, nuberet ei, qui uxores septem amiserat, compertum est epigramma,* » quod sic desinit, epigrammate non addito.

[3] J. A. C. van Heusde, Studia Critica in C. Lucilium, p. 154.

[4] Porphyrionis ad Libr. I. Carm. 36. v. 1. et 12., Carm. 37. v. 2., Libr. III. Carm. 8. v. 1., Carm. 11. v. 6., Libr. I. Sat. 3. v. 7. et 11, Acronis ad Libr. I. Sat. 3. v. 11.

[5] Acronis ad Libr. IV. Carm. 6. v. 1., Porphyrionis ad Libr. I. Epist. 1. v. 54.

[6] Acronis ad Libr. I. Carm. 37. v. 2., Porphyrionis ad Libr. I. Carm. 21. v. 14.

sideramus. Auctores ab iis citatos enumerant G. Fabricius [1] in: *Auctorum qui ab Horatianis interpretibus adducuntur Catalogo*, et I. A. Fabricius [2] in: *Indice Scriptorum in commentariis veteribus ad Horatium citatorum*; ita tamen ut ille ad Acronem modo et Porphyrionem, hic ad Schol. Cruq. respexerit. Acronis autem Prosopographeia fueritne opus diversum a commentario perpetuo, quo Horatium instruxit, an vero pars commentarii ipsius, nusquam apparet. Haud diversum fuisse colligendum esse videtur e scholio Porphyrionis ad Libr. I. Sat. 3. v. 91., collato cum Acronis ad eundem locum, de quibus supra iam egimus. Videtur ergo ad singulos Horatii locos, ubi mentio fit de personis, ea annotasse Acron, quae ad locum illustrandum valerent. Jactura operis illius nullo modo plane resarciri potest. Potest tamen ex parte, collectis, tum Scholiastarum quae supersunt, tum veterum scriptorum locis, in quibus de personis Horatianis est sermo. Illis colligendis ac recensendis operam pro viribus dedimus, adhibitis recentiorum etiam Interpretum commentariis. Itaque Prosopographeiae Horatianae conscribendae periculum facturi, ad exemplum Acronis, de quacunque persona ea referemus, quae locum, ubi commemoretur, illustrare possint; ita tamen ut in unum colligamus quae per omnia Horatii opera ad easdem personas pertineant.

Personas in certas classes describemus, Horatium ipsum ea in re ducem secuturi. Ita Gracchum, quem ab eloquentia celebrat, oratoribus, Torquatum, eun-

---

[1] In Edit. Henricopetr. a. 1555.

[2] Bibl. Lat. V. II. p. 310.

dem oratorem, cuius vero secnm amicitiam inprimis depingit, familiaribus adscribemus. Initio facto ab iis qui ingenio censentur: Pcëtis, Philosophis, Oratoribus et Iureconsultis, Rhetoribus, Criticis, Medicis; post de iis agemns qui rebus gestis in Repnblica inclaruerunt; tum de Artificibus qui operibus suis; hinc pergemus ad Familiares, inde ad Amores Horatii; in finem relegabimus primum viros humilis conditionis: gladiatores, mimos, histriones, deinde infames: avaros et prodigos, fures et delatores, heredipetas, gulosos, id genus reliquos.

Verbo addendum est nos contextum Bentleianum exhibituros esse, unde si recedamus id disertis verbis annotabimns. Scholia descripsimus: Acronis et Porphyrionis, ex praestantissima illa et rarissima Horatii editione Henricopetrina, a. 1555., Commentatoris Cruquiani ex editione Plantiniana, Lugd. Bat. a. 1597., quae, teste Vanderburgio, in Praef. p. xxxiij, ad verbum conspirat cum Cruquiana a. 1611., classica, (incertum qua de causa,) a bibliographis dicta. Virgilii, Persii, aliorum scholia e quibus editionibus petita fuerint suo loco annotabimus. Aeram sequemur Varronianam. Annos aetatis Horatii dabimus secnndum Ianium in: *Horatii vita per annos digesta*, eius editioni praefixa, male enim eos computavit Bentleius in praefatione sua, uti postea videbimus.

CAPUT PRIMUM.

POETAE.

PARS PRIOR.

Poetae Graeci.

§ 1.

In personis Horatianis recensendis rite ordiendum est a poëtis, in poëtis vero initium faciendum ab HOMERO, totius antiquitatis consensu sedes priores occupanti. Neque Horatius ab hoc iudicio dissensit. Homerus est illi magnus [1], insignis [2], principium tenet inter omnes [3]; Ennius, quod a criticis alter dicatur Homerus [4] ferre nequit Horatius.

> Res gestae regumque ducumque, et tristia bella
> Quo scribi possent numero, monstravit Homerus [5].

Nec tantum laudatur propter hanc poëticam facultatem, idem ille est, uti Horatius ad Lollium scribit:

---

[1] Libr. I. Sat. 10. v. 52.

[2] Art. Poët. v. 401.

[3] Libr. IV. Carm. 9 v. 5. sq.

[4] Libr. II. Epist. 1. v. 50.

[5] Art. Poët. v. 73. sq. Locum expressit Terentianus Maurus v. 1646. sqq.

Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit[1].

Quem locum si conferamus cum vs. 6. sqq. et 17. sqq., Horatium haud alienum fuisse apparet ab illa, Stoïcorum inprimis, sententia, doctrinam egregiam latere sub Homeri fabulis; vitae praecepta peti posse ex iis certe ostendit. Apparet praeterea ex vs. 6. collata cum vs. 18. eiusdem Epistolae et cum vs. 140. sq. ex Epistola ad Pisones:

Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
Dic mihi, Musa, virum, cet.,

Horatium non dubitasse, uti antiquitus iam factum fuisse legimus, eiusdemne auctoris essent Ilias et Odyssea, necne[2]. Utrumque enim opus, aequis laudibus commendatum, aeque in exemplum propositum, utroque loco, Homero adscribit. Dispositionem inprimis carminum Homeri laudibus effert; Homerus, vs. 148. sqq.:

Semper ad eventum festinat; et in medias res
Non secus ac notas, auditorem rapit: et quae
Desperat tractata nitescere posse relinquit:
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Parum suspicabatur Horatius hanc admirabilem dispositionem fore qui Homero abiudicarent, aliis omnibus tribuerent; quive propter hanc ipsam politam et concinnam διασκευήν, Homero sua ipsius opera erepturi essent[3].

---

[1] Libr. I. Epist. 2. v. 3. sq.

[2] Seneca de Brevit. Vitae c. 13. § 2.; cf. Wolfius Proleg. ad Homerum p. CLVIII., Welckerus *der Epische Cyclus* p. 135.

[3] Wolfius Proleg. ad Homerum p. CXXVI. cl. CXXIX.

Insignis Homerus
Tyrtaeusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit[1].

« Quid? Horatius frustra Tyrtaeum Homero subiungit, » rogat Quintilianus[2]. Suo enim iure locum illum excelsum occupat Tyrtaeus, cuius carminibus Spartani tanto ardore incensi fuerunt ut Messenios, a quibus diu multumque vexati fuerant, funditus profligaverint[3]. Notior historia est quam ut diutius in ea commoremur[4].

Grata autem Homeri dotibus accedit summa simplicitas in argumento declarando, quam ut clarius illustret Horatius, in Epistola ad Pisones[5] Homero opponit Cyclicum quendam poëtam:

Nec sic incipies ut scriptor Cyclicus[6] olim:
Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes: nascetur ridiculus mus.

Cyclus Epicus quid fuerit, scriptores Cyclici qui fuerint diu ab interpretibus ignoratum est. Fru-

---

[1] Art. Poël. v. 401. sqq.

[2] Instit. Orat. Libr. X. c. I. § 56. Cf. Plutarchus in Vita Cleom. c 2.

[3] Plato de Legibus Libr. I. p. 629. sq., Strabo Libr. VIII. p. 362. Edit. Casaub. 1620. Justinus Libr. III. c. 5., Pausanias Libr. IV. c. 15 et 16. p. 316. sq., c. 18. p. 323. Edit. Kuhn., Suidas in voce.

[4] In scholio Aeronis dicitur Tyrtaeus Heroïcis carminibus Laecdaemonlis animum addidisse. Fragmenta vero, quae habemus, ea fere Elegiaci generis sunt. Cf. Pausanias et Suidas ll. ll. Addit Acron tubam a Tyrtaeo inventam fuisse.

[5] Vs. 136. sqq.

[6] Bentleius praefert: *Cyclius*. Idem probat Welehertus Poël. Lat. Rel. p. 322. Vulgatum: *Cyclicum*, defendit Welckerus *der Epische Cyclus*, *p.* 117., observans *cyclios* voeari choros, *Cyclicos* contra scriptores.

stra data opera inquisiverat Wuellnerus[1], frustra Muellerus[2], pervicit tandem Welckeri[3] sagacitas. Et tamen institissent modo vestigiis Casauboni[4], Heinsii[5], Salmasii[6], mox verum vidissent. Scilicet Cyclum Epicum fuisse corpus poëmatum Homeri aliorumque Epicorum antiquissimorum, ita redactum ut unum efficeretur perpetuumque carmen, cuius praecipuum argumentum erat Bellum Thebaïcum et Troiannm[7]. Post ab aliis etiam poëtis recentioribus eiusmodi cycli, i. e. poëmata eiusdem argumenti atque vetus ille cyclus, conditi fuerunt. Inter illos poëtas Cyclici isti fuerunt qui cum contemtu dicuntur a Callimacho[8], Horatio[9], et Polliano[10], minime veteris illius Cycli scriptores vituperantibus. Iam quaeritur qui fuerit scriptor iste Cyclicus apud Horatium. Scholiastae, Acron, Porphyrion et Cruquianus intelligunt Antimachum, auctorem Thebaïdis magno pretio apud multos habitum. Erat Colophonius, vixit tempore Artaxerxis Mnemonis[11]. Inter Epicos relatus est ab Alexandrinis. Atqui

---

[1] De Cyclo Epico. Monachi, 1825.

[2] De Cyclo Graecorum Epico et Poëtis Cyclicis. Lipsiae, 1829.

[3] *Der Epische Cyclus. Bonn*, 1835.

[4] In Animadvers. ad Athenaei Libr. VII. c. 3. p. 478. sqq.

[5] Ad Horatii Libr. I. Carm. 7. v. 7. In Animadvers. p. 12. Ed. 1629.

[6] Plinian. Exercit. p. 594. sqq.

[7] Cf. Lucretius Libr. V. 327. sq., Horatius Art. Poët. v. 146. sq., Propertius Libr. II. El. 1. v. 21. sq., Ovidius Trist. Libr. II v. 317. sqq.

[8] Epig. I. ap. Brunck. Anal. T. I. p. 461.

[9] Art. Poët. v. 136. sqq.

[10] Epig. I. ap. Brunck. Anal. T. II. p. 439.

[11] Diodorus Siculus Libr. XIII. c. 108.

versus, quem Horatius improbat, Thebaïdis initium esse non potest, uti iam a Lambino observatum est. Rectius ad Thebaïdem iidem scholiastae referunt eiusdem Epistolae vs. 146 :

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,

probante Welckero[1], ita ut ab interitu Meleagri, illam partem poëmatis sui exorsus fuerit Antimachus, quae reditum, *νόστον*, Diomedis contineret. Nam totius carminis raptum Europae initium fuisse, ex Statii Thebaïde, ad Antimachi imitationem composita, satis constat. Antimachus autem, teste Porphyrione[2], volumina viginti quatuor implevit antequam septem duces suos ad Thebas usque perduxerat[3]. Perperam quoque apud Horatium intelligunt Casaubonus et Salmasius, ille unum ex veteribus Cyclicis in universum[4], hic Leschen, Iliadis parvae auctorem, cuius etiam initium finxit ex ipso Horatii versu[5] :

Ἀείσω Πριάμοιο τύχην πόλεμόν τε κλεεννόν,

nullo argumento statuens hanc parvam Iliadem, *μικρὰν* Ἰλιάδα, diversum opus esse atque Ἰλιάδα *τὴν ἐλάσσω*[6], cuius initium hodie etiam notum est ex *Vita Homeri*, olim Herodoto tributa[7]. Scripto-

---

[1] *Der Epische Cyclus p.* 102.

[2] Ad Art. Poët. v. 146.

[3] Vid. Cicero in Bruto c. 51., cf. tamen Welckerus l. l. p. 105. sq., vid. etiam Catulli Carm. XCIV.

[4] In Animadvers. ad Athenaeum l. l.

[5] Plinian. Exercit. p. 601., cf. Heynius in Excursu I. ad Aeneid. Libr. II.

[6] L. l. p. 506.

[7] In Cap. 16.

rem Ἰλιάδος τῆς ἐλάσσονος, quam eandem statuebat atque Carmina Cypria, ab Horatio notari putabat vs. 147 [1]:

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo,

carmina enim Cypria ea comprehendebant, quae erant Iliadi anteriora, erant autem tam prolixa, ut liber demum undecimus iudicium Paridis videtur continuisse [2]. Welckerus vero hunc versum ad eundem Cyclicum scriptorem refert qui notatur vs. 136 [3]. Jos. Scaliger Horatii Cyclicum poëtam Stasinum intelligit, Iliadis parvae auctorem [4]. Ipse Welckerus [5] cogitat de Aristeo, poëta ignobili, cuius opera Pisandri, Camiro oriundi, carminibus supposita fuisse auctor est Suidas [6]. Alii alium intellexerunt, quos recensuerunt Weichertus [7] et Welckerus [8]. Non praetereunda vero singularis Heinsii sententia, qui intelligit Maevium illum *olentem*, quem petit Horatius Epod. X. et Virgilius Ecl. III. v. 90.:

Qui Bavium non odit amet tua carmina, Maevi,

quam opinationem, etsi cum Weicherto [9] vanissimam iudicamus, de poëta tamen aequali, id quod suspi-

---

[1] L. l. p. 599.

[2] Athenaeus Libr. XV. c. 8. p 682.

[3] L. l. p. 113.

[4] Ad Catulli Carmen XCVI. (al. XCIV. s. XCV.) vs. ult.

[5] L. l. p. 99.

[6] In voce Πείσανδρος Καμειραῖος, cf. Macrobius Saturn. Libr. V. c. 2.

[7] Poët. Lat. Rel. p. 322. sq.

[8] L. l. p. 421. sqq.

[9] L. l. p. 322.

catus etiam est Cl. Reenenius [1], cogitandum esse censemus. Non ab antiquo Graeco poëta exempla petitnrus erat Horatius qnae reprehenderet. Docet Romanos in hac Epistola quomodo Pisones et Romani facere possint bonum carmen Epicum, bonum Dramaticum. Exempla ostendit bona, quae sequantur, mala, quae fugiant. Bona sunt Graecorum, mala Latinorum. Neque obstat, quod metuebat Weichertus, vox *olim*, nisi quis omnia apud Horatium ita ad verbum exigere velit ut illum pntet v. c. in Libr. I. Sat. 1. v. 64. sqq.:

> quidam memoratur Athenis
> Sordidus ac dives, populi contemnere voces
> Sic solitus: Populus me sibilat; at mihi plaudo
> Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca,

ut putet, inquam, Horatium re vera lectorem, quo eiusmodi miserum [2] offenderet, ad priscum Atheniensem ablegasse. Vocem *quondam* etiam in Libr. I. Sat. 2. v. 55. nsurpat Horatius, ubi de Origine, mima, sermo est, quae tamen Horatii aequalis fuit [3]. Denique historiam quam refert Libr. II. Sat. 3. v. 60.: « Quum Fufius ebrius *olim* cet. » ad illud ipsum tempus quo

---

[1] Dispntat. de Horatii Epist. ad Pisones ad vs. 136.

[2] Illum Aeron, Porphyrion et Schol. Cruq. Timonem illum Atheniensem faciunt. Atqui longe diversum eius ingeniam nobis exhibet Lucianus in Timone. In margine Cod. Bland. annotatum invenerat Cruquius: « *hic quidam notatur Fabius.* » Torrentius cogitabat de Cn. Lentulo Augure. Obstant temporum rationes, vid Wielandus ad Horatii l. l. De Lentulo illo Seneca de Benef. Libr. II. c. 27., Suetonius in Vita Tiberii c. 49. Diversus est a Cn. Lentulo de quo Tacitus Annal. Libr. IV. c. 44. vid. Lipsius ad Taciti l. l.

[3] Servius ad Virgilii Ecl. X. v. 2., Schol. Cruq. ad Horatii Libr. I. Sat. 10. v. 77.

Satira illa scripta est, referre praestat. Voces *olim*, *quondam*, *nuper* universe significant tempus praeteritum, modo diu, modo brevi, ut sententia loci postulat. Sed iam ad Homerum redeamus. Scribit Horatius ad Maecenatem [1]:

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.

Exstant quidem vini laudes apud Homerum, in Iliade Libr. VI. v. 261.:

ἀνδρὶ δὲ κεκμηῶτι μένος μέγα οἶνος ἀέξει,

in Odyssea, ex persona Ulixis, cum exceptione tamen, Libr. XIV. v. 463. sqq.:

οἶνος γὰρ ἀνώγει
ἠλεὸς, ὅστ' ἐφέηκε πολύφρονά περ μάλ' ἀείσαι,
καὶ θ' ἁπαλὸν γελάσαι, καὶ τ' ὀρχήσασθαι ἀνῆκεν,
καί τι ἔπος προέηκεν, ὅπερ τ' ἄρρητον ἄμεινον,

tum praeterea aliis in locis [2], at illae satis tenues, haud eiusmodi propter quas Homerus iure vinosus vocaretur. Locum autem Horatianum ita interpretandum esse arbitror ut Cratinus, cuius mentio antecessit in initio eiusdem Epistolae:

Prisco si credis, Maecenas docte, Cratino:
Nulla placere diu nec vivere carmina possunt,
Quae scribuntur aquae potoribus,

ut hic vinolentiam suam excusaverit, vel serio vel ioco, exemplo Homeri. Homerus vinum laudavit, ergo amavit. Ita iudicari posse observat Ovidius [3]:

[1] Libr. I. Epist. 19. v. 6.

[2] Iliad. Libr. IV. v. 364., Libr. VI. v. 264., Odyss. Libr. II. v. 341. et 349.

[3] Trist. Libr. II. v. 359. sq.

Accius esset atrox, conviva Terentius esset;
Essent pugnaces, qui fera bella canunt.

Cratinum autem ita fecisse apparet ex Acrone: « *Trahens occasionem ipse Cratinus ex Homero et Ennio, in quorum libris laus invenitur vini,* » lege: « *Trah. occ. Crat. ex Homero, ipse (Horatius) ex Ennio.* » Ita Schol. Cruq.: « *Trahens occasionem ipse Cratinus ex Homero, in cuius libro laus invenitur vini.* » Cratinus docuit bonum carmen scribi non posse nisi a bene poto; ipsum Homerum fuisse vinosum, nam valde vinum laudat. Et vero ipse Ennius, addit Horatius, carmina faciebat madidus. — Gravior autem difficultas est in loco sequenti [1]:

Sic mihi qui multum cessat, fit Choerilus ille,
Quem bis terve bonum, cum risu miror; et idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.

Quaerimus enim ubinam bonus ille Homerus adeo displicuerit Horatio. Facile induceremur ut eadem illi minus probata fuisse censeremur, quae postea Longino [2], elegantissimo censori: Cyclopis fabulam, narrationes de ventis utero inclusis, de Circes suibus, « *τί γὰρ ἂν ἄλλο φήσαιμεν ταῦτα,* » inquit Longinus, « *ἢ τῷ ὄντι τοῦ Διὸς ἐνύπνια;* » nisi ipse Horatius in Homero commendasset [3]:

Antiphaten, Scyllamque, et cum Cyclope Charybdin,

et Circes etiam fabulam, tamquam utile exemplum proposuisset [4]. Restat igitur uti hic illic versum

[1] Art. Poët. v. 357. sqq.
[2] De Sublim. c. 9.
[3] Art. Poët. v. 145.
[4] Libr. I. Epist. 2. v. 23. sqq.

minus exactum, minus politum offendisse Horatium, qua erat severitate, statuamus; idque magis fit verisimile collato loco Libr. 1. Sat. 10. v. 51. sqq.:

> age, quaeso,
> Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
> Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?
> Non ridet versus Enni gravitate minores?

qui totus de compositione versuum est accipiendus.

Choerilus, quem bis terve bonum mirabatur Horatius, erat ex iis poëtis, quos Alexander Magnus circum se habebat [1], res a se gestas celebraturos:

> Gratus Alexandro regi magno fuit ille
> Choerilos, incultis qui versibus et male natis
> Rettulit acceptos, regale nomisma, Philippos [2].

Saepius Interpretes [3] hunc Choerilum cum altero confuderunt, Samio, qui Atheniensium victoriam de Xerxe carmine celebravit, pro cuius singulis versibus staterem aureum accepit. [4] Ille autem vixerat Archelao in Macedonia regnante [5], noster vero Choerilus, Iaso oriundus, ille videtur fuisse poëta qui carmen scripsit, Lamiaca dictum, quo celebravit bellum Lamiacum, gestum Ol. CXIV. 2. Tribuitur illi interpretatio epitaphii Sardanapali, quae variis modis

---

[1] Q. Curtius Libr. VIII. c. 5., Ennodius in Panegyr. In Edit. Cassiodori Paris., 1588. P. II. p. 45.

[2] Libr. II. Epist. 1. v. 232. sqq.

[3] Muretus Var. Lect. Libr. XII. c. 14., Turnebus Advers. Libr. XIX. c. 9., cf. tamen Libr. XXVI. c. 25., J. C. Scaliger Animadvers. in Eusebii Chronic. A. MDXXXIV. p. 101. Ed. Amst. 1658.

[4] Suidas in voce Χοιρίλος Σάμιος. Cf. idem de tertio Choerilo Tragico, Athenieusi, in voce.

[5] Athenaeus Libr. VIII.c. 7. p. 345.

legitur apud scriptores diversos [1]. Acronis scholion est ad Art. Poët. v. 357.: « *Choerilus poëta fuit, qui Alexandrum Magnum secutus bella eiusdem descripsit; cui Alexander dixisse fertur malle se Thersitem Homeri esse quam huius Achillem. Choerilus Alexandri poëta depactus est cum eo, ut, si versum bonum faceret, aureo numismate donaretur: sin malum, colaphis feriretur, qui saepe male dicendo colaphis enectus est.* » Doeringius apposite confert exemplum Sullae, qui malo poëtae cuidam praemium dari iussit hac conditione, ne quid postea scriberet [2].

§ 2.

Vidimus de Epicis poëtis Graecis quorum mentio fit apud Horatium. Iam ad Iamborum scriptores pergamus. Auctorem eius generis, eundemque in eo perfectissimum [3], Archilochum, inprimis suspiciebat Horatius. Huius scripta secum in villam ferebat, [4] hunc primum e Latinis se imitatum fuisse gloriabatur.

Archilochum proprio rabies armavit iambo [5],

[1] Strabo Libr. XIV. p. 672. Ed. Casaub. Paris., 1620., Athenaeus Libr. XII. c. 7. p. 529. sq., Brunck. Anal. T. I. p. 185. Vid. Davisius ad Ciceronis Tuscul. Quaest. Libr. V. c. 35. Duos versus ex illo epitaphio l. l. a Cicerone in latinum sermonem conversos, ab Aristotele irrisos, ut scribit Cicero de Finibus Libr. II. c. 32., in libro hodie deperdito, quique leguntur in altero Athenaei loco Libr. VIII. c. 3. p. 336., vetustiori poetae adscribuntur a Nackio in libro suo: Choerili Samii quae supersunt ect. p. 106. sqq.

[2] Cicero pro Archia c. 10.

[3] Cf. Velleius Libr. I. c. 5., Quintilian. Instit. Orat. Libr. X. c. 1. § 59. et 60.

[4] Libr. II. Sat. 3. v. 11. sq.

[5] Art. Poët. v. 79.

Proprio dicit iambo, quippe eius, quem universa fere antiquitas iamborum fecit inventorem [1]. Rabies vere dicitur notissima eius maledicentia, qua, spretus a Lycambe [2], cuius filiam Neobulen in matrimonium petierat, sponsam ad laqueum adegit; illam vehementiam imitari nolebat Horatius:

> Parios ego primus Iambos
> Ostendi Latio; numeros animosque secutus
> Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.
> Ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,
> Quod timui mutare modos et carminis artem:
> Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho;
> Temperat Alcaeus, sed rebus et ordine dispar:
> Nec socerum quaerit, quem versibus oblinat atris:
> Nec sponsae laqueum famoso carmine nectit [3],

quem locum pessime antea intellectum, egregie explanavit Bentleius. Scilicet ita se defendit Horatius quod non mutasset numeros Archilocheos, ut provocet ad exemplum Sapphonis et Alcaei, summorum poëtarum, qui eosdem numeros in sua carmina etiam receperant.

Alter iambographus est Hipponax, haud minoris mordacitatis, quae vel in proverbium abiit [4]. Hic « acer hostis » ad laqueum adegit Bupalum [5], sculp-

---

[1] Plutarchus de Musica.

[2] Epod. VI. v. 13. Tres Lycambae filias una se morti dedisse legimus in Epig. Cn. Lentuli Gaetulici VI. Brunck. Anal. T. II. p. 167. et Iuliani Aegyptii LIX. l. l. p. 507. Apud Iulianum ante Brunckium pro τρισσὰς legebatur δισσὰς. Cf. Epig. Dioscoridis XXIII. l. l. T. I. p. 498.

[3] Libr. I. Epist. 19. v. 23. sqq.

[4] Cicero ad Divers. Libr. VII. Epist. 24., cf. de Nat. Deor. Libr. III. c. 38.

[5] Epod VI. v. 14.

torem [1], una cum fratre Anthermo, a quibus, ludibrii causa, qua erat difformitate [2], ita in publicum propositus fuerat [3]. Contradicit illi narrationi Plinius [4].

Annotat Acron: « *Hiponactem significat, qui Bubali filiam nuptam petiit, et pro deformitate est contemptus. Illud tamen verius volunt, Bubalum fuisse pictorem* [pictorem vocat etiam Schol. Cruq.] *apud Clazomenas civitatem Asiae, hic Hipponactem quendam poëtam deformem, pro risu pinxit, quo ille furore commotus, tali eum carmine perculit ut se laqueo suspenderet.* » Pars prima scholii sine dubio fluxit ex historia Archilochi, Lycambae spreti generi, cuius mentio praecessit in eodem carmine [5]:

> Qualis Lycambae spretus infido gener,
> Aut acer hostis Bupalo.

Est praeterea narratio apud Photium [6], e libro IV. Ptolemaei Hephaestionis: « Ἀρχέλαος δὲ ὁ Κύπριος Στησιχόρου φησὶ τοῦ ποιητοῦ Ἑλένην Ἱμεραίαν ἐρωμένην γενέσθαι, Μικύθου θυγατέρα· ἀποστᾶσαν δὲ Στησιχόρου καὶ πρὸς Βούπαλον πορευθεῖσαν ἀμυνόμενον τῆς ὑπεροψίας τὸν ποιητὴν γράψαι· Ἑλένη ἑκοῦσα ἀπῆρε· ψευδῆ δὲ τὸν περὶ τῆς πηρώσεως εἶναι λόγον, » quam ita fere VV. DD., post Iunium, explicabant, ut Ptolemaeus Stesichori cum Hipponactis historia temere confu-

---

[1] Pausanias Libr. IV. c. 31. p. 355., Libr. IX. c. 35. p. 781. Edit. Kuhnii.

[2] Aelianus Var. Hist. Libr. X. c. 6.

[3] Suidas in voce Ἱππώναξ, cf. Epig. Philippi Thessal. LXXXIII. Brunck. Anal. T. II. p. 235.

[4] Nat. Hist. Libr. XXXVI. c. 5.

[5] Epod. VI. v. 13. sq.

[6] Cod. CXC.

disset[1]. Unum enim eundemque Bupalum sculptorem intelligi putabant a Ptolemaeo Heph. atque Bupalum illum, quem Hipponax, spretus a filia illius, secundum Scholiasten Acronem, ad laqueum adegerat. Nuper vero Doct. Bakhuizen van den Brink[2] rectissime observavit eundem Bupalum in utraque historia cur significari existimemus, praeter nominis similitudinem, nullam prorsus esse causam: « In Hipponactis enim historia Bupalus celebratur eiusque frater Athenis [Snidas in voce Ἱππώναξ,] sive Anthermus, [Plin. N. H. XXXVI. 5,] hic, praeter Bupalum, Helena Himerensis et huius pater Micythus: propter deformitatem derisam in Bupalum saeviisse narratur Hipponax, Stesichorus contra amicam lacessivisse, quod ei Bupalus praeplacuisset. Itaque prudenter Welckerus ad Hippon. fragm. p. 13. suspicionem Junii reiecit, Archelaum fabulam de Stesichoro cum Hipponactis historia temere commutasse. »

§ 3.

Ex Elegiacis poëtis Mimnermum Callimacho praefert Horatius:

> Carmina compono, hic elegos:
>
> Discedo Alcaeus puncto illius: ille meo quis?
> Quis, nisi Callimachus? si plus adposcere visus:
> Fit Mimnermus, et optivo cognomine crescit[3].

Constat ipse sibi, qui ita iudicabat:

---

[1] De Pictura Veterum in voce *Bupalus*, cf. Silligius in Catalogo Artificum in voce eadem.

[2] In Symbolis literariis V. 1843. p. 138.

[3] Libr. II. Epist. 2. v. 91. et 99. sqq., cf. Ovidius Amor. Libr. I. El. 15. v. 13. sq.

Graiorum sunt antiquissima quaeque
Scripta vel optima [1].

Mimnermi sententiae meminit Horatius in Epistola ad Numicium [2]:

Si, Mimnermus uti censet, sine amore iocisque
Nil est iocundum; vivas in amore iocisque.

Ipsum Mimnermi locum, quem respicit, forte fortuna servatum habemus [3]:

τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν, ἄτερ χρυσῆς Ἀφροδίτης;
τεθναίην, ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλοι κ. τ. λ.

Tertius apud Horatium Elegiacus est Simonides, poëta Ceüs, unde *Ceae Camenae* [4], *Ceae naeniae* [5] illius vocantur. Dicitur fere ab illo:

Versibus inpariter iunctis querimonia primum [6],

fuisse inclusa. Eius naeniae laudantur, quippe cuius praecipua virtus fuerat in commovenda commiseratione [7].

§ 4.

Lyrici ab Horatio commemorantur quinque: Alcaeus, Sappho, Stesichorus, Anacreon, Pindarus.

Alcaeum cum Sapphone, cive et aequali, saepius

---

[1] Libr. II Epist. I. v. 28. sq.

[2] Libr. I. Epist. 6. v. 65. sq.

[3] Brunck. Anal. T. I. p. 60. I., Id. Poët. Gnom. p. 99. I., Gaisford. Poët. Min. Gr. T. I. p. 421. I.

[4] Libr. IV. Carm. 9. v. 7. sq.

[5] Libr. II. Carm. 1. v. 38.

[6] Art. Poët. v. 75.

[7] Quintilian. Instit. Orat. Libr. X. c. 1. § 64., cf. Cicero de Legibus Libr. II. c. 24. ibique Cl. Bakius.

coniungit Horatius. Ad eos respicit quoties *Lesboum barbiton* [1], *Lesbium plectrum* [2], *Lesbium pedem* [3], *Aeolium carmen* [4] memorat. Horum exemplo suam Archilochi imitationem defendebat [5]. Iisdem acceptum referre debebat, quod dicere sibi liceret [6]:

> Quod monstror digito praetereuntium
> Romanae fidicen lyrae.

Ad Alcaeum vero solum spectat, ubi de se ipso gloriatur: Dicar [7]

> Princeps Aeolium carmen ad Italos
> Deduxisse modos,

siquidem Sapphonis carmina imitatus iam fuerat Catullus. Alcaeo principem in suo genere locum defert [8]; haud latent graves Alcaei Camenae [9];

> age dic Latinum,
> Barbite, carmen:
>
> Lesbio primum modulate civi;
> Qui ferox bello, tamen inter arma,
> Sive iactatam religarat udam
> Litore navem,
>
> Liberum et Musas Veneremque et illi
> Semper haerentem puerum canebat,
> Et Lycum nigris oculis nigroque
> Crine decorum [10].

---

[1] Libr. I. Carm. I. v. 34., Carm. 32. v. 4.

[2] Libr. I. Carm. 26. v. 11., de plectro vid. Suidas in voce Σαπφώ, cf. Athenaeus Libr. XIV. c. 9. p. 635.

[3] Libr. IV. Carm. 6. v. 35.

[4] Libr. IV. Carm. 3. v. 12.

[5] Libr. I. Epist. 19. v. 26. sqq.

[6] Libr. IV. Carm. 3. v. 22. sq.

[7] Libr. III. Carm. 30. v. 13. sq.

[8] Libr. II. Epist. 2. v. 99.

[9] Libr. IV. Carm. 9. v. 6. sq.

[10] Libr. I. Carm. 32. v. 3. sqq.

Quanti Liberum fecerit Alcaeus, ipsius fragmenta testantur apud Athenaeum [1]. Lycus, quem canebat, is puer esse potuit, cuius naevus in articulo eum valde delectabat, ut narrat Cicero [2]. Idem alio loco [3]: « fortis vir in sua republica cognitus, quae de iuvenum amore scribit Alcaeus! » Fortem quod vocat Cicero, et Horatius ferocem bello, eo respiciunt quod, una cum fratribus et Pittaco, Melanchrum tyrannum Mitylenis eiecerit [4]. Vel apud inferos, pugnas et exactos tyrannos, aureo plectro [5], dicere fingitur. Non semper tamen eadem illi fortitudo fuerat. Perdidit enim arma in pugna contra Athenienses, a quibus suspensa fuerunt Sigaei, in templo Minervae [6]. Hinc Lessingius [7], quo Horatium turpi fugae crimine liberaret, contendit totum se ad Alcaei imitationem composuisse, in carmine ad Pompeium [8]:

> Tecum Philippos et celerem fugam
> Sensi, relicta non bene parmula;
> Cum fracta virtus, et minaces,
> Turpe i solum tetigere mento,

uti interpunctus est locus a Cl. Peerlkampio. Rectius autem de ea Horatii fuga iudicavit Eichstaedtius in

---

[1] Libr. X. c. 8. p. 429. sq.

[2] De Nat. Deor. Libr. I. c. 28.

[3] Tuscul. Quaest. Libr. IV. c. 33.

[4] Diog. Laërt. Libr. I. § 74., cf. Epig. adespoton DXIX. v. 7. in Brunck. Anal. T. III. p. 260. et ipsius Alcaei vss. apud Athenaeum Libr. XIV. c. 5. et 6. p. 627.

[5] Libr. II. Carm. 13. v. 31. et 26. sq.

[6] Herodotus Libr. V. c. 95., Strabo Libr. XIII. p. 600. cf. Valckenaerius ad Herodoti l. l.

[7] *Rettungen des Horaz*, in Operum Editione Berolini, 1838. T. IV. p. 27. sqq.

[8] Libr. II. Carm. 7. v. 9. sqq.

in Paradoxis Horatianis [1]. Respicere etiam potuit Horatius Archilochum, qui clypeum perdidit in pugna contra Saïos, adeoque impudens fuit [2], ut ignaviam ipse suam carmini mandarit [3], cuius fragmenta nobis servarunt Aristophanes [4], Plutarchus [5] et Sextus Empiricus [6].

Collocaverat Horatius Sapphonem in inferis cum Alcaeo [7],

Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus;

incertum autem est quid quereretur. Corrupta sunt scholia: Acronis, « *Querebatur autem Sappho de puellis suis civibus, quod non amarent, quem ipsa diligebat,* » Porphyrionis, « *Queritur autem Sappho de puellis civibus suis quod Oden non ament, quam ipsa diligebat.* » Apud utrumque legendum est: « *quod Phaonem amarent, quem cet.* » Probabilius, si modo verum Schol. Cruq.: « *Querebatur autem Sappho de puellis suae gentis quod amarent Phaonem, quem ipsa amabat.* » Ceterum notissima res est, quam male audierit Sappho propter hasce puellas. Iniquiores etiam in illam Scholiastae Horatii; Cruquianus ad locum [8]:

Non defuisse masculae libidinis
Arimineusem Foliam cet.,

---

[1] Paradoxon Horatianum V. p. 3. sq.

[2] Aelianus Var. Hist Libr. X. c 13.

[3] Vid. Brunck. Anal. T. I. p. 40. Archilochi versus e variis auctoribus concinnarunt Muretus Var. Lect. Libr. IX. c. 2. et Olearius ad Philostrati Vitam Apollonii Tyan. Libr. II. c. 7. p. 55.

[4] In Pace v. 1299.

[5] Apophthegm. Lacon. c. 34.

[6] Hypothes. III. p. 172: 1. Edit. Imm. Bekkeri.

[7] Libr. II. Carm. 13. v. 24. sq.

[8] Epod. V. v. 41. sq.

ubi adnotat: « *quae tam monstrosae erat libidinis ut etiam cum feminis rem haberet; quo crimine etiam Sappho male audit*, » et Porphyrion ad locum[1]:

Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,

vocem *mascula* ita explicans: « *vel quia in poëtico studio versata est in quo saepius enituit, vel quia tribas diffamatur fuisse.* » Baxterus in eo loco dilogiam agnovit, ut *mascula* tum propter mores, tum propter poëseos indolem vocata fuerit. Agnovit etiam Buttmannus[2]. Locum autem male ab iis intellectum fuisse contendit Welckerus in libello peculiari, quo Sapphonis memoriam turpi crimine liberavit, quod nimis diu ei adhaesit[3]. Hic dilogiam agnoscit quidem, jungit vero *pede mascula*, itaque Horatius respexit Sapphonis audaciam virilem, tum Archilochum *pede*, i. e. carminum genere, imitando conspicuam, tum etiam in *pede* desiliendo de Leucate saxo. Mihi vero, si quid iudico, *pede mascula* ita iunctum et explicatum vix Latinum et Horatio indignum videtur. Dilogiam nullam inesse puto. Horatius hoc loco cogitare non potuit de libidine Sapphonis. Loquitur de poëtis, viris. Nomen feminae virorum nominibus immiscet. Recte ergo appellat Sapphonem masculam, feminam quidem, sed viris, poëtis, similem, et inter viros recte nominandam, quae carmina viris digna praeclaris fecerat. Si Lucretiam appellasset *masculam*, nemo ambigue interpretatus esset; ita Ovidius[4]:

---

[1] Libr. I. Epist. 19. v. 28.

[2] In *Mythologo* T. I. p. 322.

[3] F. G. Welcker *Sappho von einem herrschenden Vorurtheil befreyt. Goettingen*, 1816. *p.* 115. *sqq.*

[4] Fast. Libr. II. v. 847.

Fertur in exsequias animi matrona virilis.

Illud *ambigui* quaerendi studium iam apud ipsos Romanos tempore Augusti vigebat. Malevoli ita multos poëtarum locos accipiebant. Queritur Quintilianus[1] de iis, qui ex verbis, quae longissime ab obscoenitate abessent, occasionem turpidinis raperent. Adfert exemplum Celsi, qui *κακέμφατον* apud Virgilium[2] esse putabat:

Incipiunt agitata tumescere.

Vitabant igitur boni poëtae talia, quantum possent, nunquam vero satis esse cauti poterant. Testantur id vel Ausonii Centones. Et Comici ita abusi sunt versibus Homericis. In voce *mascula* igitur nihil ambigui esse puto, nisi quis calumniari velit. Argumenta autem quibus fama Sapphonis in integrum restitui possit, praestat legere apud ipsum Welckerum, qui, quaecunque huc vocata fuerint veterum testimonia ad Sapphonem diffamandam[3], aut male intellecta fuisse docet aut perperam interpretata; fontem commenti fuisse ostendit[4] falsam lectionem: « quas (puellas) *nec* sine crimine amavi, » Ovidio in Epistola Sapphonis ad Phaonem[5], pro antiqua et vera: « quas *hic* sine crimine amavi, » auctore Domitio Calderino, obtrusam. Recte observat Welckerus neque e loco Libr. II. Carm. 13. v. 24. sq., supra allato, neque ex altero[6]:

---

[1] Instit. Orat. Libr. VIII. c. 3. § 44.

[2] Georg. Libr. I. v. 357.

[3] Sunt fere: Horatius l. l., Ovidius Heroid. Epist. XV. v. 15. sqq., Martialis Libr. VII. Epig. 69. v. 10., Libr. X. Epig. 35. v. 15. sq., Ausonius Cupido cruci affixus v. 24. sq., Suidas in vocc.

[4] L. l. p. 117. sq.

[5] Heroid. Epist. XV. vs. 19.

[6] Libr. IV. Carm. 9. v. 10.

spirat adhuc amor,
Vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae,

quicquam ad poëtriam criminandam peti posse, neque etiam ex Ausonii prioris loci imitatione:

Et de nimboso saltum Leucate minatur
Mascula Lesbiacis Sappho peritura sagittis.

Quod vero putet Welckerus[1] scholion Porphyrionis, quo provocat Calderinus, in editis scholiis non exstare, in eo fallitur. Legitur iisdem verbis quibus laudatum est a Calderino, quibusque supra retuli, in Editione Henricopetrina, a. 1555. Est illud scholion, quod respicit Britannicus ad Juvenalis Sat. VI. v. 311: « qualis fuit Sappho, ut ipsa fatetur et Porphyrio docet; » quid praeterea Schol. Cruq. suspicatus fuerit, ad Epod. V. v. 41., supra iam vidimus. Haud tamen ea fides est horum scholiorum ut argumenta Welckeri convellere possint, nihil enim ex iis conficere licet, nisi quod ipsi Scholiastae Horatium male intellexerint. Ceterum quod Britannicus, ut vidimus, addit: « ut ipsa fatetur, » in eo cogitavit de altera Sapphonis Ode, vulgo *πρὸς γυναῖκα ἐρωμένην* inscripta, quam tamen, modo titulo[2], ne nimis tribuamus et ita legamus, uti Brunckius[3] constituerit, viro inscriptam fuisse posse, egregie probavit idem Welckerus[4].

---

[1] L. l. p. 129.

[2] Aliter: *πρὸς κόρην*. De titulis carminum Lyricorum cf. Buttmannus, *Mythologus* T. I. p. 301. sq.

[3] Anal. T. I. p. 55. V.

[4] L. l. p. 63. annot. 45.

Stesichori recte graves dicuntur Camenae [1]; gravitate enim tum argumentorum tum compositionis Lyricum carmen ad Epici fere maiestatem evexerat [2]. Huius celeberrimae Palinodiae meminit Horatius [3] in Epodo XVII. vs. 42. sqq., dum Canidiae, quam carmine laceraverat, veniam implorare cupit:

> Infamis Helenae Castor offensus vicem
> Fraterque magni Castoris, victi prece,
> Ademta vati reddidere lumina,

in eo a vulgata historia recedens quod, quam Plato [4], Isocrates [5], Dio Chrysostomus [6], Pausanias [7], Conon [8], Suidas [9], alii [10] Helenae tribuerunt Stesichori, recantatione facta, caecitatis sanationem, eam Helenae fratribus Castori et Polluci tribuit Horatius. Id quod eo magis dignum notatu est, quia dubitari non potest qnin Horatius totam legerit Palinodiam, non unice fragmentum illius latens apud Platonem in Dialogo Phaedro, id quod de multis qui carminis Stesichori mentionem fecerunt suspicari licet [11]. Exstat praeterea

---

[1] Libr. IV. Carm. 9. v. 8.

[2] Quintilian. Instit. Orat. Libr. X. c. 1. § 62., cf. Epig. Antipatri Sidonii LXXVII. ap. Brunck. Anal. T. II. p. 27.

[3] Partes Horatii in hoc carmine Mitscherlichius Varo tribuit, cuius mentio fit Epod. V. v. 73.

[4] In Phaedro p. 243. A.

[5] In Helenae Encomio c. 28.

[6] Orat. XI. p. 162. A. Edit. Morelli.

[7] Libr. III. c. 19. p. 260. Edit. Kuhnii.

[8] Apud Photium Cod. CLXXXVI. Narrat. 18.

[9] In voce Στησίχορος.

[10] Cf. Lucianus in Vera Hist. Libr. II. c. 15. Ceterum vid. Cicero ad Atticum Libr. IX. Epist. 12., Athenaeus Libr. XI. c. 15. p. 505. B, Philostratus in Vita Apollonii Tyan. Libr. VI. c. 11. p. 246.

[11] Vid. Cl. Geelius in Epist. ad Welckerum in *Rhein. Museum.* Vol. VI.

diversa Stesichori historia apud Photium, a Ptolemaeo Hephaestionis ex Archelao Cyprio petita, quam supra [1] retulimus cum de Hipponacte ageremus. Illam Mitscherlichius in Argumento Carm. 16. Libr. I. ita cum altera vulgari narratione componi posse censet, ut Stesichorum, dum puellam Siculam carmine isto proscindere in animo haberet, totam carminis rationem ad personatam illam Helenam, quae eodem perfidiae crimine teneretur, adtemperasse atque transtulisse, adeoque sub huius nomine alterius perfidiam perstrinxisse existimemus. Quod si ita fieri potuisse statuimus, tum inprimis tenendum est Bupalum hunc diversum esse debere ab illo sculptore de quo supra iam vidimus [2]. Obstant enim temporum rationes quominus eadem puella a Stesichoro poëta Bupaloque sculptore amata fuerit, uti recte observavit Silligius [3]. Narrationem autem Archelai Cyprii Doct. Bakhuizen van den Brink fundamentum fecit elegantissimae disputationis de Palinodia Stesichorea, nuperrime Symbolarum literariarum Vol. V. insertae, quae cum tam recens in lucem prodierit, Brinkii argumentationem hic describere nihil attinet. Ceterum, quam turpiter Mitscherlichius, in Argumento Epod. V. et in annotat. ad eiusdem vs. 42., Stesichorum, Archilochum, omnia confuderit, nuper ostendit Doct. Hoffius [4].

---

p. 12. Cf. tamen Doct. Bakhuizen van den Brink in Epistola ad Cl. Geelium in Symbol. literar. V. 1843. p. 125. sqq.

[1] Vid. p. 21.

[2] Vid. p. 22.

[3] In Catalogo Artificum voce *Bupalus*.

[4] F. H. B. von Hoff Dissert. de Mytho Helenae Euripideae. L. B. 1843. p. 31.

Multum de Palinodia Stesichorea inter viros doctos disputatum est. In causa sunt exilia veterum scriptorum de ea testimonia, fragmentorum summa paucitas. Redeunt haec fere ad ea quae Plato servavit in Dialogis Phaedro[1] et de Republica[2] inscriptis. Solus Ianius, quod mirum profecto est, fabulam Promethei, quemadmodum exponitur ab Horatio[3]:

> Fertur Prometheus addere principi
> Limo coactus particulam undique
> Desectam, et insani leonis
> Vim stomacho adposuisse nostro,

eodem modo in Palinodia Stesichori traditam fuisse rescivit ex Fulgentii Mytholog. Libr. III. c. *de Peleo*. Dubito tamen an quisquam praeterea eo in loco, vel etiam in ipso capite *de Prometheo*, Libr. II., idem quod Ianius sit inventurus. Id autem agebat Ianius ut demonstraret Horatii Palinodiam[4]:

> O matre pulchra filia pulchrior, cet.

scriptam esse ad imitationem Stesichoreae. Et ita fere Interpretes, ducem Acronem professi, statuerunt. Inde vulgarem Carminis titulum: *ad Tyndaridem* repetendum esse docuit Buttmannus[5], negans Carmini Horatiano quicquam imitationis Stesichori inesse. Observavit autem Cl. Peerlkampius, ita ne legi quidem apud Acronem, ad quem provocant omnes. Dicit sim-

---

[1] P. 243. A.

[2] Libr. IX. p. 586. B. C.

[3] Libr. I. Carm. 16. v. 13. sqq.

[4] Libr. I. Carm. 16.

[5] *Mythologus* V. II. p. 301., cf. Ducntzer *Kritik u. Erklaerung d. Oden des Horaz, p.* 146.

pliciter[1]: « *Hanc oden in satisfactionem facit amicae suae. — imitatus Stesichorum poëtam Siculum, qui vituperationem scribens Helenae caecatus est, et postea responso Apollinis laudem eius scripsit et oculorum aspectum recepit.* » Horatium idem fecisse, quod antea fecerat Stesichorus, narrat; minime dicit illum alterius Palinodiam imitatione exprimere voluisse.

In Epistola ad Fuscum [2] legitur fabula, quae tribuitur Stesichoro:

> Cervus equum pugna melior communibus herbis
> Pellebat; donec minor in certamine longo
> Imploravit opes hominis, frenumque recepit:
> Sed postquam violens victo discessit ab hoste,
> Non equitem dorso, non frenum depulit ore.

Eam civibus suis narrasse Stesichorum, cum Phalaridem copiis suis praeficere vellent, tradit Aristoteles [3], Conon vero, apud Photium [4], idem illum fecisse narrat, cum Geloni eundem honorem haberent, id quod probabilius videtur Bentleio, in Resp. ad Boylium: *de Aetate Phalaridis* [5]. —

> Nec, si quid olim lusit ANACREON
> Delevit aetas [6].

Huius amatoriam poësin delicatissimam quin magni fecerit Horatius, non est quod dubitemus. Tyndaridem amicam rogat, ut fide Teïa dicere velit Penelopen vitreamque Circen in uno Ulixe laborantes [7]. Ana-

[1] Ad Libr. I. Carm. 16. init.
[2] Libr. I. Epist. 10. v. 34. sqq. Cf. Phaedrus Libr. IV. Fab. 3.
[3] Rhetor. Libr. II. c. 20.
[4] Cod. CLXXXVI. Narrat. 42.
[5] Pag. 18. Edit. Groning. 1777.
[6] Libr. IV. Carm. 9. v. 9. sq.
[7] Libr. I. Carm. 17. v. 18. sqq.

creontis amor in Bathyllum Samium, cuius Horatius ad Maecenatem meminit [1], hodie etiam notus est ex ipsius Anacreontis carminibus, quae nobis adhuc supersunt. Samium fuisse apparet ex duobus ultimis versibus carminis Anacreontis XXIX. [2]:

ἦν δ' ἐς Σάμον ποτ' ἐλθὼς,
γράφε Φοῖβον ἐκ Βαθύλλου.

Superest Pindarus de quo quid iudicaverit Horatius satis declarant laudes magnificae Libr. IV. Carm. 2. v. 1. sqq.:

Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule [3], ceratis ope Daedalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto,

quaeque sequuntur, describendum enim foret totum carmen Pindarica fere sublimitate compositum. Percurrit deinceps Horatius singula poëseos Pindaricae genera: audaces Dithyrambos vs. 10., Paeanes, i. e. laudes Deorum et Heroum vs. 13. [4], carmina Epinicia, quae sola nobis servata sunt, vs. 17., Epicedia denique [5] vs. 21., omnia aeque magnifice extollens. Et mirabatur Horatius, quod ipse ausus non fuerat, ut Pindarum aemularetur, id Titium tentare:

---

[1] Epod. XIV. v. 9. sq.

[2] Brunck. Anal. T. I. p. 95., cf. Epig. Leonidae Tarentini XXXVIII. Ibid. p. 230.

[3] Pro *Iule*, legit *Ille* Cl. Peerlkampius, quem secutus est Eichstaedtius, Parad. Horat. I. p. 9.

[4] Cf. Servius ad Aeneid. Libr. X. v. 738.

[5] Ne quis, Mitscherlichium ad v.l. secutus iudicium Dionysii Halicarnassensis, (T. II. p. 128. secundum Mitscherlichium) de his carminibus exquirat, qui, uti multus est in explicandis Pindari Dithyrambis, in Libro de Compositione verborum c. 22., ita prorsus tacet de Epicediis illius.

Pindarici fontis qui non expalluit haustus [1],

cui vero parum successisse in imitando, satis constat ex alto veterum de eius poëtica facultate silentio.

Poëtae Tragici componuntur: Thespis, Aeschylus et Sophocles. Populus Romanus

> Post Punica bella quietus quaerere coepit,
> Quid Sophocles et Thespis et Aeschylos utile ferrent:
> Tentavit quoque rem, si digne vertere posset: cet.[2]

Post Punica bella, — primum autem bellum tantummodo intelligendum, et ne ita quidem temporis significatio urgenda est [3]. Thespidi ab Horatio tragoediae tribuitur inventio:

> Ignotum tragicae genus invenisse Camenae
> Dicitur, et plaustris vexisse poëmata Thespis
> Qui canerent agerentque, peruncti faecibus ora [4],

qua in re cum tota fere antiquitate facit, uti fuse osteudit Bentleius in *Disquisitione de Origine Tragoediae* [5]. Idem praeterea nihil unquam servatum fuisse docet e Thespidis tragoediis [6], fragmenta apud Plutarchum, Pollucem et Clementem Alexandrinum esse Heraclidis Pontici, qui, teste Aristoxeno [7], Thes-

---

[1] Libr. I. Epist. 3. v. 10.

[2] Libr. II. Epist. 1. v. 162. sqq.

[3] Gellius, Libr. XVII. c. 21., Porcii Licinii vss. affert:

> Punico bello secundo Musa pinnato gradu
> Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram

[4] Art. Poët. v. 275. sqq.

[5] In Respons. ad C. Boylium p. 125. sqq. Edit. Gron., 1777.

[6] L. l. p. 130. sqq.

[7] Apud Diog. Laërt. Libr. V. § 92. Obiter notandus est Zellius, qui, in Edit. Horatii Epistolae I. Libr. I. p. 45., miro errore Aristoxeno tribuit, id quod ipse Aristoxenus Heraclido Pontico imputaverat.

pidis nomine suas inscripserat tragoedias. Ad Aeschylum igitur Sophoclemque modo referendum esse apparet, quod addit Horatius:

Tentavit quoque rem, si digne vertere posset.

Quod enim putat Bentleius [1] ad supposititias illas Thespidis fabulas respicere potuisse Horatium, id secus esse arbitror; nusquam enim fit mentio Latinae interpretationis tragoediae Thespidi tributae; multo vero minus cum Welckero facio, quod pace summi viri dixerim, qui censet Sophoclem, Thespidem et Aeschylum ab Horatio componi, aut pro lubitu, aut quod eorum nomina recte caderent in versum [2]. Alia de causa, eaque simplicissima, nisi egregie fallor, componuntur. Nempe inventor tragoediae fuerat Thespis; primum ille actorem introduxerat [3], qui recitaret, cessantibus choris; perfector Aeschylus, qui alteram personam addidit [4], scenam [5] praeterea instruxit, personam [6], pallium cothurnosque [7] reperit:

---

[1] Ad Art. Poët. v. 277.

[2] F. G. Welcker *die Griech. Trag. cet.* III. *Abth. p.* 1341. Ipsa Welckeri verba haec sunt: « *Horaz waehlt ihre* [*der Griechischen Tragoedie*] *Repraesentanten bequem nach dem Vers, oder willkuerlich wenn man auf Rom sieht*, » quod scilicet Horatius Thespidi substituere debuerat Euripidem, si numerum tragoediarum Graecarum, in Latinum sermonem conversarum, respexerat.

[3] Diog. Laërt. Libr. III. § 56.

[4] Id. ibid., Aristoteles Poët. c. 4.

[5] Aeschyli Vita in Edit. Stanleii p. 11., Vitruvius, in Praef. Libr. VII., Epig. Dioscoridis XVII. ap. Brunck. Anal. T. I. p. 497., cf. tamen Suidas in voce Πρατίνας.

[6] Suidas in voce Αἰσχύλος, cf. tamen in voce Χοιρίλος—τραγικός.

[7] Philostratus Vit. Apollonii Tyan. Libr. VI. c. 11. p. 245., Vit. Sophist. Libr. I. c. 9. § 1. p. 492. Edit. Olearii.

Post hunc [Thespidem] personae pallaeque repertor honestae
Aeschylos et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurnis [1];

ultimam denique manum apposuit Sophocles, qui tertium introduxit actorem [2]. Substitit in eo numerus personarum, factumque praeceptum est:

ne quarta loqui persona laboret [3].

Ita tragoedia Graeca ab illis triumviris inventa et perfecta fuit. Nil amplius additum. Conditores ergo et perfectores illius aptissime ab Horatio loco laudato componuntur.

Euripidis etsi disertam mentionem non facit Horatius, tamen saepius respicit ad eius tragoedias. Ad Orestem, genetrice occisa, malis Furiis actum [4]; ad Iphigeniam [5], a patre pro vitula ante aras statutam; ad Bacchas [6], miserum Pentheum lacerantes, ad Antiopen [7]:

Gratia sic fratrum geminorum Amphionis atque
Zethi dissiluit; donec suspecta severo
Conticuit lyra,

conversam a Pacuvio, hodie vero deperditam [8]; ad

---

[1] Art. Poët. v. 278. sqq.

[2] Aristoteles l. l., Diog. Laërt. l. l., Sophoclis Vita p. XIX. Ed. Brunck., Suidas in voce Σοφοκλῆς.

[3] Art. Poët. v. 192.

[4] Ibid. v. 124., Libr. II. Sat. 3. v. 132. sqq., cf. Euripidis Orestes v. 258.

[5] Libr. II. Sat. 3. v. 199. sq.

[6] Ibid. v. 303. sqq., cf. Euripidis Bacchae v. 1238. sqq. In Libr. I. Epist. 16. v. 73. sqq. versum ex Euripidis Bacchis 492. sqq. expressit Horatius, uti iam vidit Schol. Cruq.

[7] Libr. I. Epist. 18. v. 41. sqq.

[8] Versus ex illa servavit Plato in Gorgia p. 484. E, teste Scholiasta. Cf.

Thyesten[1], Telephum[2] et Peleum[3], quae etiam interiere (commemorat autem coenam Thyestae; exilium et paupertatem Telephi et Pelei); ad Medeam[4], ferocem illam invictamque; ad flebilem Ino[5], perfidumque Ixiona[6], deperditas hodie ambas. Ab eodem exempla petit ad praecepta sua firmanda Horatius[7]:

> Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri
> Telephus aut Peleus: cum pauper et exsul uterque
> Proiicit ampullas et sesquipedalia verba,
> Si curat cor spectantis tetigisse querela,

quem locum perperam ita interpretati sunt nonnulli, quasi idem Horatius obiiceret Euripidi, atque Aristophanes in Ranis et in Acharnensibus, quod scilicet introduxisset reges, pannis opertos, submisse loquentes, victum mendicantes. Sed simpliciter observat Horatius, regum etiam, cum exsules pauperesque in scenam prodeant, sermonem humilem et pedestrem esse oportere. Altero loco, ut doceat quaenam in scena, ante oculos spectatorum, non sint agenda, etiam ad Euripidis exemplum in Medea provocat[8]:

> Ne pueros coram populo Medea trucidet;
> Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus;
> Aut in avem Procne vertatur, Cadmus in anguem.

Cicero de Orat. Libr. II. c. 37., Propertius Libr. III. El. 13. v. 11. sqq., Auctor ad Herennium Libr. II. c. 27.

[1] Art. Poët. v. 91. et 186

[2] L. l. v. 96. et 104.

[3] Ll. ll. Cf. de Telepho Aristophanes in Nub. v. 921., Acharn. v. 430. sqq.

[4] L. l. v. 123. et 185.

[5] L. l. v. 123. Cf. Aristophanes in Acharn. v. 434.

[6] L. l. v. 124.

[7] L. l. v. 95. sqq.

[8] L. l. v. 185. sqq.

Ex Comicis occurrunt, praeter Epicharmum, de quo infra ad Plautum, veteris comoediae scriptores Cratinus, Eupolis et Aristophanes, novae Menander, de quo ad Afranium videbimus:

> Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque poëtae,
> Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est,
> Si quis erat dignus describi, quod malus ac fur,
> Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui
> Famosus, multa cum libertate notabant[1].

Quod quam vere dictum sit, satis apparet ex Aristophanis comoediis, quas habemus, ex Cratini Eupolidisque fragmentis, veterumque testimoniis de eorum libertate in perstringendis summis in republica viris.

Ponitur Cratinus inter illos poëtas, qui Bacchi egregiam opem in fundendis carminibus agnoscebant:

> Prisco si credis, Maecenas docte, Cratino:
> Nulla placere diu nec vivere carmina possunt,
> Quae scribuntur aquae potoribus[2],

quam suam sententiam liberrime profitebatur Cratinus, quin etiam in laudem ebrietatis scripsit comoediam, Πυτίνην[3] dictam, qua palmam eripuit Aristophanis Nubibus. Hic, qui saepius invectus fuerat in eius vinolentiam[4], mortis etiam causam ab ea repetivit[5]:

> *οὐ γὰρ ἐξηνίσχετο*
> *ὁρῶν πίθον καταγνύμενον οἴνου πλέων.*

---

[1] Libr. I. Sat. 4. v. 1. sqq., cf. Persius Sat. I. v. 123. sq.

[2] Libr. I. Epist. 19. v. 1. sqq. Sententia exprimitur in Epig. Nicaeneti Samii IV. ap. Brunck. Anal. T. I. p. 417., emendato a Bentleio ad Horatii Libr. I. Epist. 19. v. 10.

[3] Suidas in voce *κώδιον*. Vid. Lucas, Cratinus et Eupolis p. 31. sqq.

[4] In Equit. v. 400. et 534. sqq., Pace v. 701. sqq. Perstringit eundem in Ranis v. 357., Acharn. v. 847. sq. et 1171. sqq., Equit. 526. sqq.

[5] In Pace v. 703. sq.

Exstat scholion Acronis ad locum Horatii modo laudatum, quod idem emendatum ita legitur apud Schol. Cruq.: « *Cratinus — tantae vinolentiae fuit ut solitus fuerit supra pelleis recumbere, quas commeiere consueverat.* » Respicit autem Scholiasta ad versum Aristophanis[1]:

εἴ σε μὴ μισῶ, γενοίμην ἐν Κρατίνου κώδιον.

Sequitur autem in eodem scholio, quod dignum notatu est, eadem narratio incongrua atque absurda de Cratini cubiculo, quae legebatur olim in Vita Horatii, vulgo Suetonio tributa, § 17, de ipsius Horatii cubiculo[2]. Iam dudum autem Horatium tam turpi crimine liberavit Lessingius[3], qui originem etiam commenti reperit in simili historia de Hostio quodam, qua Seneca libros suos dehonestavit[4].

---

[1] In Equit. v. 400. Observat Dindorfius ἐν legi in libris omnibus, ἐν apud Scholiastas. Posterius utique praestare videtur.

[2] Varias VV. DD. de illo loco sententias collegit Richterus in Vita Horatii p. 97—112.

[3] *Rettungen des Horaz*, in Operum Edit. Berolini. 1838. T. IV. p. 9. sqq. Tacite locum iam omiserant Dacerius et Bentleius.

[4] Quaest. Nat. Libr. I. c. 16.

PARS ALTERA.

Poëtae Latini.

§ 5.

Recensitis itaque poëtis Graecis, progrediendum ad Latinos. Sunt hi et numero et aestimatione Graecis longe minores apud Horatium. Veteres inprimis ex Latinis haud ita magni ducebat, inter recentiores erant quibus plus tribuebat; contra atque iudicabat de Graecis. Vulgus id temporis admodum diversae sententiae erat. Is enim, uti Horatius scribit ad Augustum [1]:

> Sic fautor veterum, ut Tabulas peccare vetantis,
> Quas bis quinque viri sanxerunt, Foedera regum
> Vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis,
> Pontificum libros, annosa volumina Vatum,
> Dictitet Albano Musas in monte locutas,

quae tamen stomachantis potius sunt et exaggerantis, quam vera tradentis. Foedera enim cum Sabinis, Romuli [2], Tullique Hostilii; Tarquinii Superbi cum Gabinis [3]; inscripta ut fuerant, Tulli Hostilii

---

[1] Libr. I. Epist. I. v. 23. sqq.

[2] Livius Libr. I. c. 13., Dionysius Halicarn. Antiq. Rom. Libr. II. c. 46., Appianus Rom. Hist. Libr. I. c. 4.

[3] Livius Libr. I. c. 53., Dionysius Halicarn. Antiq. Rom. Libr. IV. c. 58. sqq., Appianus Rom. Hist. Libr. I. c. 7.

in columna[1], Tarquinii in clypeo ligneo, qui Dionysii Halicarnassensis temporibus adhuc exstabat[2], nemo tamen Horatii aetate intelligere poterat; siquidem iam Polybii temporibus primum foedus ictum cum Carthageniensibus vix a quoquam intelligebatur[3]. Pontificum libri, ut legi possent, interprete egebant[4]; vatum autem volumina annosa, Cn. Marcii vaticinia, ut videtur, iam statim ab initio fuerant obscura[5]. Leges denique XII tabularum, etsi, Cicerone puero, adhuc in ludis discebantur[6], multi tamen iamdudum in iis explicandis versati fuerant[7]. Vix itaque serio quisquam monumenta illa vetera tamquam Musarum opera admiratus est. Idem valet de Saliarium carminibus, ab ipsis Sacerdotibus non satis intellectis[8], quae tamen laudari a suis aequalibus dicit Horatius[9]:

---

[1] Dionysius Halicarn. Ant. Rom. Libr. III. c. 33.

[2] Id. ibid. Libr. IV. c. 58. Superfuerintne hae columnae necne, quo tempore Horatius suam Epistolam scripsit, incertum est. Affirmat Sallierus, locum Horatii laudatum, in auxilium vocans, in *Mém. de l'Acad. des Insor.* T. VI. *p.* 124. *sq.* Cum Salliero facit Levesquius in *Mém. de l'Inst. Imp., Classe d'Hist. et de Lit. anc.* T. II. *p.* 354. Secus putant Beaufort., *Sur l'incertitude des cinq prem. siècles de l'Hist. Rom. p.* 12. *sqq.*, et Niebuhr., *Rom. Gesch.* T. I. *p.* 175. Edit. pr.

[3] Polybius Hist. Libr. III. c. 22.

[4] Seneca Epist. CVIII. § 31. Cf. Cicero de Legibus Libr. I. c. 2., ibique Cl. Bakius.

[5] Livius Libr. XXV. c. 12., cf. Cicero de Divinat. Libr. I. c. 40. et 50.

[6] Cicero de Legibus Libr. II. c. 23.

[7] Cf. de Interpr. illis Doct. W. H. D. Suringar. in Historia critica Scholiastarum Latinorum V. I. p. 30. sqq.

[8] Quintilian. Instit. Orat. Libr. I. c. 6. § 40. Cf. Suringar. l. l. p. 24. sqq.

[9] Libr. II. Epist. 1. v. 86. sqq.

Iam Saliare Numae carmen qui laudat, et illud
Quod mecum ignorat, solus volt scire videri;
Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.

Exponit Horatius, in eadem Epistola ad Augustum [1], iudicium aequalium suorum de nonnullis ex veteribus illis poëtis, et ita exponit, ut simul appareat quid ipse senserit:

Ennius et sapiens, et fortis, et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant, et somnia Pythagorea.
Naevius in manibus non est, et mentibus haeret
Paene recens? adeo sanctum est vetus omne poëma.
Ambigitur quotiens, uter utro sit prior; aufert
Pacuvius docti famam senis, Accius alti:
Dicitur Afrani toga convenisse Menandro:
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi:
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte:
Hos ediscit, et hos arto stipata theatro
Spectat Roma potens; habet hos numeratque poëtas
Ad nostrum tempus Livi scriptoris ab aevo.

Et hi fere principes sunt ex veteribus Scenicis. Occurrunt praeterea, qui in eodem genere versati fuerant: Dossennus, lucro plus deditus quam arti suae [2], Atta, qui obiter irridetur [3], Pupius, uno verbo notatus [4].

Nec magis in ceteris poëseos generibus Horatio placebant veteres illi, quive paullo ipsum aetate antecesserant. Laberii Mimi vix sunt versus nominandi [5], Calvi Catullique, Lyricorum, mentio fit non admo-

[1] L. l. v. 50. sqq.
[2] L. l. v. 173. sqq.
[3] L. l. v. 79. sq.
[4] Libr. I. Epist. 1. v. 67.
[5] Libr. I. Sat. X. v. 6.

dum honorifica[1], Lucilius denique, Varroque Atacinus, hic frustra vires expertus fuisse dicitur in Satiris[2], ille, data opera, durae compositionis parumque curatae arguitur[3]. Hoc autem de Lucilio iudicium Horatii tam ingratum tamque superbum eius aequalibus accidisse apparet, ut necesse habuerit sententiam suam explanare, aperteque fateri se quoque Lucilii, quamvis duri poëtae, dotes egregias agnoscere; urbanitatem libertatemque[4].

Fueritne Horatius iudex aequus an iniquus veterum poëtarum Latinorum, multum disputatum est[5]; nos satis habebimus ipsius verba disertissima, ex eadem Epistola ad Augustum[6], referre. Suae ipsius causae optimus patronus Horatius erit:

> Interdum volgus rectum videt: est ubi peccat.
> Si veteres ita miratur laudatque poëtas,
> Ut nihil anteferat, nihil illis comparet; errat:
> Si quaedam nimis antique, si pleraque dure
> Dicere cedit eos, ignave multa fatetur;
> Et sapit, et mecum facit, et Iove iudicat aequo,

quae, nisi egregie fallor, iudicem produnt aequissimum, nulla praeiudicata opinione, sententiam ex vero ferentem. Sed iam de singulis poëtis supra

---

[1] L. l. v. 19.

[2] L. l. v. 46.

[3] Libr. I. Sat. 4. v. 6. sqq., v. 56. sqq.

[4] Libr. I. Sat. 10. v. 64.

[5] De Horatio veterum Poëtarum Latinorum censore conferantur inprimis J. C. F. Manso *ueber Horazens Beurtheilung der aeltern Dichter der Roemer*, in: *Vermischte Abhandl. p.* 87. *sqq.*, et A. Weichert. de Q. Horatii Flacci obtrectatoribus in Poëtarum Latin. Reliq. p. 270. sqq.

[6] Libr. II. Epist. 1. v. 63. sqq.

commemoratis videndum erit. Eorum antiquissimus est Livius Andronicus. Hinc Horatius[1]: Roma

habet hos numeratque poëtas
Ad nostrum tempus Livi scriptoris ab aevo.

Iam antiquitus de Livii aetate controversia fuit. Primum illum fabulam docuisse anno, antequam natus est Ennius poëta, i. e. 514. (Varr.), C. Claudio Centhone, M. Tuditano Css., tribus locis affirmat Cicero[2], qui idem narrat, processisse eum aetate ad adolescentiam usque Catonis Censorii[3]. Eius fabulae ad Horatii usque tempora lubenter spectatas fuisse docemur ex eo quod in consecratione theatri Pompeiani, a.799., Equus Troianus datus fuerit[4]. Horatius ita de illo[5]:

Non equidem insector, delendave carmina Livi
Esse reor, memini quae plagosum mihi parvo
Orbilium dictare: sed emendata videri
Pulchraque, et exactis minimum distantia, miror.

Consentit prorsus Ciceronis iudicium de Livii fabulis[6]: « Livianae fabulae, non satis dignae quae iterum legantur. » In loco Horatii laudato Bentleius pro *Livi* corrigebat *Laevi*, idemque in textum recepit. Laevius autem, auctor Erotopaegnion, saepius a Gram-

---

[1] L. l. v. 61. sq.

[2] In Bruto c. 18., Tuscul. Quaest. Libr. I. c. 1., de Senectute c. 14. Cf. Orellius in Onomast. Tulliano, quique ibi laudantur Interpretes Ciceronem secutus est Gellius Libr. XVII. c. 21.

[3] De Senectute c. 1.

[4] Cicero ad Divers. Libr. VII. Epist. 1.

[5] Libr. II. Epist. 1. v. 69. sqq.

[6] In Bruto c. 18.

maticis laudatur, ceteroquin pene ignotus [1]. Obstant vero sententia loci, scholion apud Cruquium [2]: « *Livium dicit Andronicum, qui primus omnium Latinas fabulas scripsit,* » tum quod eius poëmata, argumenti lascivioris, haud discipulis suis dictasset Orbilius, senex, homo severus. Secuti tamen sunt Sanadonus aliique, sed refutatus Bentleius est a Weicherto, docta disputatione: *de Laevio poëta* [3].

Melius successit Bentleio in explicando loco, ubi de Naevio est sermo [4]:

> Naevius in manibus non est, et mentibus haeret
> Pene recens?

et iure gloriatur se, interrogationis nota apposita, omnem, quae olim fuisset, discordiam de loci interpretatione sustulisse. Miror fuisse qui Bentleio assentiri dubitarent, inter eos Schuttinm [5], qui nuper legere praetulit:

> Naevius in manibus *nunc* est, et mentibus haeret
> Pene recens.

Ceterum, ut Horatius, ita Cicero sentit, paullo tamen indulgentius de Naevio iudicans: « Illius quem in vatibus et Fannis annumerat Ennius, bellum Punicum quasi Myronis opus delectat [6], » Myro autem

---

[1] Santenius ad Terentianum Maurum p. 233 dubitat, num umquam fuerit poëta Laevii nomine. Refutatur vero a Cl. Lennepio in Addendis cet. p. 433.

[2] In Auctario Comment. veteris p. 694. b.

[3] In Poët. Lat. Rel. prima.

[4] Libr. II. Epist. 1. v. 53. sq.

[5] De Cn. Naevio poëta. 1841. p. 43.

[6] In Bruto c. 19., cf. ibid. c. 15., Orat. c. 45.

fuerat statuarius, cuius signa: « nondum satis ad veritatem adducta, ita tamen quae non dubites pulchra dicere, » iudice ipso Cicerone[1]. Ennius, qui proxime Naevium secutus est, (mortuus enim hic fuerat a. U. C. 550[2], Ennius autem natus 515[3],) quid iam de Naevio iudicaverit, vidimus. Et supersunt ipsius verba quibus Naevium una cum Livio Andronico perstrinxit[4]:

scripsere alii rem
Versibus quos olim Fauni vatesque canebant,

et licebat Ennio utrumque prae se despicere, quod horrido illi Saturnio versui[5], Heroïcum, aliaque metra Graeca substituisset. Fuitque Ennius, uti est apud Lucretium[6],

qui primus amoeno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
Per gentis Italas hominum quae clara clueret.

Ennium, tum in fabulis, tum in Annalibus, Satiris, aliisque generibus, tota fere antiquitas suspiciebat. Ipse Lucilius, etsi ridebat[7]

versus Enni gravitate minores,

idem tamen criticus ille fuit, qui Ennium alterum Homerum habebat[8]:

---

[1] In Bruto c. 18.

[2] L. l. c. 15.

[3] Cicero in Bruto c. 18., Tuscul. Quaest. Libr. I. c. 1.

[4] Ap. Ciceronem in Orat. c. 51., Bruto c. 18. et 19., de Divinat. Libr. I. c. 50.

[5] Libr. II. Epist. 1. v. 158.

[6] Libr. I. v. 118.

[7] Libr. I. Sat. 10. v. 54.

[8] Libr. II. Epist. 1. v. 50. sq.

Ennius et sapiens, et fortis, et alter Homerus,
Ut critici dicunt,

teste S. Hieronymo in Commentar. in Michaeam, c. VII. v. 5.—7.[1]: « Sed et poëta sublimis: (non Homerus alter, ut Lucillus [*al. Lucilius*] de Ennio suspicatur,) sed primus Homerus apud Latinos: *varium*, inquit, *et mutabile semper Femina*. » — Quid Cicero de eo senserit, tum laudes egregiae testantur[2], tum inprimis loci innumeri ab eo ex Ennio laudati, qui prodnnt, illum totum fere Ennium memoria tenuisse. Virgilius enndem saepius imitatns est testibus Scholiastis[3], non alia de causa, uti Seneca suspicatus est[4], « quam ut Ennianus popnlus in novo carmine agnosceret aliquid antiqnitatis, » qui locus egregie firmat, quae apud Horatium legimus de aequalium suorum Ennii, aliorumque veterum poëtarum aestimatione. Laudant eundem Propertius[5] et Ovidius[6]. Et ipse Horatius, qnidquid in eo reprehenderit, Enninm magni facit. Tribuit illi, quod abnegat Lucilio ceterisque, poëtam esse, usus exemplo ex Annalibus petito[7]:

---

[1] T. VI. P. 1. p. 516. In Operum Edit. Venet. 1768. Dubitat C. F. Hermann. in censura libri Heusdiani: de Lucilii Vita, (*Goett. Gel. Anz.* 1843. *p.* 386.) an satis accurate ita tradiderit Hieronymus.

[2] De Oratore Libr. I. c. 45., Tuscul. Quaest. Libr. III. c. 19.

[3] Donatus in Vita Virgilii c. XVIII. § 71., Servius ad Aeneid. Libr. VII. v. 622., alibi.

[4] Locus Senecae exstat apud Gellium Libr. XII. c. 2.: « Ex Libro vicesimo secundo [hodie deperdito] Epistolarum moralium, quas ad Lucilium composuit. »

[5] Libr. III. El. 2. v. 5. sqq.

[6] Art. Amat. Libr. III. v. 409. sq., Amorum Libr. I. El. 15. v. 19., sq.

[7] Libr. I. Sat. 4. v. 60. sqq. Ad eum locum Schol. Cruq.: « *Vestigia dissoluti et lacerati poëtae, id est, versus Enniani,* » et Servius

Non (ut si solvas. Postquam discordia tetra
Belli ferratos postis portasque refregit)
Invenias etiam disiecti membra poëtae,

tum praedicat nihil esse, quod clarius indicet Africani maioris

Laudes, quam Calabrae Pierides[1],

Calabras dicens quod Rudiis, Calabriae oppido, natus esset Ennius, ut ipse testatus est[2]:

Nos sumn' Romani, qui fuvimus ante Rudini;

civitate autem donatus fuerat a Q. Fulvio Nobiliore[3]. Scipionis laudes Ennius celebrarat cum in Annalibns[4], tum in poëmate peculiari[5], cuius fragmenta perpauca, eaque haud certa omnino supersunt[6].

Laudatur praeterea Ennius cum Catone maiore, in Arte Poëtica, v. 56. sqq.:

---

ad Aeneid. Libr. VII. v. 622: « *Belli ferratos rupit Saturnia postes:*) *ἀνυπολογίαν fecit mutando Ennii versum; nam ille ait: Belli ferratos postes portasque refregit.* » Passovius confert Statii Thebaid. Libr. V. v. 145.

[1] Libr. IV. Carm. 8. v. 20.

[2] Cicero de Orat. Libr. III. c. 42., cf. id. pro Archia c. 10., Strabo Libr. VI. p. 281., Pomponius Mela Libr. II. c. 4., Silius Italicus Punic. Libr. XII. v. 396.

[3] Cicero in Bruto c. 20.

[4] Madvigius ad Cic. de Fin. Libr. II. c. 32.

[5] Carmen in laudem Scipionis Satirarum, quas scripsit Ennius, partem fuisse contendit Lerschius *Rhein. Mus.* T. V. *p.* 420. et in *Zeitschrift f. d. Alterthumsw.* 1837. p. 1047. Inspicere mihi non licuit.

[6] Gellius Libr. IV. c. 7., Macrobius Saturn. Libr. VI. c. 2., cf. Cicero Tuscul. Libr. V. c. 17., de Legibus Libr. II. c. 22., Seneca Epist. CVIII. § 32., Porphyrion et Schol. Cruq. ad Horatii Libr. II. Sat. 1. v. 17., Suidas in voce Ἔννιος.

cum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit et nova rerum
Nomina protulerit,

reprehenditur vero in eodem poëmate, v. 258. sq., quod iambus

et in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus et Enni,

cum paullo ante, v. 254. sqq., praecepisset Horatius iambos facile in trimetris cedentes spondeis, in sedibus imparibus, haud ita facile secunda quartave sede dimoveri posse. Leviter praeterea notatur Ennius in Epistola ad Maecenatem, Libr. I. 19. v. 7. sq.:

Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda,

quod quam vere dixerit Horatius, probant ipsius Ennii verba[1]:

Nunquam poëtor, nisi podager,

quo respicit quoque Serenus Sammonicus[2]:

Ennius ipse pater, dum pocula siccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

Superest locus ad interpretandum difficillimus, idem a quo exorditur ipse Horatius in exponendo aequalium suorum de veteribus poëtis Latinis iudicio[3]:

---

[1] Priscianus Libr. VIII. p. 829. Edit. Putsch.

[2] Q. Serenus Sammonicus, de Medicina c. XXXVII. v. 713. ap. Burmannum Poët. Lat. min. T. II. p. 328. Hieron. in Euseb. Chronic. Ol. CLIII. 1.: « Ennius poëta, septuagenario maior, articulari morbo periit. »

[3] Libr. II. Epist. 1. v. 50. sqq.

Ennius et sapiens, et fortis, et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant, et somnia Pythagorea,

quae, quum omnes ante Bentleium, (et multi quoque post,) ita accepissent, quasi in contumeliam Ennii dicta essent, ille verissime observavit tale quid a sententia loci plane alienum esse: « siquidem, » inquit, « omnia, quae hinc ad versum usque 62., de poëtis veteribus habentur, non Horatii iudicio dicta sunt, sed ex vulgi opinione, qui Ennium reliquosque antiquos unice mirabatur et in caelum ferebat. Laudatio igitur Ennii, non utique reprehensio nec vituperatio in his quaerenda erat. Solus adeo hoc vidit Scholiastes Porphyrius, cui bene monenti ascultare debuerunt recentiores. « *Leviter curare, hoc est*, » inquit, « *Securus esse: securus iam de proventu laudis suae est Ennius, propter quam ante sollicitus fuerat.* » Et mox, « *Quo promissa cadant, id est, quem successum habeant: ostendit enim, sine difficultate veteres poëtas solere laudari.* » Nihil verius, nihil doctius. Leviter enim curamus, quae extra aleae discrimen posita esse videmus, de quibus iam securi sumus, per quae iam negligentibus esse licet. Hoc voluit Horatius ex *Criticorum* mente, qui Ennium Homerum alterum vocitabant. » Haec autem, uti loci sententiam egregie declarant, tamen de singulis accuratius videndum erit. Quam enim interpretandi rationem, *somniorum Pythagoreorum*, *Ennii promissorum*, inierunt VV. DD., Scholiastas fere veteres secuti, vereor ut ab omni parte satis firma sit atque munita[1]. Sunt autem scholia ad

[1] Primam suspicionem mihi movit thesis a Doct. Bakhuizen van den Brink suis *variis Lectionibus* subiecta: « Veterum testimonia

Horatii locum laudatum, Acronis ad v. 50.: « *Is Pythagorae animum ad se venisse in somnis dicit et nil de Philosophia scripsit*, » ad v. 51.: « *Nam dixerat in somnis se vidisse quod anima Homeri in ipsum et pavonem transisset. Sed non ita dicit Ennius, ut Homero similis videatur; nam multa levia et indigna authoritate in opera eius inveniuntur*, » et ad v. 52.: « *Licet viderit Ennius in somnis animam Pythagorae in corpus eius venire, non est tamen secutus eum in omnibus, quia Pythagoras scripsit Philosophiam, Ennius versus. Tunc ergo quare inferius scripsit?* » Porphyrionis ad v. 51.: « *Ennius in principio annalium suorum somnio se scripsit admonitum quod secundum Pythagorae dogma anima Homeri in suum corpus venisset*[1]. *Facete somnia Pythagorea dixit ut ipsum et Pythagoram cum sua* μετεμψυχώσει *ridere videatur*, » denique Schol. Cruq. ad v. 50.: « *Ennius et sapiens:*) *Philosophus, nam vidit in somnis animam Pythagorae in suum corpus devenisse, — et fortis:*) *bellicosus, propter animam Euphorbi quae transierat in Homerum*[2], *— et alter Homerus:*) *quia se eius animam habere dicebat.* » Integra scholia prudens descripsi quo magis appareret quam consuta sint, quam incongrua, quam parum digna quibus fides

---

de Pythagorico Ennii somnio tantopere secum pugnant, ut in concordiam redigi non possint, perspicuumque sit non omnes, qui huius mentionem fecerunt, ipsa Ennii verba consulnisse. »

[1] Hoc idem de Stesichori corpore suspicatur Antipater Sidonius Epig. LXXVII. Brunck. Anal. T. II. p. 27.

[2] Heinsius, in Animadvers. in Horat. p. 112. sqq., hoc scholio fretus apud Horatium legebat: « Ennius, et sapiens Enphorbus et alter Homerus. » An sapiens Enphorbus? Fortis omnino erat, v. Homeri Iliad. XVI. 808. sqq. XVII. 80. sq.

habeatur. Secundum tantummodo Acronis scholion genuinum esse puto. Sed corruptum est. Lege: « — *anima Homeri in ipsum ex pavone transisset. Sed non ita* [*Horatius*] *dicit, ut Ennius Homero similis videatur; cet.* » Interpretes tamen locum Horatii ita ad unum omnes enarraverunt, ut Ennius in primo Annalium narrasset, Homerum in somnis ad se venisse sibique dixisse, suam ipsius animam in se, i. e. in Ennium transiisse; cuius rei, praeter scholia landata et nonnulla alia eiusdem farraginis, ad Persium Statiumque, nullum habemus testimonium, praeter unum Persii locum haud satis disertum, de quo infra videbimus. In scholiis autem ad Horatii locum, iam statim apparet, quantum eorum auctores, quos Acronem, Porphyrionemque fuisse non credo, aberraverint a vera interpretatione vocum: « et alter Homerus, » quam supra cognovimus e loco Hieronymi; nihilo tamen minus fides iis habita in ceteris ab interpretibus. In narratione vero, quam de animae Homeri, atque Euphorbi adeo Pythagoraeque, in Ennii corpus migratione exhibent, primum hoc mirum est, quod a nemine eorum qui animae Pythagoreae successionem per varia corpora tradiderint, nec iis modo Graecis: Luciano [1], Jamblicho [2], Porphyrio [3], sed ne Latinis quidem: Ovidio [4], Gellio [5], Tertul-

[1] Dial. Mort. XX., in Gallo c. 19. et 20., Vera Hist. Libr. II. c. 21.

[2] In Vita Pythagorae c. 14.

[3] In Vita eiusdem c. 45.

[4] Metamorph. Libr. XV. v. 160. sqq.

[5] Locum Gellii totum describam: « Pythagoram sicuti celebre est Euphorbum primo se fuisse dictitasse, ita haec remotiora sunt his, quae Clearchus et Dicaearchus memoriae tradiderunt, fuisse eum postea Pyrandrum, deinde Callicleam, deinde feminam pulchra facie

liano [1], Lactantio [2] aliis, quam diverse illius successionis rationem narraverint, einsmodi migratio commemorata fuerit. Tnm praeterea, quod, cum plnres inter Latinos mentionem fecerint de somnio, quod Ennius se habnisse scripserit, in quo Homerum vidisset, nemo ex iis, quos tamen Ennii carmina legisse confidere possimus, eam rem diserte declaraverit. Ex ipsius Ennii fragmentis nihil conficere licet. Sunt duo omnino quae ad hoc somnium pertinent. Alterum apud Ciceronem [3]: « num censes Ennium, quum in hortis cum Ser. Galba, vicino suo, ambulavisset, dixisse, « visus sum mihi cum Galba ambulare? » At quum somniavit, ita narrat:

visus Homerus adesse poëta, »

alterum a Donato Charisioqne [4] servatum: « memini me tum fieri pavum » quae Homeri verba esse ad Ennium docet locus Tertulliani [5]: « Pavum se meminit Homerus, Ennio somniante, sed poëtis nec vigilantibus credam. » Quin etiam, si Suidae fides est habenda, maxime aversus fuit Ennius a tali iactatione ut ipse Homerum sese renatum praedicaret.

---

meretricem, cui nomen fuerat Alce. » Libr. IV. c. 11. An tacuisset Gellius, si ea novisset, quae his ipsis longe remotiora essent a fama vulgari?

[1] De Anima c. 28. p. 285. C., cl. c. 31. p. 287. B. Edit. Rigaltii.

[2] Libr. III. de falsa Sapientia c. 18. T. I. p. 241. Epitom. Div. Instit. c. 30. T. II. p. 26. Edit. Dufresn.

[3] Acad. Libr. II. c. 16. Eodem referendus locus e Libr. II. de Divinat. c. 61.: « Aliquot somnia vera, inquit Ennius. »

[4] Variant aliquantum eo in loco inter se Donatus ad Terentii Andr. Act. II. Sc. V. v. 18., Phorm. Act. 1. Sc. 2. v. 24. et Charisius Instit. Gramm. Libr. I. p. 75. Edit. Putschii.

[5] De Anima c. 33. p. 289. C.

Haec enim Suidas[1]: « Ἔννιος Ῥωμαῖος ποιητὴς, ὃν Αἰλιανὸς ἐπαινεῖν ἄξιόν φησι· Σκιπίωνα γὰρ ἄδων, καὶ ἐπὶ μέγα ἄνδρα ἐξᾶραι βουλόμενος, φησὶ μόνον ἂν Ὅμηρον ἐπαξίους ἐπαίνους εἰπεῖν Σκιπίωνος. Δῆλον δὲ ὡς ἐτεθήπει τοῦ ποιητοῦ τὴν μεγαλόνοιαν, καὶ τῶν μέτρων τὸ μεγαλεῖον, καὶ ἀξιάγαστον· καὶ ὡς ἐπαινέσαι δεινὸς Ὁμηρός ἐστι, καὶ κλέος ἀνδρὸς πυργῶσαί τε καὶ ἆραι ἐξ ὧν ἐπήνεσε τὸν Ἀχιλλέα καλῶς ἠπίστατο ὁ ποιητὴς ὁ Μεσσάπιος[2]. » Mirum sane si idem ille Ennius tam modestus in exordio carminis de laudibus Scipionis, in Annalium initio alterum sese Homerum professus esset. Sed iam de veterum testimoniis de Ennii somnio videamus. Lucretius, postquam observaverat Ennium cecinisse, animam post mortem in alias pecudes sese divinitus insinuare, ita pergit[3]:

> tamen esse Acherusia templa
> Ennius aeternis exponit versibus, edens:
> Quo neque permanent animae, neque corpora nostra,
> Sed quaedam simulacra modis pallentia miris:
> Unde sibi exortam semper florentis Homeri
> Commemorat speciem, lacrumas et fondere salsas
> Coepisse, et rerum naturam expandere dictis.

Simulacrum igitur Homeri, si vera est vulgaris narratio, suam ipsius animam rerum naturam docuit.

---

[1] In voce Ἔννιος.

[2] Ultima verba lucem accipiunt e versu Silii Italici Punic. Libr. XII. v. 393: « Eunius antiqua Messapi ab origine regis, » et ex scholio Servii ad Aeneid. Libr. VII. v. 691.: « *At Messapus equum domitor, Neptunia proles:) Hic Messapus per mare ad Italiam venit unde Neptuni dictus est filius. — Ab hoc Ennius dicit se originem ducere: unde nunc et cantantes inducit eius socios et eos comparat cygnis.* »

[3] Libr. I. v. 121. sqq.

Nihil vero eiusmodi apud Lucretium. Et Cicero Ennii somnium cum somnio illo comparans, quod Scipionem minorem habuisse finxit[1], « Fit enim fere, » inquit, » ut cogitationes, sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet saepissime vigilans solebat cogitare et loqui. » Num vero somniavit Scipio avi sui animam in suum corpus migrasse? — Neque ex Propertii[2] loco tale quid suspicari licet:

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos, et regum facta tuorum,
Tantum operis nervis hiscere posse meis:
Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
Unde pater sitiens Ennius ante bibit,
Et cecinit Curios fratres, cet.

Disertius autem Persius loquitur[3]:

Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Maeonides Quintus, pavone ex Pythagoreo,

ad quem locum exstat scholion, Cornuto tributum, quod sic se habet[4]: « *Sic Ennius ait in annalium suorum principio, ubi se dicit vidisse Homerum dicentem fuisse quondam pavonem et ex eo translatam esse animam in se secundum Pythagorae philosophi definitionem qui dicit*, cet. *ideo quintus dicit propter eam opinionem quae dicit animam Pythagorae in pavonem translatam, de pavone vero in euphorbium, de euphorbio in Homerum, de Homero in Ennium*, » quocum consentit Lutatii

[1] In Somnio Scipionis c. 1. (de Rep. Libr. VI. c. 10.)
[2] Libr. III. El. 2. v. 1. sqq.
[3] Sat. VI. v. 10. sq.
[4] In Edit. Venet. 1490.

scholion [1] ad Statii Theb. III. 484.: *in nova semina:*) *— ut Horatius: Nec te Pythagorae fallunt arcana renati: primum enim anima eius in euphorbum migrasse dicitur troiano praelio dum de clypeo ageretur danai depositione fixum, secundo in pythagorae, tertio in pavonis, quarto in homeri, quinto in Ennii poëtae.* » En scholiastae, qui quum ex locis Horatii Persiique male intellectis confecissent Homeri animam primum in pavonem post in Ennium transiisse, atque aliunde scirent Pythagoram praedicasse, se belli Troiani tempore Euphorbum fuisse, duas hasce successiones in unam coniunxerunt, cui vocem *quintus* aptaverunt, ita ut Ennii corpus quintum fuisset quod anima ipsius habitasset. Placuit hoc commentum Interpretibus nescio quot, et Plumius ad Persii l. l. dilogiam in voce *quintus* invenit ita ut tum Ennii praenomen, tum nomen numeri esset, haud observans Enniuni, quintum pavone ex pythagoreo, dici non posse nisi successio illa, cui fidem habet, incepisset a pavone, quod tamen haud ita traditur ab utrovis scholiasta. *Quintus* vero praenomen Ennii est et scribendum prima litera maiuscula, uti scribitur apud Priscianum in editione Putschii [2]. Verum enimvero ante alia omnia duae illae successiones inter se sunt distinguendae, ut facit Tertullianus, qui quum uno in loco [3], quem vidimus, de Homero quid Ennius somniasset, tradidisset, altero [4], animae Pythagoreae per

[1] In Statii Edit. Rom. 1475.

[2] Priscianus Libr. X. p. 903., cf. Charisius Instit. Gramm. Libr. I. p. 75., M. Valerii Probi Catholica p. 1487.

[3] Vid. supra p. 55.

[4] Vid. ibid. n. 1.

varia corpora transmigrationem narravisset, tertio [1] utriusque, sed inter se distinctae, simul mentionem facit: « Sed Platonici immortalem animam e contrario reclamant: immo adhuc proxime etiam in corpora remeabilem affirmant; etsi non in eadem, etsi non in humana tantummodo; ut Euphorbus in Pythagoram, Homerus in pavum recenseantur. » Haec Tertullianus, vir totius antiquitatis peritissimus, quem ita in auxilium vocant Merula [2], Spangenbergius [3], Plumius [4], quasi eodem stupore quo Persii Scholiastes, successionem fere eandem animae Euphorbi per corpora Pythagorae, Homeri, pavi, Ennii constituisset. Missis vero Cornuto, siquidem Cornutus fuerit, Lutatioque, ne Porphyrionis quidem simpliciori narrationi fidem habendam esse censeo, tum propter silentium scriptorum, qui de Ennii somnio tradiderunt, tum propter Suidae de Ennii modestia testimonium, tum denique propter Ciceronis cum Scipionis somnio comparationem. Locos Persii Horatiique ita explico ut scripserit Ennius in principio Annalium, se, cum esset in Graecia, dormivisse in Parnasso, sibi visum esse in somnis Homerum adesse poëtam, hunc se rerum naturam, ex sententia pythagoricorum docuisse, hunc denique *spiritum* suum, quo audacter ipse, Ennius, arduum Annalium opus aggrederetur, ei adflasse. Hinc *promissa* illa in principio Annalium [5]:

---

[1] De Carnis Resurrect. c. 1. p. 326. A. Cf. de Anima c. 34. p. 290. B.

[2] In Commentar. in Ennii Annal. p. lxix.

[3] E. S. in Ed. fragm. Annal. Q. Ennii p. 4.

[4] In Edit. Persii p. 502.

[5] Versum ex L. Calpurnii Pisonis Libr. I. de Continentia veterum Poëtarum descripserat Merula: « *Promittit* omnia ad suam usque aetatem heroice Ennius: Horrida cet. » Librum illum Merula Pa-

Horrida Romolcûm certamina pango duellûm.

Hinc illud: « Scripsere alii rem cet. » Persius autem, Ennii irridendi causa, hanc narrationem duce Horatio ita exposuit, quasi Ennius *animam* Homeri in suum corpus transiisse professus esset. Legendum autem puto apud Persium:

Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Maeonides, Quinti pavone ex Pythagoreo.

Ennius, postquam non amplius somniabat se esse Homerum, factus est rursus Q. Ennius ex illo pavone, ex quo pavone, ut somniaverat, anima Homeri in suum corpus transmigravit. Ita Persium, at animi causa, tradidisse puto. Ansam autem huic explicationi mihi dedit scholion, quod legitur apud Barthium[1], ad Persii prologum v. 1. sqq.:

Nec fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic poëta prodirem,

ubi Scholiastes Barthianus: « *Parnassus mons est in *eta, in quo duae civitates, Nysa et Cyrrha. Inter illas civitates Ennius scribit se dormivisse, et ibi spiritum Homeri in se venisse, quem irridet Persius*, » rectius procul dubio quam Cornutus, qui hoc quoque loco de *animae* Homeri in Ennii corpus migratione cogitat: « *Tangit enim*, » inquit, « *Ennium qui dicit se vidisse in parnasso somniando*

---

risiis descripserat in bibl. S. Victoris. Vid. in Praef. p. α'. Dubitat Matth. Hochius in libro de Enn. Ann. fragm. a P. Merula auctis, Bonn. 1839. p. 14., an versus sit Ennii, tum pag. 6. sqq. an omnino liber ille Calpurnii exstiterit.

[1] In Adversar. Libr. LVI. c. 2.

homerum sibi dicentem quod eius anima in suo esset corpore. »

Pergendum vero est in enarrando Horatii loco ex Epistola ad Augustum [1]:

> Ambigitur quotiens, uter utro sit prior, aufert
> Pacuvius docti famam senis, Accius alti,

Prorsus eodem modo diu post iudicatum fuisse legimus apud Quintilianum [2]: « Tragoediarum scriptores, » inquit, « Accius atque Pacuvius, clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere et auctoritate personarum. Ceterum nitor, et summa in excolendis operibus manus, magis videri potest temporibus quam ipsis defuisse. Virium tamen Accio plus tribuitur: Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt. » Scholiastae autem Cruq. ad l. l. annotatio haec est: « *Senis:*) *Sophoclis. Alti:*) *Euripidis.* » Repetita etiam a recentioribus, haud probanda tamen. Nomen enim *alti* rectius Sophocli, *docti* Euripidi tribuitur [3]. Tum praeterea Accius plus quam Pacuvius versatus fuerat in Sophoclis tragoediis, ex quibus sedecim in Latinum sermonem converterat, Pacuvius modo quinque. Et Euripidis nomen Ennio potius conveniret quam aut Pacuvio aut Accio. Quindecim enim Euripidis fabulas latinas fecerat Ennius, Pacuvius unam, Accius sex [4]. Senex vero cum Pacuvius tum Accius recte dicuntur. Pacuvius octoginta annos natus fabulam docuit simul cum

---

[1] Libr. II. Epist. 1. v. 55. sq.

[2] Instit. Orat. Libr. X. c. 1. § 97.

[3] Dionys. Halic. in Censura Sophoclis et Euripidis.

[4] F. G. Welcker, *die Griech. Tragoedie cet.* III *Abth. p.* 1342.

Accio triginta annos nato [1]. Accius, natus a. 584. teste Hieronymo, saepius locutus est cum Cicerone [2], qui natus fuerat a. 648, et vidit Julium Caesarem [3]; intelligendus autem est C. Julius Caesar Vopiscus [4], qui vir aedilicius periit a. 667 [5]. — Pergit Horatius [6]:

> Dicitur Afrani toga convenisse Menandro:
> Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi:
> Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte:

Togam Afranii dicit, propterea quod in togatis fabulis excelluerat Afranius [7]. Menandro autem convenisse dicitur illius toga propterea, quod multas ex illo expresserat fabulas, ita ut, si Menander Latina scripsisset, haud aliter scripturus fuisset. Hanc ipsam autem Menandri imitationem vivo Afranio aequales exprobraverant, uti apud Macrobium legimus [8].

Menandrum Terentius quoque imitatus fuerat, cuius comoedias habemus [9]. Caecilius etiam, haud

---

[1] Cicero in Bruto c. 64.

[2] Id. ibid. c. 28.

[3] Valerius Max. Libr. III. c. 7. n. 11.

[4] Orellius in Onomast. Tulliano in voce *Accius*.

[5] Cicero in Bruto c. 89.

[6] Libr. II. Epist. 1. v. 56. sqq.

[7] Vellcius Libr. II. c. 9., Quintilian. Instit. Orat. Libr. X. c. 1. § 100. Scholion ad l. l. Scholiastae Cruq.: « *Praetextatae et Togatas scripserunt Elius Lamia, Antonius Rufus, Cn. Melissus, Afranius, Africanus Pomponius*, » negligenter descriptum puto ex Acronis scholio: « *Praetextatam quidam autem dicunt tragoediam, comoediam autem togatam, et togatae scripserunt Aelius Lamia cet.*, » omisso illo *Africanus*.

[8] Saturn. Libr. VI. c. 1., cf. Cicero de Finibus Libr. I. c. 3.

[9] Ex Heautontimorumeno personam Menedemi Horatius in exemplum affert hominis miseri et laboriosi. Libr. I. Sat. 2. v. 19. sqq.:

meliore successu, iudice Gellio, quam Afranius, ex sententia Horatii: « Caecilium, » inquit Gellius [1], « non puto sequi debuisse quod assequi nequiret. » Et de Terentio habemus Julii Caesaris iudicium [2]:

> Tu quoque, tu in summis, o dimidiate Menander,
> Poneris, et merito, puri sermonis amator.
> Leviter atque utinam scriptis adiuncta foret vis
> Comica, ut aequato virtus polleret honore
> Cum Graecis, neque in hac despectus parte iaceres.
> Unum hoc maceror, et dolco tibi deesse, Terenti.

De Afranio autem satis humiliter iudicavit Sedigitus, in Libro de Poëtis [3], nullo eum loco inter Comicos habens, primum locum Caecilio, nonum Ennio tribuens. Videmus tum de Afranio, tum de Caecilio Terentioque, praeter Horatium, fuisse qui a vulgi iudicio dissentirent. MENANDER, egregius Comicus, ordini scriptorum novae comoediae ab Alexandrinis adscriptus, materiem imitatoribus satis largam reliquerat. Scripserat enim comoedias amplius centum [4]. Erat inter illos auctores quos Horatius maximi ducebat [5]. — In sequentibus versibus:

> ita ut pater ille, Terenti,
> Fabula quem miserum gnato vixisse fugato
> Inducit, non se peius cruciaverit atque hic.

Perperam contra in Epod. I. v. 33.: « avarus ut Chremes, » Acron et Schol. Cruq. Chremetem Terentianum intellexerunt, qui diverso ingenio est. Boettigerus, teste Mitscherlichio, eo in loco Chremetem e Menandri Thesauro intelligendum esse censuit.

[1] Gellius Libr. II. c. 23.

[2] Ap. Suetonium in Vita Terentii.

[3] Ap. Gellium Libr. XV. c. 24.

[4] Ibid. Libr. XVII. c. 4.

[5] Libr. II. Sat. 3. v. 11.

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi:
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte,

Varronis iudicium est quod Horatius expressit, hodie etiam servatum apud Nonium[1]: « Varro Parmenone: In argumentis Caecilius poscit palmam, in ethesin Terentius, in sermonibus Plantus, » et apud Charisium[2]: « ἦθη, ut ait Varro, de Latino Sermone Libr. V., nulli alii servare convenit, inquit, quam Titinnio et Terentio, πάθη vero Trabea, inquit, et Attilius et Caecilius facile moverant. » Idem autem tanta admiratione Terentii captus erat, ut eius Adelphorum principium vel eorundem Menandri principio praeferret[3], et servavit[4] nobis sententiam eiusmodi admiratoris, qualem Horatius depingit, Aelii Stilonis: « Musas Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent. » Moderatius saltem laudator ille Horatianus, Plautum properare contendebat ad exemplar Epicharmi. Dissentiunt Interpretes de vera sententia vocis *properare*. Schol. Cruq. ita exponit: « *properare:*) *appropinquare laudi Epicharmi*, » quod divinare potius est quam interpretari. J. A. Fabricius[5] ita dictum fuisse ab Horatio censuit, non adeo quod Plautus Epicharmi fabulas expressit, quam quod, ut ille Graecas, ita hic Latinas cum singulari laude composuit. Quae, etsi verissimum sit Plautum fabulas suas, diversissimis argumentis ab Epicharmi fabulis, ex illo non potuisse exprimere, tamen vim

---

[1] De varia significatione Sermonum in voce *Poscere*.
[2] Instit. Grammat. Libr. II. p. 215. Ed. Putschii.
[3] Suetonius in Vita Terentii.
[4] Ap. Quintilian. Instit. Orat. Libr. X. c. 1. § 99.
[5] Biblioth. Lat. V. II. p. 1.

vocis *properare* non declarant. Bergkius [1] haec annotavit: « Quod numeri essent asperi et inconditi in Epicharmo notavit Horatius ubi Plautum ad Siculi poëtae exemplum se conformasse contendit. Nam nimiam festinationem, maxime in versibus componendis reprehendit in Plauto, » ubi primum observandum est, Plautum hoc versu culpari non posse. Inde enim a versu 50., ut paullo post ostendit ipse Bergkius in eadem annotatione, non Horatii iudicium exhibetur, sed eorum qui veteres illos poëtas tantopere admirabantur; tum praeterea non credo Horatium quicquam scripsisse quo Epicharmi laudibus detrectaret. Is enim erat Epicharmus, quem vel Plato [2] inter principes comoediae referebat, cum ipso Homero componebat. Siculus dicitur ab Horatio, quod obiter observandum, uti etiam a Cicerone [3], non quod natus esset in Sicilia, sed quod educatus; trimestris enim ex patria Co delatus fuerat Syracusas [4]. Locum autem Horatii bene interpretatum fuisse puto Zellium [5], qui *properare* in laudem Plauti accepit et cogitat de celeritate et facilitate sermonis atque actus alacritate, quales in comoedia actus et sermonis esse decet. Eodem referendum esse censeo, quod dixit Varro, ut supra vidimus, Plautum palmam poscere sermonibus. Altero etiam in loco in eadem Epistola

---

[1] Th. Bergkius Comment. de Reliq. Com. Att. p. 146.

[2] In Theaeteto p. 152. E.

[3] Ad Atticum Libr. I. Epist. 19.

[4] Diog. Laërt. Libr. VIII. § 78.

[5] In Edit. Epist. 1. Libr. II. Horatii, p. 30. Zellii verba haec sunt: « *Von dem rascheren, schnelleren Gang der Handlung, und der Sprache, der grossteren Beweglichkeit des Spieles, welche dem Lustspiel eigen ist.* »

ad Augustum, Plautum Horatius carpit, vs. 168. sqq.:

Creditur, ex medio quia res arcessit, habere
Sudoris minimum; sed habet comoedia tanto
Plus oneris, quanto veniae minus, aspice, Plautus
Quo pacto partis tutetur amantis ephebi;
Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi:

Obiicitur Romanis, in Epistola ad Pisones [1], quod, quam libertatem concesserant Caecilio, at quanto auctori, — malae latinitatis, inquit Cicero [2], — Plautoque fingendi vocabula nova, eandem negarent Virgilio Varioque:

Quid autem?
Caecilio Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio Varioque? Ego cur adquirere pauca,
Si possum, invideor? cum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit et nova rerum
Nomina protulerit.

Est denique locus in Epistola eadem ubi vehementius in Plautum invectus est Horatius quam in quemvis alium fuerat [3]:

At vestri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati [4]: si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

quem quum omnes, quod sciam, Interpretes, neque iniuria, in Plauti vituperium accepissent, solus

[1] Vs. 53. sqq.

[2] Ad Atticum Libr. VII. Epist. 3.

[3] Vs. 270. sqq.

[4] Dissentit Cicero, qui Plautum urbanum et facetum vocabat, de Offic. Libr. I. c. 29. Atqui semper suis Romanis favebat Cicero, uti observat Cl. Reenenius ad vs. 270.

Boschius [1] versus laudatos nil nisi lusus iocosque continere censuit, Plautum ab ipso Horatio laudatum quoque esse putans in Epistola ad Augustum, quod longe secus esse supra iam vidimus. Horatii autem severissima Plauti censura bilem movit J. C. Scaligero, Turnebo, Camerario, aliis, quorum sententias recensuit diiudicavitque Lessingius in Commentario de Vita Operibusque Plauti [2]. Ceterum, quod multi ad illustrandum Horatii locum laudatum abusi sunt epitaphio Plauti, quod legitur apud Gellium [3]:

> Postquam morte datu' st Plautus, comoedia luget;
> Scena est deserta; deinde risus, ludu', iocusque
> Et numeri innumeri simul omnes collacrumarunt,

ubi numeros innumeros intelligunt numeros solutos, ad prosam orationem accedentes, in eo falluntur. In epitaphio enim seu ipsius Plauti fuerit, ut Varro tradidit, seu auctoris cuiusvis, perstringendi vel irridendi Plautum locus non erat. *Innumeri* autem iungendum esse censeo tum cum *numeri*, tum etiam cum *risus*, *ludu'*, *iocusque*, ut epigrammatis auctor respexerit largum proventum [4] risuum, ludorum, iocorum, numerorum, quibus Plautus scenam ditaverat.

Exposito aequalium suorum iudicio de Naevio, Ennio, Pacuvio, Accio, Afranio, Plauto, Caecilio, Terentioque, principibus inter veteres Scenicos poëtas, subiungit Horatius [5]:

---

[1] In Observat. ad Anthol. Graecam T. IV. p. 140. sq.
[2] In Operum Edit. Berolini, 1838. T. III. p. 14. sqq.
[3] Libr. I. c. 24.
[4] Gellius Libr. III. c. 3.
[5] Libr. II. Epist. 1. v. 60. sqq.

Hos ediscit, et hos arto stipata theatro
Spectat Roma potens; habet hos numeratque poëtas
Ad nostrum tempus Livi scriptoris ab aevo.

Supersunt, qui aliis in locis memorantur, Dossennus, Atta, Pupius. Dossennus a Plinio[1] *Fabius Dossennus* vocatur. Addit Harduinus in *Indice Auctorum* ad Plinium, *Mundus* ei cognomen fuisse. Schol. Cruq. illum Atellanas scripsisse dicit. Refertur a Doct. Bergmanno[2] ad aetatem Ennii et Cethegi. Horatius, satis acerbe: « aspice, » inquit[3],

Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis:
Quam non adstricto percurrat pulpita socco[4].
Gestit enim nummum in loculos demittere; post hoc
Secnrus, cadat an recto stet fabula talo.

Poëtis pro fabulis praemium solutum fuisse exemplum habemus apud Suetonium in Vita Terentii: « *Eunuchus* — meruit pretium, quantum nulla antea cuiusquam comoedia, id est, octo milia nummum. » Epitaphium Dossenni, seu partem potius epitaphii, nobis servavit Seneca[5]: « *Sapientia* est quam Graeci *σοφίαν* vocant. Hoc verbo Romani quoque utebantur, sicut *philosophia* nunc quoque

---

[1] Nat. Hist. Libr. XIV. c. 13.

[2] De Litt. Condit. ap. Romanos. p. 16.

[3] Libr. II. Epist. 1. v. 173. sq.

[4] Hunc versum in Terentii laudem convertit Ausonius Idyll. IV. v. 58. sqq.:

Tu quoque, qui Latium lecto sermone, Terenti,
Comis et adstricto percurris pulpita socco,
Ad nova vix memorem diverbia coge senectam.

[5] Epist. LXXXIX. § 5. et 6. Edit. Fickerti.

utuntur. Quod et togatae tibi antiquae probabunt, et inscriptus Dossenni monumento titulus:

Hospes resiste, et sophian Dosseni lege. »

Singularis prorsus sententia fuit quorundam Interpretum veterum, teste Th. Schmidio, non poëtam Dossennum apud Horatium designari, verum personam aliquam ex deperdita Plauti comoedia.

Sequitur T. Quintius Atta, togatarum scriptor, quarum fragmenta apud Grammaticos supersunt. De eo Horatius [1]:

Recte necne crocum floresque perambulet Attae
Fabula, si dubitem; clament periisse pudorem
Cuncti pene patres: ea cum reprehendere coner,
Quae gravis Aesopus, quae doctus Roscius egit.

Annotant Scholiastae, Acron: « *Atta togatarum scriptor tragoediarum (?) vel comoediarum fuit antiquus, qui in suis dictis, ita florum genera repetit et numerat, ut sine dubitatione reprehendendus sit ob nimiam loquacitatem.* » Porphyrion: « *Atta togatarum scriptor, in fabula, quae inscribitur Materterae, ita florum genera enumerat, ut sine dubio reprehendendus sit ob nimiam loquacitatem.* » Schol. Cruq.: « *Fabula:) quae inscribitur matertera. — Recte necne perambulet crocum floresque:) i. e., in scenam recepta sit, quae floribus et croco spargitur.* » Videtur scena in fabula Matertera, quam praeter Scholiastas nemo commemorat, floribus fuisse ornata, seu in hortis crescentibus, seu in coronas sertaque connexis, cuius rei, etiamsi exemplum nusquam legimus [2], ita tamen fieri

[1] Libr. II. Epist. 1. v. 70. sqq.
[2] Weichertus Poët. Lat. Rel. p. 345.

potuisse, nemo negabit. Contra nota res est scenas crocino unguento fuisse conspersas[1]. Annotavit Cruquius ex Festo[2], *Attas* appellari, qui propter vitium crurum aut pedum plantis insistentes, potius attingere terram quam ambulare viderentur, quod cognomen, inquit Festus, Quintio poëtae adhaesit. Observavit Casaubonus, ad Suetonii Vit. Tiberii c. 1., vocem *Atta* Sabinam esse, originis Graecanicae, ut plerasque Sabinorum, dictam παρὰ τὸ ἄττειν, quod *subsilire* significat, nusquam ferme pedem figere, unde ἄττειν δεῦρο κἀκεῖσε, quod necessario iis evenit, qui non ὅλῳ ποδὶ βαδίζουσι sed in primos pedes insistunt. Apud Festum pro: « *aut pedum plantis insistunt,* » legit: « *pedum primis plantis insistunt.* » Videtur Cruquius, propter locum quem affert ex Festo, dilogiam quaesivisse apud Horatium, ut hic tum ipsius Attae, tum fabulae illius cursum impeditum notaverit. Atqui haud dicit Horatius, Attam ipsum crocum floresque perambulare, loquitur vero de Attae fabula, Matertera dicta, testibus Scholiastis. Haec proprie dicitur crocum floresque perambulare, quibus scena erat respersa, tum praeterea notatur putida illa florum generum enumeratio, quam antiqui interpretes, unde Acron et Porphyrion sua scholia composuerunt, iam in ea fabula reprehenderant. Reprehendit quoque Horatius. At aequales mirabantur. Lusit ergo Horatius in ambiguo, aliter vero quam volebat Cruquius.

---

[1] Lucretius Libr. II. v. 416., Ovidius Art. Amat. Libr. 1. v. 104., Propertius Libr. IV. Eleg. 1. v. 15., Seneca Epist. XC., Martialis de Spect. Epig. 3., Libr. V. Epig. 25. v. 7. sq.

[2] De Verborum signif. Libr. 1.

Pupius agmen claudat veterum Scenicorum, etsi dubitatum est utrumne Horatii temporibus adhuc in vivis fuerit. Eius fabulas id temporis adhuc fuisse datas, apparet e loco ubi acute illum cavillatur Horatius[1]:

Ut propius spectes lacrimosa poëmata Pupi.

Annotat Acron: « *Puppius tragoediographus ita affectus spectantium movit, ut eos flere compelleret. Inde istum versum fecit: Flebunt amici et bene noti mortem meam: Nam Puppius in me vivo lachrymatus est.* » Melius Schol. Cruq.: — *inde distichon fecit: Flebunt amici et bene noti mortem meam, Nam populus in me vivo lacrymavit satis.* » Legit Sanadonus:

Flebunt amici et bene noti mortem meam,
Nam populus me vivo lacrymatus est satis.

Burmannus in Anthol. Latina ad Libr. II. Epig. 213. V. I. p. 406.:

Flebunt amici et bene noti mortem meam
Nam populus etiam vivo me lacrumatus est.

Equidem veram lectionem apud Schol. Cruq. esse puto:

Flebunt amici et bene noti mortem meam:
Nam populus iam me vivo lacrymavit satis.

In quo est egregia antithesis. Amici et bene noti tantum flebunt nunc, quum mortuus sum. Populus non flebit. Iam satis olim, quum vivebam, propter me flevit. Vox *lacrimosa* apud Horatium ambiguae significationis est, ut *miseranda* apud Ciceronem in

[1] Libr. I. Epist. I. v. 67.

nota historia de Catulo, qui malo cuidam oratori roganti, videreturne misericordiam auditoribus movisse, respondit: ac magnum quidem, neminem enim puto esse tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit [1].

§ 6.

Haud facile personam invenias apud quemvis scriptorem, quae largiorem disputandi materiem praebuerit quam Lucilius apud Horatium. De genere, censu, carminibus, aetate, de omnibus fere quae ad illum pertinent, in varias partes abierunt Interpretes. « Quot capitum, » inquit Horatius ad Trebatium [2], ubi sese Lucilium in Satiris imitatum esse profitetur, « tot studiorum millia,

Me pedibus delectat claudere verba,
Lucili ritu, nostrum melioris utroque.
Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris; neque si male cesserat, usquam
Decurrens alio, neque si bene: quo fit ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis.

Iam statim altercatio movetur de voce *senis*. Natus enim Lucilius est, teste Hieronymo, Ol. CLVIII. 1., mortuus Neapoli, ac publico funere elatus, Ol. CLXIX. 2., aetatis a. XLVI. Cum vero senex haud recte dicatur qui annum XLVI. non complevit, Cruquius et Fr. Dousa [3] satis infeliciter in auxilium vocaverunt legem Regis Servii Tullii, qua, qui

[1] Cicero de Oratore Libr. II. c. 99.

[2] Libr. II. Sat. I. v. 27. sqq.

[3] In notis ad Lucilii reliquias p. 98. Edit. L. B., 1597.

infra a. XLVI. erant inter *iuniores*, qui vero supra inter *seniores* referebantur[1]. Aliam viam iniit Casaubonus, ad locnm Persii Sat. I. v. 123. sq.:

Audaci quicunque affiate Cratino
Iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,

haec annotans[2]: « Sene, i. e. Aristophane, quem senem vocat ob monendi increpandique partes, quas sustinet in fabulis, non propter aetatem. Sic senem Horatius vocat Lucilium in Satiris. Nam Lncilium annum aetatis XLVI. non excessisse testis est Eusebius in Chronicis. » Erat magnus vir Is. Casaubonus, quem tamen in Persii loco interpretando verum non vidisse pnto. Monendi enim increpandique partes, vel irridendi potius et perstringendi, Eupolis atque Cratinus non minus quam Aristophanes sustinuerunt. Quid ergo Aristophanes prae illis senex propter eas partes vocaretur. Haud rectius alii *senex* hoc loco pro *priscus* acceperunt. Vixit enim eodem tempore, vel etiam posteriore, Aristophanes, quo Cratinus atque Eupolis floruerunt. Sunt qui putent Aristophanem propter aetatem, quam valde provectam attigisset, senem dici. Nos enim etsi ignoramus, qua aetate obierit Aristophanes, scire hoc potuit Persius. Atqui vix attigerit ille aetatem tam provectam, ut cum Cratino compositus *praegrandis senex* dici possit. Attigit enim Cratinus annum nonagesimnm septimum[3]. Perreavius tum Aristophanem, tnm Eupolidem quoque Cratinumqne *senes* dictos esse putat

[1] Gellius Libr. X. c. 28.
[2] P. 116. in Edit. Duebueri. Lipsiae, 1833.
[3] Lucianus in Longaevis c. 25.

propterea, quod *priscam* comoediam scripsissent, Aristophanem vero praegrandem, quod inprimis in ea excelluisset. Atqui sermo apud Persinm est de uno tantummodo sene, non de pluribns senibus. Nescio an aliquid dicam, mihi locus ita interpretandus esse videtur, ut praegrandis senex ipse sit Cratinus, nulla prorsus Aristophanis mentione facta. Dixerit igitur poëta: Qnicunque, afflate Cratino, palles iratum Eupolidem una cum illo praegrandi sene Cratino. Cratinus autem quin optimo iure praegrandis senex vocari potnerit, non est quod dubitemus. — Nec placet quod Lucilius apud Horatium propter eam causam, quam vult Casaubonus, senex dictus fuerit. Agitur enim illo in loco de more Lncilii vitam suam in libris describendi, minime de monendi alios increpandique partibus. Idem tamen Passovius etiam censuit. Haec igitur quum Cruquius, Dousa, Casanbonus frustra tentassent, ultro progressus Baylius fidem Hieronymi est aggressus, Lucilium post a. 650. (Fast.) mortuum fuisse et propria vocis significatione senem ab Horatio dictum esse statnit[1], propterea qnod apnd Lncilinm mentio fiat legis Liciniae, sumtuariae, latae, ut putabat

[1] In *Dict. Hist.* in voce. Statuit idem Lucilium prius natum fuisse quam a 605. (Fast.) quod militasse eum legimus bello Numantiuo sub P. Africano, vid. Vell. Libr. II. c. 9., Africanus autem bellum gessit Numantinum per annos 620. et 621., aetatis Lucilii XV. et XVI. Atqui contra observarunt Vargesius et Heusdius, (loeis mox laudaudis,) adolescentes id temporis non raro ante a. XVII. militiam fecisse, vid. Livius Libr. XXV. c. 5. Idque Ti. Gracchi exempio probaverunt, uti apparet ex Plutarcho in Vita C. Gracchi c. 1. el. Vitae Ti. Gracchi e. 4. Quam praematuram militiam postea lege sustulit C. Gracchus, vid. Plutarchus lu Vita c. 5.

Baylius a. 656. (Fast.), quo anno consulatum agebat P. Licinius Crassus [1]. Baylium secuti sunt Dacerius, Heindorfius, multique alii, Wuellnerus [2] vero contendit verisimilius esse, Crassum legem illam tulisse in praetura quam gessit a. 651 [3], ante mortem Lucilii, si quidem illius mors eodem anno accidit. Latam a Crasso praetore putabat propter locum Macrobii Saturn. Libr. II. c. 13., tradentis plerasque leges sumtuarias a praetoribus aut tribunis plebis esse promulgatas. Est autem nulla lex reliqua sumtuaria, quam praetor promulgare potuit, praeter illam Liciniam. Pighius eandem prius etiam latam fuisse statuebat a, Crasso tribuno plebis a. 644 [4]. Ei assensus est Vargesius in *Quaestionibus Lucilianis* [5]. Doct. Heusdius contra in libro: *Studia Critica in C. Lucilium poëtam* inscripto [6], cum Baylio facit, a. demum 657. legem Liciniam latam esse contendit. Idem Lucilium longe post vixisse censuit; legem Calpurniam de qua Lucilius [7]:

---

[1] Edit. Fr. Dousae p. 16. fr. ex incert. ann. libr. 133. et 134., Edit. Bipont. p. 180.

[2] F. Wuellnerus de Laevio poëta in *Allg. Schulzeit. Dec.* 1830. n°. 155.

[3] Ita Pighius ad a. 650. (Fast.), T. III. p. 156.

[4] A. 643. (Fast.), Tom. III. p. 122. Meyerus in Fragm. Orat. Rom. p. 184. (Edit. primae, secundam non vidi,) in eo erraverat, quod legem a Pighio ad annum 647. relatam esse dixisset. Hoc dum corrigit Orellius, in Edit. Ciceronis Vol. VIII. p. 275., novum errorem ipse committit, annotans: « Pighius eam — a. u. 642. adscripsit. » Meyerum sequi non debuerat Petermannus in censura libri Doct. Heusdii, statim laudandi, in *Neue Jahrbuecher f. Philol. u. Paedag. XXXIX. Bd. p.* 147.

[5] In *Rhein. Museum.* 1835. V. III. *p.* 42.

[6] J. A. C. van Heusde, l. l. p. 21. sqq.

[7] In Edit. Fr. Dousae Sat. Libr. XX. fr. 4. p. 61., Edit. Bipont. p. 217.

Calpurni saevam legem Pisonl' reprendi,
Eduxique animam in primoribu' naribus;

illam *de ambitu* esse putans, latam a. 687. a C. Calpurnio Pisone Cs., haec enim severissime scripta fuit, teste Cicerone [1], id quod haud constat de altera Calpurnia lege, *de repetundis*, quam tulit L. Calpurnius Piso, Tribunus plebis a. 605 [2]. Hanc tamen a Lucilio designatam fuisse, sententia est Cl. Hermanni in censura quam egit de libro Heusdiano, modo laudato [3]; legem praeterea Liciniam a Crasso praetore latam fuisse idem, cum Wuellnero, statuit tum cetera quoque redarguit argumenta quibus Heusdius sententiam suam, Lucilium etiam ultra a. 687. vixisse, itaque proprie senem ab Horatio dictum fuisse, adstruxerat; Hieronymo denique suam fidem integram restituit, vocem *senis* apud Horatium pro *prisci* positam esse docens, allatis exemplis ex Ovidio Trist. Libr. III. El. 3. v. 62, Propertio Libr. II. El. 34. (al. 25.) v. 30., Statio Silvarum Libr. I. Carm. 2. v. 253., Martiale Libr. VII. Epig. 69. v. 3. Ita Cl. Hermannus. Observare tamen liceat omnibus iis in locis sermonem esse de viris revera *priscis*, i. e. iam dudum antea vita functis [4], Lu-

[1] Cicero pro Murena c. 23., Dio Cassius Libr. XXXVI. c. 21.

[2] De illa lege cf. Orellius in Indice Legum, Edit. Ciceronis Vol. VIII. p. 146. sq. Eandem quam Heusdius, *de ambitu*, apud Lucilium intelligebat Donsa in Lucilii Edit. p. 131. parum sibi constans Lucilium enim iam a. 651. obiisse ex Hieronymo tradiderat p. 98.

[3] C. F. Hermann in *Goett. gel. Anz.* 1843. *p.* 365. *sqq.*

[4] Ita Cicero, in Bruto c. 10., senes vocat Solonem Pisistratumque propter tempus quo vixerunt, uti recte observat Pinmius in Edit. Persii p. 163, qui tamen an recte statuerit Lysiam quoque, Demosthenem, alios, c. 9., eadem de causa senes vocari, dubito. Eo in loco propter aetatem senes esse dictos puto.

cilium vero, quem, etiamsi obierit a. 651., tamen v. c., vel Orbilius Flaviusque, Horatii praeceptores, vivum videre potuerant, nondum inter homines priscos ab eodem Horatio potuisse referri. Tum praeterea eam esse rationem loci Horatiani, ut quisque in legendo statim cogitet de sene, non propter aetatem qua vixit, sed propter suam ipsius aetatem proprie sic dicto, verboso, cuius omnis vita, in libris suis descripta, haud parvam eorum occupet partem. Aut fallor aut talem sibi informabit quicunque, Hieronymi loci ignarus, Satiram Horatianam est inspecturus.

Dicit Horatius Trebatio, de Lucilio loquens, ut supra vidimus: « nostri melioris utroque. » Acron et Schol. Cruq. vocem *melioris* interpretantur: « *natalibus et censu.* » Porphyrion: « *ingenio melioris.* » Heusdius [1] Lucilii probitatem, aequitatem et constantiam ab Horatio significari censuit. Secus puto. Haud ita locuturus erat Horatius cum Trebatio, id temporis aetatis iam provectioris, qui iuvenis adhuc iam familiam duxerat in iure civili [2], nunc profecto propter eiusdem iuris scientiam in civitate florebat. Recte autem Scholiastae censu meliorem vocant. Horatius dives non erat, « infra Lucili censum, » ut ipse testatur l. l. v. 75., neque Trebatius, iuvenis certe [3]. Natalibus etiam utroque melior erat Lucilius. Erat Horatius libertini filius, Trebatia gens haud admodum nobilis. Lucilius vero, uti addit Schol. Cruq.: « *magnus Pompeii avunculus* » Ita

[1] L. l. p. 70.

[2] Cicero ad Diversos Libr. VII. Epist. 5.

[3] Cicero l. l. Epist. 7. 9. 16. et 17.

enim legendum esse pro vulgato : « *magni Pompeii avus.* » egregie observavit Doct. Heusdius [1] ex annotatione eiusdem Scholiastae, (quae prorsus convenit cum Porphyrionis scholio ad eundem locum,) ad eiusdem Sat. vs. 75. : « *Constat Lucilium maiorem avunculum Pompeii fuisse, etenim avia Pompeii soror Lucilii fuerat*, » quam ita in concordiam redigit cum loco Velleii Libr. II. c. 9. : « Fuit hic Pompeius genitus matre Lucilia, » ut Lucilii sororem illam nuptam fuisse statuat viro ex eadem gente, Lucilio etiam dicto, cui filiam peperit Luciliam, Pompeii matrem. Apparet enim ex utroque loco, Scholiastarum et Velleii, tum matrem, tum aviam Pompeii Luciliam fuisse dictam. Heusdii emendationem firmat Acronis scholion ad l. l. : « *fertur Lucilius maior avunculus fuisse Pompeii.* »

Parum profuit Lucilio quod omnem vitam libris crediderit. Interierunt libri et una cum iis fere omnis illius vitae notitia. Collegit nuperrime Doct. Heusdius, libro saepius laudato, quaecunque tum in fragmentis, tum apud varios auctores de historia Lucilii inveniuntur. Ex Horatio apparet, id quod etiam ab aliis traditum est, quam familiariter vixerit cum Scipione et Laelio [2] :

> Quin ubi se a volgo et scena in secreta remorant
> Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli ;
> Nugari cum illo et discincti ludere, donec
> Decoqueretur olus, soliti.

Ubi haec annotavit Acron : « *Scipio Africanus*

---

[1] L. l. p. 35.

[2] Libr. II. Sat. 1. v. 71. sqq. De Scipione et Laelio cf. Valerius Max. Libr. VIII. c. 8. n. 1.

fertur intra domum tam civilis fuisse et carus Lucilio, ut quodam tempore Laelius circa lectos triclinii fugienti supervenerit, cum eum Lucilius obtorta mappa quasi feriturus sequeretur. Caecilius autem Metellus consularis, qui filios consulares vidit et ab ipsis elatus est, temporibus Scipionis Africani potens fuit, et cum in seditione quadam adversus se facta clamaret Scipio, ait: Hi sunt quos Hannibali eripui, patiere ergo, inquit, nos liberos esse. Ob quod et alia Lucilius eum in gratiam Scipionis carpsit, quamvis amicum ipsius, » perperam Scipionis Africani maioris historiam huc vocans. Metellum a Lucilio laesum fuisse in Satiris, tradit ipse Horatius, in sermone cum Trebatio, libertatem suam in perstringendis hominum vitiis Lucilii exemplo excusans, quemadmodum facit Trebonius apud Ciceronem [1]. Horatius autem ita ad Trebatium [2]:

> Quid? cum est Lucilius ausus
> Primus in hunc operis componere carmina morem,
> Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
> Cederet, introrsum turpis; num Laelius, et qui
> Duxit ab oppressa meritam Carthagine nomen,
> Ingenio offensi? aut laeso doluere Metello,
> Famosisque Lupo cooperto versibus? Atqui
> Primores populi arripuit populumque tributim
> Scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis.

Metellus, quem Lucilius laeserat, non erat Metellus Macedonicus, uti Acron scribit, verum Macedonici filius, uti rectius Scholiastes Cruq. Pleno nomine dicebatur Q. Caecilius Metellus Caprarius.

---

[1] Cicero ad Diversos Libr. XII. Epist. 16.

[2] Libr. II. Sat. I. v. 62. sqq.

Altercatum fuisse cum Scipione, apud Ciceronem legimus[1]: « Scipio apud Numantiam quum stomacharetur cum C. Metello, dixisse dicitur, si quintum pareret mater eius, asinum fuisse parituram. » Erat autem quartus Macedonici filius. — Lupus, famosis versibus a Lucilio coopertus, erat secundum Schol. Cruq.: « *P. Rutilius Lupus, Consul cum L. Iulio Caesare, anno ab urbe condita* 664. » Rutilium Lupum vocat etiam Porphyrion, Acron tantum dicit Lupum principem Senatus fuisse. Si Lucilius obiit a. 651. hunc Lupum perstringere non potuit, loquitur enim de illo in Libr. I. Sat. tamquam de mortuo. Ideo Torrentius cogitabat de L. Cornelio Lentulo Lupo, cs. a. u. 598. J. H. M. Ernestius[2] finxit P. Rupilium Lupum cs. a. u. 621. (Fast.) Is vero Lupus non vocabatur, sed simpliciter P. Rupilius, eratque summus amicus Scipionis[3]. Sin vero Lucilius vitam longe post a. 651. produxit, tum recte Rutilius Lupus intelligitur, homo impius, qui consul periit bello sociali in pugna contra Marsos[4]. Saepius apud Lucilium in fragmentis mentio fit huius Lupi[5]. Meminit Persius eiusdem[6]:

secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis.

---

[1] De Orat. Libr. II. c. 66.

[2] In Clavi Horatiana, in voce.

[3] Cicero de Amicitia c. 19. 20. et 27.

[4] Livius Epit. Libr. LXXIII., Velleius Libr. II. c. 16., Appianus de Bello Civ. Libr. I. c. 43., Orosius, Libr. V. c. 18.

[5] Fr. I. 4., IV. 6., XXIX. 1., p. 23. 32. et 77. Edit. Dousae, p. 186. 193. et 230. Edit. Bipont.

[6] Sat. I. v. 114. sq.

Latet egregia Iani Dousae observatio in hunc locum in Commentariolo ad Horatium, c. IX.: « mihi de mendo haud levis suspicio iniecta. — Si volgatam scripturam retinere et defendere velimus necessario consequens erit interpretari, Lucilium genuinum suum in Lupo et Mutio fregisse, hoc est (uti Horatius inquit,) solido offendisse, dum fragili dentem illidere sperat sese. Atqui longe aliud volt Aulus noster..» Emendationem vero quam suadet nemini, ut videtur, placuit, nec nos probare possumus: « itaque corrigatur, me coniectore, quam primum: et recte fortasse, si ad hoc porro exemplum rescribamus:

Te Lupe, te Muti, et genuinum fregit in Iŭlis,

ut per Iŭlos, Iuli sivi Ascanii progeniem — hoc est, Optimates, ac proceres Reip. Ro. intelligamus. » Nobis levi mutatione legendum esse videtur:

secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muci, et genuinum fregit Asellis.

Erat autem Ti. Claudius Asellus, trib. pl. a. 615., vir summae nequitiae [1], adversarius Scipionis, quem ipsum quoque lusisse in ambigua nominis Asellii significatione legimus apud Ciceronem, de Orat. Libr. II. c. 64.: « Scipio — quum Asellus omnes provincias stipendia merentem se peragrasse gloriaretur: — agas asellum, et cetera. » Festive sane Horatius, in sermone cum Trebatio, observat Scipionem Laeliumque haud aegre tulisse, quod Metellum Lupumque, suos adversarios, carpsisset Lu-

[1] C. Lucilii fr. XI. 5. p. 50. Edit. Dousae, p. 207. Edit. Bipont.

cilius. Haud iniuria tamen Horatium monebat Trebatius, ne nimium sibi in perstringendis principum vitiis indulgeret. Habebat Naevii exemplum, quod ei proponeret, qui, propter maledicentiam et probra in principes civitatis dicta, in vincula coniectus fuerat, alia fortasse etiam, quae hodie ignoramus. Suadet contra, vs. 10. sqq., ut Caesaris invicti potius res dicat; respondet Horatius vs. 12. sqq.[1]:

> Cupidum, pater optime, vires
> Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
> Agmina, nec fracta pereuntis cuspide Gallos,
> Aut labentis equo describit voluera Parthi.
> — Attamen et iustum poteras et dicere fortem,
> Scipiadam ut sapiens Lucilius. cet.,

ubi Porphyrion haec annotavit: « *Lucilius vitam Scipionis privatam descripsit, Ennius bella,* » eadem quae Schol. Cruq. Videntur autem utrumque Scipionem Africanum, maiorem et minorem, inter se confudisse. Sunt qui putent Lucilium in poëmate peculiari de Scipionis vita privata egisse; verum nihil opus est ut ita statuamus. Exemplo sit Horatius, quem recte

---

[1] Gellius Libr. III. c. 3. Addit: « Graecorum poëtarum more. » Servavit Gellius versus quibus Scipioni Africano maledixit Naevius Libr. VI. c. 8., Asconius, ad Ciceronis Act. 1. in Verrem c. 10., versum eiusdem in Metellos. Principibus igitur in re publica viris, Graecorum poëtarum more, i. e. in cumoediis, maledixerat Naevius, Ciceronem igitur, de Rep. Libr. IV. c. 10., de Graecorum comicorum licentia dicentem: « Periclem — viulari versibus et agi in scena non plus decuit, quam si Plautus noster voluisset aut Naevius P. et Cn. Scipioni, aut Caecilius M. Catoni maledicere, » incaute in conscribendo processisse, acute observavit Doct. Vissering. in Quaest. Plaut. I. p. 37. sq. Alii quoque poëtae in scena nominatim cives laeserant vid. Auctor ad Herennium Libr. II. c. 13. Mirum ergo est, Horatium in initio Satirae 4. Libr. II. ita loqui, quasi unus Lucilius in Satiris, libertatem illam priscae cumoediae Romae retulisset.

dixeris Maecenatis vitam privatam in Sermonibus descripsisse.

Magnam famam, qua Lucilius cum apud aequales floruit, tum apud posteros in longum tempus, eam Satiris suis debuit. Haud omnino constat, utrum praeterea quidquam scripserit [1]. Satirae autem Romanae auctor atque inventor fuit, tum valde in ea excelluit. « Satira, » inquit Quintilianus [2], « tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius, qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet, ut eum non eiusdem modo operis auctoribus sed omnibus poëtis praeferre non dubitent. » Scripsit Ennius Satiras [3], Pacuvius etiam [4], verum genere

---

[1] Braunhardus in Indice Horatiano in voce *Lucillus* non scribere debueral: « Lucilii a veteribus commemorantur satyrarum libri triginta, epodae, hymni et una comoedia. » Legitur quidem apud Nonium Marcellum, de honestis et nove veterum Dictis cet., in voce *Eugium*: « *Lucil. in Epodis hymnis,* » est scholiou Acronis ad Art. Poët. v. 238.: « *Pythias:*) *Non dicit de Pythia Terentiana, sed quae apud Lucilium inducitur Tragoediographum,* » ubi sententis loci postulat *Comoediographum*, et Schol. Cruq. ad eundem locum: « *Pythias:*) *Persona comica in comoedia Lucilii,* » Fulgentius denique, de prisco Sermone, in voce *delenificus*, versus citat ex *Immolaria* Lucilii comici; iam dudum vero rectius de iis locis iudicatum fuerat a Fr. Dousa et allis. Petermannus, ni fallor, ll. ll. pro *Lucilio*, *Caecilium* scribere voluit, Scaliger, teste Dousa, *Rutilium*, ipse Dousa aut *Luscium*, aut *Licinium*, aut *Turpilium*

[2] Instit. Orat. Libr. X. c. 1. § 93.

[3] Scripserat Satirarum quatuor libros teste Porphyrione ad Horatii Libr. I. Sat. 10. v. 46., Donatus vero, ad Terentii Phormionem Act. II. v. 25., sextum earum librum laudat. Rectissime Casaubonus, de Satyrica Graec. poësi, Paris. 1605., p. 247., aut apud Donatum numerum VI pro IV, aut apud Porphyrionem IV pro VI substitutum esse observat.

[4] Porphyrion l. l.

et argumento prorsus diversas, uti postea videbimus. Loquitur Quintilianus de Satirae genere, quod Horatius postea excoluit, quem l. l. Lucilio subiungit. Ipse quoque Horatius expressis verbis idem declarat:

> Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino
> Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
> Inventore minor[1],
> est Lucilius ausus
> Primus in hunc operis componere carmina morem,
> Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
> Cederet, introrsum turpis[2],

exemplo tamen Lucilio praeivisse contendit scriptores graecos veteris comoediae, ita ut Lucilius omnia ab illis mutuaverit, praeter solam carminis formam:

> Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque poëtae,
> Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est
> Si quis erat dignus describi, quod malus ac fur,
> Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui
> Famosus; multa cum libertate notabant.
> Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus,
> Mutatis tantum pedibus numerisque; facetus,
> Emunctae naris, durus componere versus:
> Nam fuit hoc vitiosus; in hora saepe ducentos,
> Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno:
> Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles[3]:

---

[1] Libr. I. Sat. 10. v. 46. sqq.

[2] Libr. II. Sat. 1. v. 62. sqq.

[3] Aeron: « — *erat tamen quod velles imitari*, » Porphyrion: « — *ex quibus tantum sunt nonnulla quae velis inde excerpere, et pro tuis habere*, » Cruquianus: « — *erant in illius versibus nonnulla, quae tollere, i. e. imitari et pro tuis haberi velles.* » Scholiastarum interpretationem secuti sunt Heindorfius, Buttmannus in Add. ad Spaldingii Quintil., Geelius in Bibl. crit. nova T. III. p. 280. Alii contra vocem *tollere* ita interpretantur ut sit: *expungere, reiicere.* Ita Manso *Literar. Analekten T. I. p.* 185., Spaldingius

Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem;
Scribendi recte: nam, ut multum, nil moror [1].

Horatium procedere videmus ad censuram operum Lucilii. Hic autem cum apud aequales suos, tum apud posteros, tanta [2] aestimatione florebat, ut propter suam illius detrectationem in magnam inciderit invidiam Horatius, quam depellere conatus est scripto Sermone 10. Libr. I.

Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucili. quis tam Lucili fautor inepte est,
Ut non hoc fateatur? at idem, quod sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec tamen hoc tribuens dederim quoque caetera: nam sic
Et Laberi mimos, ut pulchra poëmata, mirer.
Ergo non satis est risu diducere rictum
Auditoris: et est quaedam tamen hic quoque virtus.
Est brevitate opus, ut currat sententia, neu se
Impediat verbis lassas onerantibus aurís:
Et sermone opus est modo tristi, saepe iocoso:
Defendente vicem modo rhetoris atque poëtae;
Interdum urbani parcentis viribus atque
Extenuantis eas consulto. ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res.
Illi, scripta quibus Comoedia prisca viris est,
Hoc stabant, hoc sunt imitandi:

Totus locus erat describendus, quo planius appareret Horatii de Lucilio iudicium. Ita se excusat ut

---

ad Quintil. Inst. Orat. Libr. X. c. 1. § 94., Weichertus de Vario et Cassio p. 324. Quintilianus l. l.: « ab Horatio dissentio, » inquit, « qui Lucilium fluere lutulentum et esse aliquid quod tollere possis, putat. » Interpretes, alii Quintilianum idem dicere censent atque Scholiastas, alii contra.

[1] Libr. 1. Sat. 4. v. 1. sqq.

[2] Cicero passim, Velleius Libr. II. c. 9., Dial. de Orat. c. 23., Quintilianus l. l., Juvenalis Sat. I. v. 19. sq.

simul Lucilium garrulitatis, duritiei in componendo et rusticitatis arguat, tum in vitium vertit, quod admiratores in laudem allegabant, vs. 20. ibid.:

> At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis
> Miscuit. O seri studiorum! quine putetis
> Difficile et mirum Rhodio quod Pitholeonti
> Contigit!

Exempla eius Lucilii consuetudinis in fragmentis, quae supersunt, habemus [1]. Pergit vs. 46.:

> Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino
> Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
> Iuventore minor: neque ego illi detrahere ausim
> Haerentem capiti cum multa laude coronam.
> At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
> Plura quidem tollenda relinquendis, age, quaeso,
> Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
> Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?
> Non ridet versus Enni gravitate minores?
> Cum de se loquitur non ut maiore reprensis.
> Quid vetat et nosmet Lucili scripta legentis
> Quaerere, num illius, uum rerum dura negarit
> Versiculos natura magis factos et euntis
> Mollius, ac si quis, pedibus quid claudere senis
> (Hoc tantum) contentus, amet scripsisse ducentos
> Ante cibum versus, totidem cenetus?

Fuerat utique Lucilius censor difficilis, neque Ennii modo, Pacuvii, Accii, aliorum [2] Romanorum poëtarum versus riserat, verum ipsum Euripidem notaverat [3]. Annotat Porphyrion ad vs. 54.: « — *mutat pro*

---

[1] Edit. Fr. Dousae p. 58. fr. XIV. 5., p. 58. fr. XVII. 1., p. 77. fr. XXIX. 1. Edit. Bipont. p. 210., 214. et 230. Cf. Doct. Heusdius l. l. p. 129.

[2] Gellius Libr. XVII. c. 21.

[3] Id. Libr. VII. c. 3.

eo quod emendat positum est. Facit autem Lucilius cum alias, tum vel in tertio libro, et nono et decimo.[1] » Servius autem ad Aeneid. Libr. XI. v. 601. sq.: « *Cum late ferreus hastis Horret ager*:) *Versus Enniani vituperatus a Lucilio dicente per irrisionem, debuisse eum dicere: Horret et alget.* » Idem refert Macrobius[2], confert vero ipsius Homeri exemplum Iliad. Libr. XIII. v. 339. sq. Horatius autem, postquam Lucilium cum Cassio Etrusco, ferventis ingenii poëta, composuerat vs. 61. sqq., addit vs. 64:

> Fuerit Lucilius, inquam,
> Comis et urbanus. fuerit limatior idem,
> Quam rudis et graecis intacti carminis auctor,
> Quamque poëtarum seniorum turba: sed ille,
> Si foret hoc nostrum fato delatus in aevum,
> Detereret sibi multa: recideret omne, quod ultra
> Perfectum traheretur: et in versu faciendo
> Saepe caput scaberet, vivos et roderet unguis.

Accedimus ad locum Horatii celeberrimum, in quo explicando quantum VV. DD. versati fuerint, dicere infinitum est. Nos in enarrando ducem potissimum sequemur Cl. Hermannum[3], qui a. 1841, locum peculiari libello tractavit, ita tamen, quod pace summi viri fecerimus, ut diversam interpretandi rationem commendaturi simus. Duplex autem quaestio movetur, primum quis sit auctor ille vs. 66. designatus, deinde cuius carminis auctor perhibeatur fuisse. Annotant Scho-

---

[1] Idem scholion legitur in Cruquii Auctario Comment. veteris, p. 691. b.

[2] Saturn. Libr. VI. c. 4.

[3] C. F. Hermann. de Satirae Romanae Auctore ex sententia Horatii Serm. I. 10. 66. Marburgi, 1841.

liastae, Acron: « *Graecis intacti carminis:*) *Quia primus Satyram graecis intactam, versibus hexametris scripsit etiam graecis author huius operis est. Antea enim soli Comici mores suorum carpebant apud Graecos. Quia dicuntur Graeci Satyram non puram scripsisse. — Auctor:*) *Satyrae. Graeci non scripserunt Satyram integram, hoc est, heroico carmine, sed miscuerunt cum comoediis.* » Porphyrion: « *Et Graecis intacti carminis author:*) *Hoc ideo dictum quia nulli graecorum hexametris versibus hoc genus operis scripserunt.* » Schol. Cruq. ad vs. 65.:) » *Limatior:*) *politior, emendatior. Sensus est, sit Lucilius limatior quam rudis auctor carminis et intacti Graecis, id est, non usitati et usurpati a Graecis scriptoribus. Nam Lucilius primus invenit Satyram.* », ad vs. 66.: « *Graecis intacti:*) *nulli enim Graecorum hexametris versibus hoc genus operis scripserunt.* » Ad Lucilium, eumque Satirae auctorem omnes verba: « rudis — auctor,» respicere putant. *Rudis* recte Schol. Cruq. cum *carminis* conjungit, neque Cruquius cum *auctor* iungere debuerat, ita ut Lucilius ab Horatio dictus fuisset auctor limatior quam rudis. Quam structuram cum ipse Cruquius non satis usitatam esse sentiret, scribendum enim fuerat *rudior*, excusari tamen posse censuit collato loco ex Columellae de Re Rustica Libr. XII. Praef., quem tamen si integrum describamus: « iccirco [natura sexum muliebrem] timidiorem reddidit quam virilem, » prorsus diversae esse rationis apparet[1]. Neque eius-

[1] De loco Taciti Agric. c. 4.: « speciem excelsae magnaeque gloriae *vehementius* quam *caute* appetebat, » vid. Hermannus l. l. p. 5., Zumpt. in *Lat. Gramm.* § 690. Cf. etiam Madvigius in *Lat. Sprachlehre* § 308. *Anm.* 2.

modi structura in hoc nostro loco egemus. Modo ita voluisset Horatius, *rudior* scripsisset; uti nunc legimus, *rudis* nullo negotio cum *carminis* conjungimus. Scholiastarum autem interpretationem cum multi secuti iam essent, Ianus Dousa novam protulit in Commentariolo ad Horatium: « Sensus itaque erit: Esto, fuerit, inquam, Lucilius urbanus et comis: demus etiam limatiorem, id est, tersiorem ac emendatiorem fuisse, quam *Ennium* nostrum, primum illum rudis Satyrae inventorem[1]. » Ennium Satiras scripsisse supra iam vidimus[2], quarum hodie etiam perpauca fragmenta supersunt. Itaque a Dousae inde temporibus Interpretes in duas partes abierunt, alii, inter quos Bentleius, Gesnerus, Wielandus, Ennium intellexerunt; contra Heindorfius, Bothius, Kirchnerus, Iahnius, alii, Lucilium designari censuerunt. Hermannus autem l. l. p. 8. sqq. argumentis invictis ostendit,

---

[1] L. l. c. IX. In Horatii Edit. Cruquii p. 664. b. Parum tamen sibi constans, paulo post, l. l. c. XII. p. 669. b.: « L. non iniuria hercule et auctor et inventor Carminis Graecis intacti praedicatus Horatio. » Perperam Weichertus Poët. Lat. Rel. p. 279. sq. Dousae interpretationem aut Casaubono aut Heinsio tribuit. Rectius Hermannus l. l. p. 6. Legendum esse apud Horatium l. l. aut *Rudiis* aut *rudis at* coniecit Rutgersius Venus. Lect. c. XX. p. 357. Edit. 1699. Casaubonus, de Satyr. Graecorum poësi et Romanorum Satira, Paris. 1605. p. 256., *rudis* mutavit in *Rudius*. Ita quoque Barthius in Adversar. Libr. XIX. c. 15., apud Valerium Max. Libr. VIII. c. 14. n. 1.: « Superior Africanus, — vir Homerico, quam rudi atque impolito praeconio, dignior, » pro *rudi*, *Rudio* scribere voluit. Atqui *Rudius* pro *Rudinus*, i. e. *Rudiis oriundus*, vix dici posse videtur. Legebatur uno in loco, apud Ciceronem pro Archia c. 10. Ibi vero iam dudum in *Rudinum* mutatum est.

[2] Vid. supra p. 82. n. 3.

Ennium ab Horatio Satirae auctorem, cum modo Lucilium eiusdem inventorem vocasset vs. 48., dici non potuisse; improbat[1] differentiam quam Weichertus[2] aliique inter *inventorem* et *auctorem* statuere voluerunt, ut auctor esset, qui rei faciendae exemplum dedisset, inventor vero, qui aliquam rem certa via ac ratione primus tractasset et ad certam aliquam legem revocasset; denique fuse agit de differentia Ennianam inter et Lucilianam Satiram, hanc Graecis intactam, illam contra a Graecis exemplis petitam[3]. Quam uti differentiam probaret, adhibuit V. C. locos, Quintiliani, quem partem supra iam retulimus[4]: « Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius. — Multo est tersior ac purus magis Horatius et ad notandos hominum mores praecipuus. Multum et verae gloriae, quamvis uno libro, Persius meruit. — Alterum illud est, et prius Satirae genus, quod non sola carminum varietate mixtum[5], condidit Terentius Varro, cet.» et Diomedis[6]: « Satyra dicitur carmen apud Romanos, nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia, archaeae Comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius. Et [l. At] olim carmen, quod ex variis poëmatibus constabat, Satyra vocabatur,

---

[1] L. l. p. 12. et 45.

[2] Poët. Lat. Rel. p. 280.

[3] L. l. p. 15. sqq., 41. sqq.

[4] Instit. Orat. Libr. X. c. 1. § 93. sqq.

[5] Doct. Heusdius l. l. p. 279. ita legit: « Alterum illud *et iam* prius Satirae genus, *sed* non *solum* carminum varietate mixtum, cet. »

[6] Libr. III. p. 482. sq. Edit. Putschii.

quale scripserunt Pacuvius et Ennius. Satyra autem dicta sive a Satyris, — sive a satyra lance, quae referta variis multisque primitiis in sacro apud priscos Diis inferebatur, sive a lege satyra, quae uno rogatu multa simul comprehendebat. Quod scilicet et Satyra, carmina multa simul et poëmata comprehenduntur. » Quibus locis luce clarius apparet Ennianam Satiram a metrorum varietate, Lucilianam contra a variis suis argumentis nomen accepisse. Metra enim etsi Lucilius, diversis in libris, diversa adhibuerit, tamen in uno eodemque libro, unum modo eorum genus usurpavit. Ennianam Satiram, hoc enim *prius* illud Satirae genus est, quod Quintilianus l. l. ab altero genere Lucilii ceterorumque distinguit, non solum carminum varietate mixtum, condidisse dicitur Terentius Varro. Hic enim, praeter carminum genera diversa, pedestris etiam sermonis partes Satiris suis intertexuit, cuius generis exempla habemus in Latinis, Senecae Ἀποκολοκύντωσιν et Petronii Satiricon librum. Exemplo denique, suo in genere, Ennio Pacuvioque praeivisse Graecos, vel Theocriti Idyllia testantur. Varro autem, qui idem Satirae genus excoluit atque Ennius Pacuviusque, Menippum Gadarensem est secutus, a quo suam Satiram Menippeam cognominavit[1]. Itaque, ut summam faciamus, prius illud Satirae genus Ennii Pacuviique, quod idem postea excultum est a Varrone, distinguendum est ab altero Lucilii genere. Illud constabat variis carminum generibus, post prosa etiam oratione adiecta;

[1] Gellius Libr. II. c. 18. cl. Libr. XIII. c. 30.

hoc propter argumentorum diversitatem Satirae nomine dictum est. In illo genere Graeci praeiverunt, hoc contra, teste Quintiliano, totum Romanorum est [1]. Carminis ergo Graecis intacti anctor Ennius non fuit, fuit Lucilius, iure suo eo nomine ab Horatio celebratus. Locus denique Horatii, de quo nunc agimus, interpretandus est: « fuerit Lucilius limatior quam pro ea condicione, in qua anctorem rudis Graecisque intacti carminis versari consentanenm fuerit [2]. » Ita Cl. Hermannus, qui, quamvis egregie, ut semper, disputaverit, dubito tamen an Horatius, qni secus de Lucilio putabat atque Quintilianus, neque tantum illi tribuebat, dubito inquam, an idem concessurus fuisset, Graecis in suo genere nihil omnino debnisse Lucilium. Eupolis, inquit, Cratinus, Aristophanes, alii veteris Comoediae scriptores, ab iis

omuis pendet Lucilius, hosce secutus,
Mutatis tantum pedibus uumerisque [3].

Altero loco [4], postquam ea exposuerat, quae

[1] Casaubonus, in libro doctissime et elegantissime conscripto, de Satyrica Graecorum poësi et Romanorum Satira, miuus recte probare conatus fuerat Eunium quoque in Satiris uullius omuino e Graecis exempium secutum esse, itaque carmiuis Graecis intacti auctorem recte dici ab Horatio, p. 254., nou minus quam Lucilium nou Satirae in uuiversum, sed suae ipsius Satirae geueris iuventorem, p. 272.

[2] Hermann. l. l. p. 15. Ita quoque *auctor* universe dictum acceperant Interpretes omues, qui Lucilium designari ceusuerunt. Heindorfius: quam pro eo quod a. fuit. r. et Gr. i. c.; Bothius: quam facile sit aliquis a. cet.; Kirchnerus: *sey er geglaettet fuer einen der* cet. Solus Lambinus ita interpretatus est ut auctor ipse sit Lucilius: demus Lucilium limatiorem fuisse quam ipse sit.

[3] Libr. I. Sat. 4. v. 6. sq.

[4] Libr. I. Sat. 10. v. 16. sq.

desiderabat in Lucilii scriptis, eosdem iterum confert:

> Illi, scripta quibus Comoedia prisca viris est,
> Hoc stabant, hoc sunt imitandi.

Imitatus ergo fuerat Lucilius, etsi haud satis feliciter. Iam in tota hac quaestione, de interpretando Horatii loco, non adeo quaerendum, quid verum sit, sed potius quid Horatius ipse senserit. Tum praeterea, recepta illa Hermanni interpretatione, instituitur apud Horatium comparatio inter rem singularem et concretam, *Lucilium*, cum re universali et abstracta, *auctore*, coniuncta vero cum re concreta, *p. s. turba.* Hanc autem, in altero comparationis membro, coniunctionem inter rem abstractam et rem concretam, vereor ut probari possit. Recte comparamus rem concretam cum re abstracta, v. c. recte dicimus: Cicero plus valebat in dicendo quam fere Latinus Orator; minime vero, nisi egregie fallor: Cicero plus valebat in dicendo quam fere Latinus orator, quamque Hortensius. Substituamus vocibus: « Latinus orator, » quae rem exprimunt universalem, aliud vocabulum, singularem quandam rem designans, v. c. dicamus: Cicero plus valebat in dicendo quam Hortensius, quamque ceterorum oratorum Latinorum turba; omnia recte se habebunt. Ita quoque apud Horatium voce *auctor* certum quendam poëtam designari censeo. Is Ennius est, haud Satirae, Annalium vero, generis poëseos graecis intacti, auctor. Haec Doeringii suspicio fuit, quam paucis hisce verbis prodidit: « auctor ad Satirae inventorem Lucilium referri nequit; nam verba inde a *sed ille* nullo modo Lucilii ingenio conveniunt, [in eo secus puto;

ille mihi Lucilius esse videtur]; *auctor* iam est scriptor, et totus versus eleganter exprimit simplices voces: *quam Ennius;* Ennius enim est scriptor *carminis rudis et Graecis intacti;* scripsit enim annales Romanorum fide historica. » Doeringii sententiam improbavit Weichertus [1]: « Doeringius », inquit, « de Annalibus explicavit, in eo mirifice falsus. In aprico est de Satira sermonem esse, » et Hermannus [2]: « ne quis Doeringii opinionem sequatur, qui *graecis intactum carmen* ad Annalium libros referre maluit. — Annalium enim genus quomodo *graecis intactum* fuerit, post tot carmina genealogica et historica, quot et ab Homeri Hesiodique sectatoribus et Alexandrinorum ex scriniis prodierunt, vix quisquam intelliget, nec quod Annalium potissimum causa *rudem* Ennium dici ab aliis videmus [3], Horatium nunc aut hoc carmen aut omnino Ennium magis quam quemlibet alium ex *poëtarum seniorum turba* eodem vocabulo appellasse coget. » Addit postea [4]: « Doeringium satis et Weichertus impugnavit et nos supra refutavimus. » Carmina

---

[1] L. l. p. 279.

[2] L. l. p. 10. sq.

[3] Annotat hoc loco Hermannus: « Cf. locum certatim ab intpp. comparatum Ovid. Trist. II. 423.:

Utque suo Martem cecinit gravis Ennius ore,
Ennius ingenio maximus, arte rudis;

praetereaque Valer. Maxim. VIII. 14. 1.: *Africanus* Ennii *poëtae effigiem in monumentis Corneliae gentis collocari voluit, vir Homerico quam* rudi *atque impolito praeconio dignior.* » *Rudis* a Statio quoque dicitur Ennius, Silv. Libr. II. Carm. 7. v. 77.: « Cedet Musa rudis ferocis Enni, » ab Ausonio Epist. XV. v. 9.: « Rudes Camoenas qui Suessae praevenis. »

[4] L. l. p. 48.

illa vero, ni fallor, Annalibus haud prorsus similia fuerunt, Doeringiumque verum vidisse satis, puto, apparebit, modo locum, de quo agitur, referamus ad versus 53. et 54. praecedentes:

> Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?
> Non ridet versus Enni gravitate minores?

unde, interiectis versibus quibusdam, ita pergit Horatius vs. 64. sqq.:

> fuerit Lucilius, inquam,
> Comis et urbanus. fuerit limatior idem
> Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor,
> Quamque poëtarum seniorum turba.

Est autem auctor ille ex constanti Horatii ratione scribendi idem ille Ennius, cuius mentio vs. 54. praecessit. Solet enim Horatius, cum duas personas commemorat, quarum iam antea mentionem fecit, eam, quae posteriorem locum occupavit, prius nominare; quae priorem, eam altera vice in loco posteriori collocare. Exemplo sint loci, Libr. I. Sat. 4. v. 65., sq. cl. v. 69. sq.:

> Sulcius acer
> Ambulat et Caprius, rauci male, cumque libellis;
>
> Ut sis tu similis Caeli Birrique latronum;
> Non ego sim Caprii neque Sulci:

Libr. I. Sat. 7. v. 1. sqq.:

> Proscripti Regis Rupili pus atque venenum
> Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
> Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.
> Persius hic permagna negotia dives habebat
> Clazomenis, etiam litis cum Rege molestas;

Libr. II. Sat. 1. v. 65. sqq. cl. v. 69. sq.:

num Laelius, et qui
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offensi?

Quin ubi se a volgo et scena in secreta remorant
Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli; cet.

Libr. II. Sat. 5. v. 55. sqq. cl. 64. sqq, quo in loco ordinem ter invertit:

pierumque recoctus
Scriba ex quinqueviro corvum deiudet hiantem,
Captatorque dabit risus Nasica Corano.

forti nubet procera Corano
Filia Nasicae, metuentis reddere soidum
Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit, atque
Ut legat, orabit: multum Nasica negatas
Accipiet tandem, et tacitus leget:

Libr. II. Epist. 2. v. 87. sqq.

Frater erat Romae consulti rhetor; ut alter
Alterius sermone meros audiret honores:
Gracchus ut hic illi, foret huic ut Mucius ille.

Eandem rationem tenet Libr. I. Epist. 17. v. 13. sqq. Diogenes ad Aristippum:

Si pranderet olus patienter; regibus uti
Nollet Aristippus. Si sciret regibus uti;
Fastidiret olus, qui me notat. utrius horum
Verba probes et facta, doce: vel iunior, audi
Cur sit Aristippi potior sententia namque
Mordacem Cynicum sic eludebat.

Eodem refero Libr. I. Epist. 16. v. 30. sqq.:

Cum pateris *sapiens emendatusque* vocari;
Respondesne tuo, dic sodes, nomine? nempe
Vir *bonus et prudens* dici delector ego, ac tu,

pluresque locos [1], qnibus ni fallor, egregie firmatur Doeringii interpretatio. Fnerit Lucilius limatior quam Ennius, auctor carminis Graecis intacti, i. e. Annalium, (in quibus versus illi fuerant, quos comis Lncilius mutaverat, ut supra ex Servio vidimus ,) quamque poëtarum seniorum turba. Accius in ceterorum poëtarum seniorum turbam reiicitur, Ennius vero, quem magni faciebat Horatius, quem poëtam vere dicendum esse censebat, ex illa turba eximendus erat et segregandus. Carminis denique Graecis intacti auctorem Horatius non sine consilio Ennium vocat. Hanc enim excusationem Ennius, quod rudis esset, iure afferre poterat, se primum generis sui auctorem exstitisse, duce nullo Graecorum poëtarum, quum contra Lucilius, ex Horatii certe sententia, hanc eandem excusationem non haberet.

De altero Satirarum scriptore P. Terentio Varrone Atacino multo brevius perfuncturi sumus.

[1] Locus est multum vexatus in Libr. I. Sat. 1. v. 4. sqq. ubi hanc suam rationem necessario variat aliquantum Horatius. Commemorat militem et mercatorem ex iis, qui foris vitam agunt, lurisconsultum et agricolam ex iis, qui domi suae. Post vs. 28. sqq. inverso ordine prius eos, qui domi suae, post qui foris vitam degunt. Substituit autem inter illos cauponem lurisconsulto. Interpretes, cum nescirent nnde hic importunus caupo irrepsisset, alii extrudere conati sunt et legerunt: *Perfidus hic campo miles; Fervidus in campo miles*, cet. Alii, ut hoc quoque in loco iurisconsulti fieret mentio, aut voce *caupo* intelligi ipsum iurisconsultum docuerunt, aut legerunt: *cautor; Causidicus vafer hic*, cet. Hi certe melius, mirum tamen est illos non vidisse IC. Romano locum esse non posse inter eos qui *hac mente laborem ferunt, ut senes in otia tuta recedant.* Erant enim inter illos senes bene muiti, erant qui divitiis affluebant. Itaque Horatius agricolae hoc in loco iurisconsultum opponere non poterat. Opponit alium ex urbis incolis, cauponem, qui eadem mente atque agricolam labores sese ferre siebat.

Diu post Lucilium vixit, natus enim fuerat, teste Hieronymo, Ol. CLXXIV. 3. i. e. 672. s. 673. Varr. Quando obierit haud constat. Iam mortuus videtur fuisse quo tempore Horatius de illo scribebat[1]:

> Hoc erat, experto frustra Varroue Atacino
> Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,

neque enim verisimile est, Horatium talem virum, magnam sibi laudem carminibus suis consecutum, vivum ita uotasse. Etiam Laberius, quem vs. 6. perstringit, mortuus iam erat. Obiit enim, secundum Hieronymum, Ol. CLXXXIV. 2. s. a. 711. Varr. ineunte, Satira autem Horatii, iu qua Varronem perstringit, quamvis de eius aetate disseutiant Iuterpretes[2], scripta demum est post a. 712., quo apud Philippos pugnatum est. Coepit enim Horatius, redux in patriam ex pugna Philippensi, audax versus facere, ut ipse scribit ad Iulium Flo-

[1] Libr. I. Sat. 10. v. 46. sqq.

[2] Frankius in Fastis Horat. p. 106. sqq., adscribit a. 719., Spohnius apud Jahnium in Horatii Edit. sec. p. 261. a. 723., itemque Welchertus de Vario et Cassio p. 49., Poët Lat. Rel. p. 203. et 303., et Kirchnerus Quaest. Horat. p. 13. et 16., Massonus in Vita Horatii p. 158. a. 724. Observandum tameu est, cum ita statuerit Massonus propterea, quod Cassium Etruscum, de cuius morte iu ea Satira fit mentio vs. 61. sq., haud diversum esse censeret a Cassio Parmensi, post pugnam Actiacam, iussu Caesaris Octaviani, occiso, quicunque eiusdem seutentiae fuerint, Lambinum, Cruquium, I. Dousam, Bentleium, Dacerium, Sanadouum, Burmannum Secuudum, Saxium, Ruhnkeuium, alios, eos omnes illam Satiram 10. Libr. I. vel a. 724. vel proxime antecedenti 723. adscripturos fuisse. Parum sibi constabat Bentleius, qui Cassium Etruscum a Cassio Parmeusi haud diversum faceret in anuotat. ad Libr. I. Sat. 10. v. 59., librum tamen Satirarum primum dudum ante a. 723. confectum esse statueret.

rum [1]. Id temporis Calvus quoque et Catullus, qui, quod unice ab Hermogene simioque quodam cantari dicerentur vs. 18. sq., certe haud admodum probassent, uterque iam mortuus erat. Mors Calvi, etsi annum eius ignoramus, properata fuerat [2]. Natus erat a. 672 [3]. Et de illo Cicero tamquam de mortuo loquitur in Bruto c. 82., quem Librum scripsit a. 708. et 709., et in Epistola ad Trebonium [4], scripta iam a. 707 [5]. Catullus obierat, teste Hieronymo [6], Ol. CLXXX. 4. i. e. 697. s. 698. Varr. Supererant quidem Alpinus vs. 36., et Pitholeon fortasse etiam vs. 22. irrisi, at quales poëtae; Varro contra eiusque inprimis Apollonii Argonauticorum interpretatio summis laudibus effertur a Propertio [7], Ovidio [8], Statio [9], Quintiliano [10]. Fragmenta carminis illius, epigrammatum quoque, quae scripsit, alia, collegit Wuellnerus in *Commentatione de Varronis Atacini Vita et Scriptis*. Satiras Varronem scripsisse ex uno Horatio novimus. Anno-

---

[1] Libr. II. Epist. 2. v. 49. sqq.

[2] Quintilian. Instit. Gramm. Libr. X. c. 1. § 115.

[3] Plinius Nat. Hist. Libr. VII. c. 49.

[4] Ad Divers. Libr. XV. Epist. 21.

[5] Ita Ragazonius in Edit. Graevii, Gruberus in Edit. Orellii.

[6] Anno aetatis XXX. Jos. Scaliger in Animadvers. in Eusebii Chronic. A. MDCCCCLX. p. 154. b. sq. contendit Catullum vitam produxisse minimum ad annum usque LXXI. Verum H. Paldamus in *Roemische Erotik p.* 27. *sq.*, Catullum obiisse probavit a. aet. XL.; i. e. a. 707. s. 708. Varr.

[7] Libr. II. El. 25. v. 85. sq.

[8] Amorum Libr. I. El. 15. v. 21., Art. Amat. Libr. III. v. 335. sq., cf. Trist. Libr. II. v. 430. sq.

[9] Silv. Libr. II. Carm. 7. v. 79. sqq.

[10] Instit. Orat. Libr. X. c. 1. § 87.

tat Acron: « *Varro quidem tentavit Satyram scribere et scripsit et ideo non edidit*[1], » rectius Schol. Cruq.: « *Varro Attacinus et alii multi, qui conati sunt scribere Satyras, quas non satis laudabiliter ediderant.* » De cognomine Atacino Porphyrion: « *Narbonensem, qui Atacinus ab Atace fluvio dictus est,* » et Schol. Cruq.: « — *ab Atace fluvio Narbonensi,* » Hieronymus vero l. l.: « P. Terentius Varro, vico Atace in provincia Narbonensi nascitur, » ut a vico illo cognominatus fuisset Varro. Vicus Atax prorsus ignoratur, fluvius vero illius nominis commemoratur a Strabone[2], Plinio[3], Lucano[4], aliis. Cum vero haud facile quemquam invenias inter Latinos qui a flumine cognomen duxerit, Varronem natum fuisse Narbone, *Atacinorum*, Decimanorumque colonia, ut vocat Pomponius Mela[5], contendit Wuellnerus, indeque illum cognomen accepisse et Narbonemsem a Porphyrione dictum fuisse. Narbo autem, colonia civium Romanorum[6], deducta fuerat a. 633. s. 634.[7], ut verisimile sit ipsos parentes P. Varronis Romae natos fuisse.

§ 7.

Pertinet quoque Laberius Mimographus ad aetatem Horatii. Obiit enim, teste Hieronymo, Ol.

---

[1] De hoc scholio cf. Ruhnkenius in Epist. crit. II. p 200.

[2] Libr. IV. p. 181., 182. et 189. Ed. 1620.

[3] Nat. Hist. Libr. III c. 4.

[4] Pharsal. Libr. I. v. 403.

[5] De Situ Orbis Libr. II. c. 5.

[6] Cicero pro Fonteio c. 1.

[7] Hieronymus in Chronic. Ol. CLXIV. 4. Perperam Wuellnerus in Comment. supra laudata p. 4. scripsit Ol. CLXVII.

CLXXXIV. 2. i. e. 711. Varr. inennte: « Laberius Mimorum scriptor, decimo mense post C. Inlii Caesaris interitum, Puteolis moritur. » Haud sine consilio addidit Hieronymus: « post C. I. C. interitum, » quo significaret vidisse illum interitum hominis a quo tam indigne habitus fuerat. Nota enim res est, Laberium a Caesare coactum fuisse nt ipse, eques Romanus, Mimum snum ageret. Et superest Prologns ea occasione a Laberio dictus [1]. Severe de Laberio iudicat Horatius. Haud necesse est, inquit, propterea qnod Lucilius nrbem sale multo defricuerit, ceteras quoque ei virtutes tribuere:

nam sic
Et Laberi mimos, ut pulchra poëmata, mirer [2].

Magna enim Laberii quoque libertas fuerat, in perstringendis aequalibus, qua ne Caesari quidem pepercerat [3]. Fuerunt quibus Horatii iudicium iniquins visum est; Cicero vero iterum prorsus cum Horatio consentit, scribit enim ad Cornificium [4]: « Equidem sic iam obdurui, ut ludis Caesaris nostri aequissimo animo viderem T. [Munatium] Plancum [Bnrsam], audirem Laberii et Publii poëmata. Nihil mihi tam deesse scito, quam, quicum haec familiariter docteque rideam. »

Calvum Catullumqne ad eandem aetatem perti-

---

[1] Apud Macrobium in Saturnal. Libr. II. c. 7. Eundem servaverat Gellius Libr. VIII. c. 15. Vid. Suetonius in Vita Caesaris c. 39., Macrobius l. l. c. 3. et Libr. VII. c. 3.

[2] Libr. I. Sat. 10. v. 6. sq.

[3] Seneca de Ira Libr. II. c. 11., Gellius Libr. XVII. c. 14., Macrobius Saturn. Libr. II. c. 7.

[4] Ad Divers. Libr. XII. Epist. 18.

nere iam vidimus. Infra de iis agemus ad Hermogenem Demetriumque. Iam pergendum est ad illos poëtas qui Horatii aequales eove iuniores fuerunt.

§ 8.

Poëtas sibi aequales, quos commemorat Horatius, alios: Virgilium Variumque, Titium Septimium, Celsum Albinovanum, Fundanium, Tibullum, inter eius familiares, Pollionem vero inter viros primarios iure suo recensebimus; alios: Maevium, Fannium, Pitholeontem, Alpinum a Furio Bibaculo non diversum, Cassium Etruscum et Cassium Parmensem hoc ipso in loco. Sunt hi fere omnes nomine poëtae indigni, illi contra, praeter Titium Celsumque praestantissimis annumerandi. Multa Weichertus de Maevio, Fannio, Pitholeonte, Furioque Bibaculo disputavit in libro: *Poëtarum Latinorum Reliquiae*, de Cassio utroque in altera parte libri: *de L. Varii et Cassii Parmensis Vita et Carminibus*, et ita disputavit, qui Viri Clarissimi mos est, ut nihil aliis agendum reliquerit.

Erat Maevius Horatio, Bavius et Maevius tum Virgilio tum Domitio Marso invisi. Utrumque petit Virgilius in Ecloga III. v. 90.:

> Qui Bavium non odit amet tua carmina, Maevi,
> Atque idem iungat vulpes, et mulgeat hircos.

ubi bene Servius: « *pro poena ei id contingat ut diligat Maevium, peiorem poëtam*, » et Philargyrius: « *Duos sui temporis poëtas dicit pessimos, quorum carmina ob humilitatem abiecta sunt. Vult ergo notare, qui sunt inimici Virgilii, qui Bavium, i. e. pessimum*

poëtam, et Maevium, i. e. peiorem poëtam, ut duplum habeant malum. Ex quibus Bavius curator fuit, de quo Domitius in Cicuta refert:

Omnia cum Bavio communia frater habebat,
Unanimi fratres sicut habere solent.
Rura, domum, nummos atque omnia: denique, ut aiunt,
Corporibus geminis spiritus unus erat.
Sed postquam alterius mulier communis utrique
Nupsit, deposuit alter amicitiam[1]. »

Ex illo epigrammate Maevium fratrem Bavii fuisse Interpretes suspicati sunt. Perperam. Dixisset Servius: *de quibus*, non vero *de quo*. Maevium Horatius asperrime insectatur carmine peculiari, Epod. X.:

Mala soluta navis exit alite
Ferens olentem Maevium. cet.

Scholiastae ad hunc locum, Cruquianus: « *Maevius — sectator vocum antiquarum*, » vocem autem *olentem* explicant, Acron: « *putentem*, » Porphyrion: « *pro putido dictum accipe*, « ita quoque Cruquianus: « *putidum — cuius carmina puteant nimia vetustate, vel ipsemet vitio corporis.* » Porphyrionis interpretationem comprobavit Duentzerus[2], Weichertus etiam, ita tamen ut Maevio tum studium verborum obsoletorum obiecerit Horatius, tum corporis habitum illi exprobraverit, annotat enim Porphyrion ad « opima — praeda, » vs. 21.: « *apparet pinguem fuisse.* » Pergit autem Horatius per versus complures, donec ita desinit, vs. 21. sqq.:

---

[1] Ex Edit. Burmanni. De voce *curator* vid. Weichert. de Poët. Lat. Rel. p. 311.

[2] *Kritik u. Erklaerung d. Oden d. Horaz*, p. 78.

Opima quod si praeda curvo litore
Proiecta mergos iuveris;
Libidinosus inmolabitur caper,
Et agna Tempestatibus [1].

Caper et agna, secundum Schol. Cruq., immolantur, quod ingenio Maevii conveniunt, agna propter timiditatem, caper propter libidinem. Etiam in voce *olentem*, Horatium Maevii libidinem notasse putabat Dacerius. Marsi denique fragmentum [2]: « Hircum et alumen olens, » ad eundem Maevium pertinere censuit Weichertus [3]. Causam itineris Maevii ignoramus [4], nec quicquam fere de illius vita scriptisve traditum legimus. Mirum commentum est veteris interpretis ad Ovidii Ibin v. 525. sq.

Utque parum stabili qui carmine laesit Athenas,
Invisus pereas deficiente cibo,

haec annotantis: « *Maevius poëta, quia male descripsit Atheniensium gesta, ab eis in carcerem positus est, ubi eum fame mori fecerunt et libros eius deleverunt.* » Incertum est quem poëtam intelligat Ovidius, Maevio vero, inter Graecos poëtas, qui illo in loco recensentur, locus nullus esse potest. — Bavii mortem Hieronymus refert ad Ol. CLXXXVI. 2. i. e. 719. s. 720. Varr. [5]: « M. Bavius poëta, quem Vir-

[1] Ventis sacrificatum esse legimus e. c. apud Xenophontem in Anabasi Libr. IV. c. 5., Virgilium Aeneid. Libr. III. v. 120., Libr. V. v. 772., Senecam Nat. Quaest. Libr. V. c. 17. § 4.

[2] Apud Diomedem Libr. I. p. 304. Edit. Putschii.

[3] L. l. p. 319.

[4] Cf. de illo itinere Weichertus l. l. p. 319. sqq.

[5] Ita apud Weichertum l. l. p. 310. et 314. et apud Heynium in Virgilii Vita ad a. 720. legendum est pro: Ol. CLXXXVI. 3. s. 720. Varr.

gilius Bucolicis notat, in Cappadocia moritur. » Maevius a Porphyrione commemoratur etiam ad Libr. II. Sat. 3. v. 239.: « *Filius Aesopi :*) — *De hoc Maevius poëta scribit*, » et a Servio ad Georg. Libr. I. v. 210.: « serite hordea campis, » quem versum ita a Bavio aut Maevio, (nam sic apud Servium legendum esse ostendit Weichertus,) irrisum fuisse tradit ut in Virgilium alteruter dixerit:

Hordea qui dixit, superest ut tritica dicat.

Hordea enim male numero plurali adhibuerat Virgilius [1]. Heinsius, ut supra vidimus [2], Maevio tribuebat Carmen Epicum illud, quod irridetur ab Horatio in Arte Poët. vs. 136. sqq. Secutus ea in re, uti ipse testatur, Rhabanum Alanum in Anticlaudiano. Iahnius ad Horatii l. l. annotavit [3]: « M. Maevius — qui triumphos Caesaris malis versibus descripsit. » Rogat Weichertus [4] unde Iahnius illud rescierit. Legit procul dubio Iahnius apud Vanderburgium [5], qui duas glossas MSS. affert, alteram: « *in Marcum Maevium*, » alteram: « *in hac Ode facit Horatius invectivam in Nevium* [sic] *poëtam sui et Virgilii inimicum, qui triumphos Caesaris male descripsit.* »

---

[1] Weichertus l. l. p. 312. Eundem versum Cornificio Gallo adscribit Cledonius p. 1898. Putsch. Ignoratur poëta illius nominis neque de Cornelio Gallo, Virgilii amico, cogitare licet. Cf. Spalding. ad Quintil. Instit. Orat. Libr. I. c. 5. § 16.

[2] Vid. p. 14. Ita Heinsius in Animadvers. in Horat. p. 143. Edit. 1629. — Maevii nomine malum sui temporis poëtam designat Martialis Libr. X. Epig. 76. v. 8. et Libr. XI. Epig. 46.

[3] Pag. 247. Edit. sec.

[4] L. l. p. 324.

[5] In Edit. Horatii T. III. p. 604.

Fannius, malus poëta, duobus in locis ab Horatio notatur. Primum in Libr. I. Sat. 4. v. 21. sqq.:

beatus Fannius, ultro
Delatis capsis et imagine: cum mea nemo
Scripta legat volgo recitare timentis.

Scholiastae multum ineptiunt ad hunc locum, subiiciunt denique, Acron: « — *Fannius Quadratus eo tempore Satyram scribebat, et erat sine liberis. Huius imagines et libros haeredipetae in publicas bibliothecas referebant, nullo merito doctoris,* » Cruquianus: « *Fannius Quadratus — malus poëta, cum liberos non haberet, cet.,* » eadem omnia. Porphyrion simpliciter: « *imago et capsae cum libris in bibliothecas ultro receptae sunt.* » Heredipetae si gratiam Fannii captaverint, divitem fuisse necesse est, hominem etiam sordidum, qui nihilominus Hermogenis erat conviva, εἰλαπιναστὴς, nam ita Horatius altero loco Libr. I. Sat. 10. v. 79. sq.: Men' — cruciet

quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conviva Tigelli.

Capsae, quas commemorat Horatius, receptacula erant librorum sive aliarum etiam rerum [1]. Erant Fannio in bibliothecis capsae destinatae, imago praeterea ipsius iisdem in locis dicata. Bibliothecas *publicas* vocant Acron et Schol. Cruq. Cum vero Satiram 4. Libr. I. a. 715. iam composuerit Horatius [2],

[1] Libr. I. Sat. 10. v. 63., Libr. II. Epist. 1. v. 268., Catullus Carm. LXVIII. v. 36., Iuvenalis Sat. X. v. 117., Martialis Libr. XI. Epig. 8. v. 3.

[2] Ita Spohnius apud Iahnium in Edit. Horatii sec. p. 254., Passovius in Epist. Vers. Germ. not. 166., Weichertus de Vario et Cassio

prima autem publica bibliotheca Romae ab Asinio Pollione post triumphum, quem gessit a. 715. m. Oct., condita fuerit[1], altera, Octaviae, a. 721.[2], Palatina denique a. demum 726.[3], de privata bibliotheca cogitandum est. Bibliothecas scriptorum imaginibus fuisse ornatas, multi loci testantur[4]. Hunc autem morem, cum ab Asinio primum Pollione Romam perductum esse putarent, Spohnius capsas et imaginem ad bibliopolas perlatas esse censuit, Frankius[5] ita interpretatus est, ut eas Fannio dono dederint detulerintque, qui eius poëmata admirarentur. Quod Pollioni inventum illud tribuerint Interp., fecit locus Plinii Nat. Hist. Libr. XXXV. c. 2.: « non est praetereundum et novitium inventum. Siquidem non solum ex auro, argentove, aut certe ex aere, in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animae in iisdem locis ibi loquuntur: quinimo etiam quae non sunt, finguntur, pariuntque desideria non traditi vultus, sicut in Homero evenit. Quo maius,

---

p. 44. Frankius vero in Fastis Horat. p. 92. a. 716., Kirchnerus Quaest. Horat. in Tab. Chron. a. 722., Walckenaerius in *Histoire d'Horace, T. II. p.* 625. a. demum 724. adscripserunt. Verum, etiamsi Satira laudata demum post conditam Bibliothecam Asiniam scripta fuerit, imago tamen Fannii in eam delata non fuit; unius enim Varronis viventis imago in ea posita, vid. Plinius Nat. Hist. Libr. XXXV. c. 2.

[1] Cl. J. R. Thorbeckius de C. Asinio Pollione, p. 35. sqq.

[2] Dio Cassius Libr. XLIX. c. 43., cf. Thorbeckius l. l. p. 37. sq.

[3] Luersenius de Templo Apoll. Palat. p. 25.

[4] Seneca de Tranq. Animi c. 9. § 7., Martialis Libr. IX. in Epist. ad Turanium, Suetonius in Vita Tiberii c. 70., Plinius Nat. Hist. Libr. XXXV. c. 2., Sidonius Libr. IX. Epist. 16. v. 25. sqq., Isidorus Orig. Libr. VI. c. 5.

[5] In Fast. Horat. p. 95.

(ut equidem arbitror,) nullum est felicitatis specimen, quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis. Asinii Pollionis hoc Romae inventum, qui primus bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit. An priores coeperint Alexandriae et Pergami reges, qui bibliothecas magno certamine instituere, non facile dixerim. » Weichertus tamen, et iure quidem, morem illum ab eo demum tempore coepisse, sibi persuaderi passus non est[1], locum autem Plinianum non expedivit. Mihi vero, si quid iudico, non ita dicere videtur Plinius, ut putant VV. DD. Inventum Pollionis fuisse censeo ut primus Romae, in bibliotheca, *fictas* scriptorum posuerit imagines, quorum verae non supererant. Hoc autem an etiam factum fuisset Pergami Alexandriaeque, se ignorare dicit Plinius[2].

Pitholeontem, in eadem Satira[3] atque Fannium, perstringit Horatius :

> At magnum fecit [Lucilius,] quod verbis Graeca Latinis
> Miscuit. O seri studiorum! quine putetis
> Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
> Contigit?

---

[1] Poët. Lat. Rel. p. 295.

[2] Miro errore Cruquius hunc esse Fannium censuit, Sexti Pompeii socium, de quo Appianus de Bello Civ. Libr. V. c. 139., haud diversum, ut putabat, a Fannio Caepione qui in Augustum conspiravit, de quo Velleius Libr. II. c. 91. Spohnius, apud Iahnium in Horatii Edit. sec. p. 254., Fanninm illum intellexit tribunum pl. a. 695. [Cicero pro Sestio c. 53. et alibi,] legatum Cassii a. 715. [unde hoc? Legatus missus ad Sextum Pompeium fuerat a. 711. Cicero Phil. XIII. c. 6.] Atqui hi Fannii duo sunt inter se diversi, ut recte observavit Orellius in Onomast. Tulliano in voce.

[3] Libr. I. Sat. 10. v. 20. sq.

Nullo alio in loco Pitholeontis fit mentio. Cruquius nomen fictum esse censuit: ἀπὸ τοῦ πίθος καὶ λέων, ad designandum Demetrium illum, de quo vs. 78. sq. Bentleius, et ita quoque Weichertus[1], vero et pleno nomine dictum fuisse contendit M. Otacilium Pitholaum, de quo Suetonius[2]: « [Iulius Caesar] Pitholai carminibus maledicentissimis laceratam existimationem suam civili animo tulit, » et Macrobius[3]: « M. Otacilius Pitholaus, cum Caninius Rebilus uno tantum die consul fuisset, dixit: ante Flamines, nunc Consules diales fiunt, » natione Rhodium fuisse, manumissum a domino Otacilio. Glandorpius[4] illum M. Otacilium Pitholaum eundem esse putabat atque L. Otacilium Pilitum, libertinum, Rhetorem insignem, Cn. Pompeii magistrum[5]. Obstat vero vel praenominum diversitas uti observavit Lilius Gyraldus[6]. Ceterum, quem tangit morem Horatius in homine Graeco versus Latinos faciente, eius exempla apud Lucilium supra iam vidimus. Et supersunt ex Varronis Satiris Menippeis apud Gellium, apud Iuvenalem quoque, inprimis autem in Ausonii poëmatis.

Turgidum quoque Alpinum, quem a Furio, Libr. II. Sat. 5. v. 5., irriso, haud diversum fuisse pri-

---

[1] Poët. Lat. Rel. p. 333. Ante Bentleium ita censuerat Torrentius.

[2] In Vita Caesaris c. 75.

[3] Saturn. Libr. II. c. 2. cl. c. 3.

[4] In Onomastico p. 649.

[5] Suetonius de claris Rhetor. c. 3. Hieronymus Ol. CLXXIV. 4. i. c. 673. a. 674. Varr.: « Vultacilius Plotus, Latinus Rhetor, Cn. Pompeii libertus et doctor, scholam Romae aperuit. »

[6] De Poët. Hist. Dial. X. p. 368. Ita quoque Pontanus ad Macrobii l. l. p. 609., Baumgarten-Crusius in Indice I. ad Suetonium p. 63.

mus docuit Bentleius [1], perstringit Horatius Libr. I. Sat. 10. v. 36. sq.:

> Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona, dumque
> Defingit [2] Rheni luteum caput; haec ego ludo,
> Quae neque in Aede sonent, certantia iudice Tarpa,
> Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.

Annotat Acron: « — *vivalium quendam poëtam Gallum tangit.* » Inde Cruquius in Commentatore suo fecit: « *rivalem quendam poëtam Gallum tangit,* » Gesnerus autem pro *vivalium, rivalium* legebat. Porphyrion: « *Cornelius Alpinus Memnona hexametris nimirum versibus descripsit,* » unde Lilius Gyraldus [3] et Lambinus prorsus novum poëtam finxerunt Cornelium Alpinum, cui Lambinus praeterea Auli praenomen invenit. Cruquius turpi errore C. Cornelium Gallum intellexit, poëtam praeclarum et Virgilio amicissimum. Bentleius vero egregie *Vivaculum* emendavit, uti saepius a librariis pro *Bibaculo* scriptum fuisse constat [4], intelligitque Furium Bibaculum illum de quo tum Catullus, Suetonius,

---

[1] Ad Libr. I. Sat. 10. v. 37. Bentleium secutus est A. Weichertus: de M. Furio Bibaculo, s. turgido Alpino, in: Poëtarum Latin. Reliquiis.

[2] *Defingit* Porphyrion et Schol. Cruq., *diffingit* Acron, et ita Dacerius, Wielandus et Heindorfius. Heinsius in Horat. Animadvers. p. 76. corrigit: *Diffringit Rheni* set., respici putans ad Alpini Gigantomachiam. Recte vero Porphyrion: *defingit*:) — *in describendo Rheno, qui recte luteus, quod et turbidis semper aquis et limosis ripis sit, quasi ab ipso poëta luteum fieri male descriptione ostendit.* » Dilogiam in vs. praeced. recte quoque observarunt iam Scholiastae.

[3] De Poët. Hist. Dial. IV. p. 142.

[4] *Fusius Bivaculus* in Pontani Edit. Macrobii Libr. II. c. I. L. B. 1597. Cf. Pontanus ad l. l. p. 608.

Tacitus, Quintilianus, Plinius, tnm ipse Horatius, ut mox videbimus. Cremonae natus erat, teste Hieronymo Ol. CLXIX. 3., i. e. 652. s. 653. Varr.: « M. Furius Poëta cognomento Bibaculus Cremonae nascitur,» unde poëtam Gallum vocant Acron et Schol. Cruq., Horatius autem Alpinum vocat, vel quia Gallus erat, vel quia Bellum Gallicum descripserat, testibus Scholiastis ad Libr. II. Sat. 5. v. 41., vel, quod probabat Bentleius, propter infelicem versum:

Iuppiter hibernas cana nive conspuit Alpes,

a Quintiliano, auctoris nomine non addito, in exemplum durae translationis allato[1], quem vero Scholiastae ad locum modo laudatum, nbi eundem versum irridet Horatius, ex Fnrii Bibaculi Bello Gallico petitum esse docent. Apparet ex Horatio, Alpinnm tum Memnonis mortem, tnm flumen Rhenum malis versibus descripsisse. Alteram Interpretes fere referunt ad carmen Aethiopidem dictum, quod Furium scripsisse pntant. Dacerius vero de Tragoedia cogitabat, Memnone dicta. Equidem certum habeo persuasumque ad Tragoediam respicere Horatium, modo attendamus vs. 39.:

Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris,

quem ad remotiorem versum ex praecedentibus 36. et 37. referendum esse, sequitur ex illa Horatii ratione mentionis iterandae, de qua supra[2] monuimus. Erat autem Memnonis fatum saepius a Tragoedis, Aeschylo inprimis et Sophocle celebratum. Vs. contra 38.:

---

[1] Instit. Orat. Libr. VIII. c. 6. § 17. Apte Heindorfius confert Aristophanis Acharn. v. 136. et 138. sqq.

[2] Vid. pag. 94.

Quae neque in Aede sonent, certantia iudice Tarpa.

ad propriorem v. 37. refero, ita ut carmine illo, in quo Rheni caput definxerat Alpinus, cum aliis poëtis certaverit, iudice Tarpa. De Tarpa infra videbimus, nunc tantum observamus, eiusmodi certamina id temporis habita fuisse, uti legimus apud Suetonium [1]: « admonebat [Augustus] Praetores ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri. » — Rheni *caput* Interpretes fere *fontem* intelligebant, nec unquam pro *ostio* positum putabant, praeterquam in uno loco Caesaris de Bello Gallico Lib. IV. c. 10., ubi Rhenus dicitur *multis capitibus in Oceanum* influere. Weichertus [2] vero Lucani quoque attulit locos ex Pharsal. Libr. II. v. 52. et Libr. III. v. 202., ubi similiter caput pro ostio legitur. Rheni ostium arenosum fuisse constat, hinc luteum vocaverat Furius, ut videtur, in Bello Gallico suo. Ad idem carmen fortasse referendus est vs. ex Epistola ad Pisones 18. sq.:

Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus [3].

Videtur autem Furius Iulii Caesaris res gestas in Gallia exposuisse. Alter locus, ubi Horatius Furium tangit, est in Libr. II. Sat. 5. v. 39. sqq.:

Seu rubra Canicula findet
Infantis statuas, seu pingui tentus omaso
Furius hibernas cana nive conspuet Alpis.

---

[1] In Vita Octav. c 89. Iam antea fuerant vid. Macrob. Sat. Libr. II. c. 7.

[2] Poët. Lat. Rel. p. 339.

[3] Ita Weichertus l. l. Cl. Reenenius, Disput. de Epist. ad Pisones p. 31., aut de Furio Bibaculo aut de Iulio Montano, de quo Seneca Epist. CXXII. § 11., Ovidius ex Ponto Libr. III. Epist. 16. v. 11. sq., cogitandum esse censet.

Scholiastae annotant, Acron: « *Furius Bibaculus in pragmatia belli Gallici: Iupiter hibernas cana nive conspuet Alpes. Aliter: Furius poëta immanis ventris qui nivem spumam* [Heindorf. *sputum*] *Iovis dixit. Ideo hoc eius personae dedit quasi ipse spuat*, » Porphyrion: « *Hic versus Furii Bibaculi est cet.* » (sequitur idem versus,) Cruquianus: « *Furius* [ita quoque in contextu Cruquius,] *hibernas:*) *Fusius* [sic] *vivaculus in pragmatia belli gallici cet.* » (iterum eundem versum exhibet.) Quod *Fusius* scripserit Schol. Cruq., id ortum est ex perpetua literarum *r* et *s* permutatione, qua, qui olim Fusii et Valesii, iidem postea Furii et Valerii dicti fuerunt.[1] Eadem ratio in vocibus *arbor* et *arbos*, *honor* et *honos*, *lepor* et *lepos*. Ita quoque a *geso*, unde est *gessi*, factum *gero* est, ab *osis*, qui genitivus erat vocabuli *os*, factum *oris*[2]. Literae quoque *b* et *v* inter se permutatae fuerunt, unde *Vivaculus* dictus est qui *Bibaculus* vocabatur. Ita quoque tituli variant Carminis 8. Libr. II.: *Iuliae Barinae*, *Iuliae Varinae*, *ad Varinem*[3]. Eadem harum literarum cognatio patet ex vocibus Latinis literis Graecis, vel Graecis Latinis scriptis; fit *Servius* Σίρβιος, *Severus* Σεβῆρος s. Σεουῆρος, *Varro* modo Βάῤῥων, modo Οὐάῤῥων[4]; ex *φάλαινα* latine factum est *balaena*, cet. Versum 41. ex ipsius Furii carmine petitum fuisse vidimus, 39. contra et seq. ipsi Horatio Bentleius tribuit

---

[1] Ita Livius Libr. III. c. 4. Idem exemplum affert Macrobius in Saturnal. Libr. III. c. 2.

[2] I. N. Madvig. *Lateinische Sprachlehre*, § 8.

[3] Vanderburgius in Edit. Horatii T. I. p. 420.

[4] A. Matthiae *ausfuehrl. Griech. Grammatik* § 7.

aliique, Furio Bibaculo Weichertus [1]. Vocem *infantes* explicant Acron et Schol. Cruq.: « *Mutas*, *quae loqui non possunt*, » Porphyrion: « *quae fari non possunt*.» Rectius Fr. Iunius [2] explicat de aereis statuis novellis calore nimio disruptis. Verbis: « pingui tentus omaso, » Furii obesum corpus indicare videtur Horatius; bibacem fuisse refert Plinius in Praef. Nat. Hist.: « Nostri crassiores Antiquitatum, Exemplorum Artiumque [libros conscripserunt,] facetissimi Lucubrationum, ut qui Bibaculus erat et vocabatur. » Haud primus tamen e gente Furia cognomen Bibaculus accepit, uti locum Plinii intellexisse videtur Hieronymus, qui scribit: « M. Furius Poëta cognomento Bibaculus cet. » Occurrit enim L. Furius Bibaculus, Quaestor, qui periit in pugna Cannensi, apud Livium Libr. XXII. c. 49., et Praetor nominis eiusdem apud Valerium Max. Libr. I. c. 1. n. 9. Ceterum idem Furius a Quintiliano [3], qui, ut supra vidimus, eundem illius versum atque Horatius irriserat, cum Catullo ipsoque Horatio inter praecipuos Latinos Iambographos recensetur. Gellius [4] contra, Furium Latinam linguam dedecorasse scribit, eiusque in exemplum profert versus aliquot, singulatim, ut videtur, e Furii poëmatibus excerp-

[1] L. l. p. 343. Dacerius et Sanadonus mali cuiusdam poëtae, diversi vero a Furio Bibaculo, esse putabant.

[2] De Pictura Veterum p. 284. Iunius autem minus recte confert Diodori Siculi Libr. III. c. 34. Ibi enim sermo est de statuis frigore fractis, quemadmodum etiam apud Virgilium Georg. Libr. III. v. 363. cl. Libr. IV. v. 135.

[3] Instit. Orat. Libr. X. c. 1. § 96. Diom. Libr. III. p. 482. Putschii.

[4] Libr. VIII. c. 11.

tos. Lemma quidem illi Gellii operis capiti impositum illos adscribit Furio Antiati, suntque lemmata ab ipso Gellio, uti testatur in fine Praefationis, capitibus praefixa, verum potius cogitandum de corruptela in Gellii scriptura, uti ostendit Weichertus[1], quam versus tam elumbes, verborumque ampullis diffluentes A. Furio Antiati tribueudi, quem saepius imitatum esse Virgilium auctor est Macrobius[2]. Furii Bibaculi Epigrammata quoque supersunt, apud Suetonium[3], in Orbilium et Valerium Catonem. Augustum carminibus lacerasse apparet ex loco Taciti[4], ubi ita Tiberius: « Carmina Bibaculi et Catulli, referta contumeliis Caesarum leguntur. Sed ipse Divus Iulius, ipse Augustus, et tulere ista et reliquere. » Constat enim Catullum Iulium Caesarem lacessivisse[5], ideoque Bibaculi carmina ad Augustum referre praestat. Catullum amicitia iunctum fuisse cum Bibaculo, eique inscripsisse Carmen suum XI. putabat Is. Vossius. Denique, quanam de causa Horatius iuvenis adeo invectus fuerit in poëtam, Iambis certe Epigrammatibusque laudem aliquam nomenque consecutum, nusquam apparet. In vivis adhuc erat cum utramque Satiram Horatius scribebat. Superstes enim fuit Orbilio, cuius Epitaphium scripsit, hic autem obiit a. demum 641. uti ex Suetonii illius Vita apparet[6].

---

[1] L. l. p. 350. sqq.

[2] Saturnal. Libr. VI. c. 1.

[3] Suetonius de illustr. Grammat. c. 9 et 11.

[4] Annal. Libr. IV. c. 34.

[5] Suetonius in Vita Caesaris c. 73., cf. ipsius Catulli Carm. XXIX., LVII. et XCII.

[6] De illustr. Gramm. c. 9.

De Cassio Etrusco, deque Cassio Parmensi acturi satis habere debebimus Weicherti V. C. argumenta describere, prolata in libro peculiari quem supra laudavimus. Horatius in Libr. I. Sat. 10. vs. 56. sqq. :

> Quid vetat et nosmet Lucili scripta legentis
> Quaerere, num illius, num rerum dura negarit
> Versiculos natura magis factos et enntis
> Mollius, ac si quis, pedibus quid claudere senis
> (Hoc tantum) contentus, amet scripsisse ducentos
> Ante cibum versus, totidem cenatus? Etrusci
> Quale fuit Cassi rapido ferventius amni
> Ingenium; capsis quem fama est esse librisque
> Ambustum propriis.

Componit Cassium cum Lucilio, utrumque summa velocitate versus fundentem, ita vero ut lutulenti fluerent, essetque, quod tollere velles. Quae vero de genere sepulturae Cassii tradit Horatius, ea, animi causa, ab ipso ficta fuisse, vix quisquam negabit. Observat Weichertus [1], vocem *ambustus* hic cum eodem acumine esse usurpatam, quo Libr. IV. Carm. 11. v. 25. *ambustus* Phaëthon dicitur, et Munatius Plancus *ambustus* tribunus plebis a Cicerone pro Milone c. 5. Ita quoque discimus, non tam copiam, quam vilitatem carminum a Cassio scriptorum declarari. Multitudinem enim si Horatius voluisset, vocem *combustus* adhibuisset [2]. Scholiastae annotant, Acron: « *Hetrusci*) *Parmensis*, *quia de Parma ci-*

[1] De L. Varii et Cassii Parmensis Vita et Carminibus. Grimae 1836. p. 222.

[2] *Combustus* legere volebat Ier. Markland. in Epist. crit ad Fr. Hare p. 111.

vitate erat, Hetruriae, » eadem Cruquianus qui addit: « *cuius Tragoedia Thyestes exstat.* » Pergit Acron: « *Rapido ferventius amni*) *Cassium malum poëtam rapido amni qui multa purgamenta secum trahit, comparat, qui multa in parvo momento scripserat nullius utilitatis, ideo post mortem decrevit Senatus ut libri cum corpore incenderentur,* » eademque fere ad verbum Schol. Cruq., Porphyrion: « *Hetrusci Quale fuit Cassii*) *Cassium Hetruscum Parmensem dicit, cuius Tragoedia Thyestes extat. — Ambustum*) *Aspere, quod tam verbose, aut tam multa scripserit, ut cum non viderentur legi digna, illis ipsis mortuus exustus sit.* » In quibus scholiis primum observandum est Parmam ab Acrone et Schol. Cruq. Etruriae urbem vocari, quae tamen colonia, teste Livio [1], deducta est in agrum qui proxime Boiorum, ante Tuscorum fuerat, ita ut nullo iure Etruriae civitas appellari possit, neque ita traditum est ab ullo scriptore, exceptis Scholiastis. Cum vero apud Scholiastas ita legissent Glareanus, Lambinus, Dacerius, Sanadonus, Bentleius, Massonus [2]) alii, hoc loco Cassium Parmensem illum, quem commemorat Horatius in Epistola ad Tibullum [3], intelligendum esse censuerunt. Iam quod addatur scripta Cassii iussu senatus incensa fuisse, in eo Scholiastae procul dubio cogitarunt de Cassio Severo, cuius scripta S. C. abolita fuerunt [4], ati recte monuit

---

[1] Libr. XXXIX. c. 55.

[2] In Vita Horatii p. 156.

[3] Libr. I. Epist. 4. v. 3.

[4] Suetonius in Vita Caligulae c. 16.

Ruhnkenius [1]. Ita vero nondum a senatu in libros animadversum fuerat, quo tempore Horatius haec de Cassio Etrusco scribebat. Error tamen Scholiastarum Cassio apud VV. DD. tantum non omnes nomen meruit Cassii Severi Parmensis, ab Horatio altero loco, pro Parmensis, Etrusci dicti, addito praeterea praenomine Caio, quod unde arripuerint prorsus incertum est. Porphyrion et Schol. Cruq. Cassio Etrusco Tragoediam adscribunt Thyesten. Frequens illud argumentum a Cassio tractari potuit, potuit vero etiam annotatio Scholiastarum: « *cuius Tragoedia Thyestes extat*, » translata fuisse a librariis ex scholiis de Cassio Parmensi, de quibus mox videbimus, cum utrumque Cassium inter se confudissent. Nulla igitur est causa, quin poëtam illum, quem carpit Horatius l. l., vero suo nomine ibi designatum fuisse statuamus. De Cassio autem Parmensi ita Horatius in Epistola ad Tibullum, Libr. I. Epist. 4. v. 1. sqq.:

> Albi, nostrorum sermonum candide iudex,
> Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
> Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat? cet.

Annotat Acron: « *Hic aliquot generibus stylum exercuit. Inter quae opera elegiaca et epigrammata eius laudantur. Hic est, qui in partibus Cassii et Bruti tribunus militum militavit, quibus victis Athenas se contulit. Quintus Varus* [2] *ab Augusto missus ut eum*

---

[1] Ad Velleii Libr. II. c. 88.

[2] Perperam Ruhnkenius l. l. Acroni scripturam *Varius* tribuit. Ita solus Porphyrion. Schol. Cruq. etiam *Varus*. Nescio qua auctoritate Torrentius legerit *Q. Valerius*.

interficeret, studentem reperit, et perempto eo scrinium cum libris tulit. Unde multi crediderunt Thyestem Cassii Parmensis fuisse. Scripserat enim multas alias Tragoedias; » Schol. Cruq. eadem fere ad verbum; Porphyrion: « *Hic est Cassius, qui in partibus Cassii et Bruti Tribunus militum militavit, quibus victis Athenas se contulit. Q. Varius ab Augusto missus, ut eum interficeret, studentem reperit, et perempto eo scrinium cum libris tulit. cet.* » Quintum illum Varum Scholiastarum quum ignorarent VV. DD., Lucium contra Varium, amicum illum Virgilii Horatiique, edita Thyeste Tragoedia, iuclaruisse constaret[1], alii L. Varium turpissimi plagii reum fecerunt, alii Scholiastas Q. Varum et L. Varium inter se confudisse statuerunt. Nihil vero obstat, quominus fidem habeamus Scholiastis, modo de L. Vario ne cogitemus. Erat enim Q. Attius Varus, copiarum dux, de quo Virgilius in Ecloga IX. v. 26. sq., idem, cui Eclogam VI. inscripsit. Huic Cassii interficieudi muuus deferre potuit Augustus. Militaverat ille Varus sub Iulio Caesare in Gallia[2]. Hic quum haud alienus a Musis fuisse videtur, auctore Virgilio[3], edere Tragoediam Thyesten potuit, quam, iure seu etiam iuiuria, vulgus Cassii opus habuit[4]. Redeuudum autem est ad Cassium Parmensem. Viri Docti, qui in utroque loco apud Horatiuu unum

---

[1] Quintilianus Instit. Orat. Libr. X. c. I. § 98.

[2] Caesar de Bello Gallico Libr. III. c. 37., Libr. VIII. c. 28.

[3] In Eclogu VI. v. 11. sq. Perperam Ruhnkenius ad Velleii Libr. II. c. 88. huc vocat Eclog. IX. v. 35., ubi omnium consensu hodie *Vario* legitur. Memoratur vero Q. Attius Varus in eadem Ecloga v. 26. sq.

[4] Welckertus l. l. p. 81. sqq.

eundemqne Cassium designari censuerunt, cum sentirent unum eundemque poëtam ab Horatio modo laudari modo reprehendi non potuisse, duplicem viam inierunt, qno Horatium secum in concordiam redigerent. Alii, qnorum princeps Ruhnkenius [1], Cassium Etruscum non adeo vituperatum fuisse voluerunt, sed potius obiter reprehensum; alii, quorum sententiae Spohnius auctor fuit [2], Cassium Parmensem non minus quam Cassium Etruscum ab Horatio vituperatum fuisse contenderunt. Ruhnkenii interpretationi obstat, qnod Horatius, ubi exemplum Cassii Etrusci affert, in vitiis Lucilii poëtae castigandis versatur, quibus iisdem vitiis tenebatur Cassius, minime in virtutibus Lucilii extollendis. Contra, si Cassium Parmensem notatum ac reprehensum fuisse cum Spohnio statuimus, Horatium simul inhumanitatis arguimus, qui in epistola ad amicum tristem sollicitumque, qnem erigere et consolari cupit, eiusdem opera poëtica inepto ioco perstringit. Haec quum nullo modo componi possint, Cassium Etruscum diversum a Cassio Parmensi fuisse cum Weicherto statuendum est. Alter bonus poëta fuit, alter malus, hic ex solo Horatio innotuit, alter notus etiam ex Historicis. Fnerat enim Cassius Parmensis unus ex Iulii Caesaris percussoribus, Italiam una cnm Bruto Cassioque reliqnit, eosque in Asiam secutus, tribunus militum factus, classiqne praepositus est. Post pugnam Philippensem Siciliam cnm classe petiit seque Sexto Pompeio adinnxit, nulla enim ei redeundi spes, dam-

[1] Ad Velleii l. I.

[2] Apud Iahnium in Horatii Edit. sec. p. 261 et 274.

nato lege Pedia, superesse poterat. Mansit apud Sextum Pompeium ad annum usque 718., quo hic, victus ab Agrippa, Asiam petiit, ubi quum adversus M. Antonium opibus praevalentem, bellum summa cum temeritate pararet, relictus est a Cassio Parmensi aliisque, qui pacta fide ad Antonium transierunt. Interfuit Cassius Parmensis pugnae Actiensi, victo Antonio, Athenas se contulit. Hic quum, teste Valerio Maximo [1], malum genium suum noctu ad se venientem conspexisset, paulo post iussu Caesaris Octaviani capitis supplicio affectus, ultimus ex percussoribus Caesaris morte poenas dedit [2]. Haec apud Valerium Maximum, Velleium, Appianum [3], Orosium leguntur, quibus tum Scholiastae erroris arguuntur, qui pro pugna Actiensi, Philippensem posuerunt, tum simul apparet, Cassium Parmensem vitam ultra annum 723. produxisse, quum Cassius Etruscus mortuus diu ante iam esset, quo tempore Satira 10. Libr. 1. scripta est [4]. Ceterum in castris Bruti Cassiique Horatio Cassius Parmensis innotescere potuit, potuit etiam Messallae, easdem partes secuto, Tibulli patrono summoque amico, cui eo gratior accedere debebat Cassii honorifica apud Horatium commemoratio. Fragmenta Cassii Parmensis, quae habemus, pauca neque vacua omni suspicione, collegit Weichertus [5].

---

[1] Libr. I. c. 7. n. 7. Cf. simile quid de Bruto apud Appianum de Bello Civili Libr. IV. c. 134.

[2] Velleius Libr. II. c. 88., Orosius Libr. VI. c. 19.

[3] De Bello Civili Libr IV c. 2. et 130.

[4] Vid. supra p. 97.

[5] L. 1. p. 269. sqq. Refert Weichertus ad Cassium Parmensem

Singularis opinio fuit Gesneri, Domitium Marsum auctorem Amazonidis, ab Horatio irrideri Libr. IV. Carm. 4. v. 18. sqq.:

> Vindelici; quibus
> Mos unde deductus per omne
> Tempus Amazonia securi
>
> Dextras obarmet, quaerere distuli:
> Nec scire fas est omnia:

Quatuor illi versus: « quibus — omnia, » displicebant iam Lambino, Fabroque; Guietus, Sanadonus, Ianius[1], Peerlkampius eiecerunt. Solus Vandenburgius[2], quod sciam, defendere conatus est. Servavit quoque Doeringius.

Ovidium ut commemoremus, facit locus e Vita Horatii, quam Kirchnerus edidit in suis *Quaestionibus Horatianis*, Lips. 1834., ex Codice Berolinensi B. « [Horatio] fuit etiam amicissimus Ovidius, quem ad poëticam convertit artem, cum pater eum ad defendendas causas et rhetoricam disciplinam, lucri gratia adhortaretur amplectendam. » Totum locum ex Ovidii Trist. Libr. IV. El. 10. v. 21. sqq., 49. sq. expressum fuisse puto.

Epigrammata in Caesarem Octavianum apud Suetonium in Vita c. 70. Fragmentum ex Epistola illius servavit Suetonius l. l. c. 4. Poëma *Orpheus*, quod nonnulli Cassii Parmensis esse censebant, iam diu illi a VV. DD. abiudicatum est.

[1] In Excursu ad Carmen laudatum.

[2] In Horatii Edit. T. II. p. 380. sqq.

CAPUT SECUNDUM.

PHILOSOPHI.

§ 1.

Poëtas excipiant Philosophi; arcta enim coniunctio est poëseos cum philosophiae studio, quin antiquitus iidem, qui poëtae, sapientes et dicerentur et haberentur[1]. Hinc Horatius, ubi dicit[2]:

> Fuit haec sapientia quondam,
> Publica privatis secernere, sacra profanis;
> Concubitu prohibere vago; dare iura maritis;
> Oppida moliri; leges incidere ligno.
> Sic honor et nomen divinis vatibus atque
> Carminibus venit.

eadem omnia poësi tribuit quae Cicero philosophiae, celeberrimo illo loco: « O vitae Philosophia dux, — tu urbes peperisti: tu dissipatos homines in vitae societatem convocasti: tu eos inter se — iunxisti, cet.[3] » Post etiam, omni tempore, Romae autem

[1] Diog. Laërt. Libr. I. § 12.

[2] Art. Poët. v. 396. sqq.

[3] Tuscul. Quaest. Libr. V. c. 2. Cicero sua ex Platone hausit, cf. Kuehner. ad l. l.

inprimis Horatii temporibus, multi fuerunt qui utrumque studium coniungerent. Atque ipse Horatius per totum vitae spatium eam rationem tenuit. Adolescens, inter silvas Academi, discebat, ut ipse loquitur [1], « curvo dignoscere rectum [2] » et « verum quaerere. » Ubi haud inficete Schol. Cruq.: « *iucunde* — (*Academici*) *ita quaerunt* (*verum,*) *ut id negent inveniri posse*, » prudenter enim assensionem a rebus incertis cohibere solebant [3]. — Iuvenis libenter se cum vicinis profitetur inquirere [4], utrum ad vitam beatam satis praesidii in sese virtus haberet, quae fere Stoicorum erat sententia [5], an praeterea divitiis opus esset ceterisque τῶν τε περὶ σῶμα—καὶ τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν [6]; utrum usus an rectum, i. e., uti bene explicat Schol. Cruq., « *utilitas an honestas*, » magis valeret ad amicitias contrahendas; cum illud Epicurei [7], hoc ceteri fere philosophi statuerent [8]; denique in eam quaestionem, qua tota ethica philosophia continebatur, « quae sit natura boni, summumque quid

---

[1] Libr. II. Epist. 2. v. 44. sq.

[2] Miror etiam inter recentiores fuisse: Tatium in Horatio Restituto Prol. p. LII. et Walckenaerium in *Histoire d'Horace T. I. p.* 53., qui verba illa referrent ad geometriae studium. Locum iam bene intellexerat Lambinus.

[3] Cicero de Nat. Deor. Libr. I. c. 1.

[4] Libr. II. Sat. 6. v. 70. sqq.

[5] Diog. Laërt. Libr. VII. § 127., Cicero Tuscul. Quaest. Libr. V., de Finibus Libr. IV. c. 19., Parad. II.

[6] Diog. Laërt. Libr. III. § 78., cf. Cicero de Finibus Libr. II. c. 11., Libr. V. c. 30.

[7] Diog. Laërt. Libr. X. § 120., Cicero de Amic c. 8. et 9., de Finibus Libr. I. c. 20., Libr. II. c. 24., de Nat. Deor. Libr. I. c. 44.

[8] Diog. Laërt. Libr. III. § 81., Libr. V. § 31., Libr. VII. § 124.

eius[1]. » Hoc iuvenis scripsit, in domo Maecenatiana florens, siquidem Satiram 6. Libr. II. composuit a. 723., vitae suae XXXIV[2]. Aetate vero provectiore omnis in exquirendo quid verum atque decens, modo: « agilis factus, » e praecepto Stoïcorum, mersabatur civilibus undis[3], modo ex Aristippi sententia, sibi res, non se rebus subiungere conabatur[4], totus deditus

agendo gnaviter id, quod
Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque:
Aeque neglectum pueris senibusque nocebit[5],

idque suo Marte, se duce, agebat Horatius. Ipse sibi instituit philosophiam practicam, amabilem, locis et temporibus aptam, cuius finem vere dixeris, in omnibus rebus mediocritatem. Academicos inprimis hac in re secutus, tamen haud in omnibus probabat « nullius addictus iurare in verba magistri[6]. » Hinc quoque singularum fere disciplinarum egregia quaeque placita commendata ab illo videmus, absona

---

[1] Libr. II. Sat. 6. v. 76.

[2] Bentleius in fine Praefationis suae refert ad a. 718. Ei se adstipulari dicit Heindorfius in Satirarum Edit. p. 392. Wielandus ante illum annum reiecit. Ceteri Chronologi Horatiani, post Massonum in Vita Horatii p. 150., omnes ad a. 723. retulerunt. Vid. Frankius in Fastis Horat. p. 122.

[3] Diog. Laërt. Libr. VII. § 121., Cicero de Finibus Libr. III. c. 20., Seneca de Tranq. Animi Libr. I. c. 6.

[4] Libr. I. Epist. 1. v. 16. sqq. Respicere videtur celebre illud Aristippi dictum: « habeo, non habeor a Laide. » Vid. Cicero ad Divers. Libr. IX. Epist. 26., Athenaeus Libr. XII. c. 11. p. 544. E., Diog. Laërt. Libr. II. § 75.

[5] Libr. I. Epist. 1. v. 24. sqq.

[6] L. l. v. 14.

contra, naturaeve rerum contraria refutata atque irrisa. Qua in re mira Horatii cum Cicerone, ex eadem disciplina profecto, suo autem iudicio, non doctorum modo, utenti, consensio est, quam, nisi alienum esset hoc loco, lubenter fusius exponeremus. Ita Horatius Epicuri doctrinam[1] de iustitia exponit probatque[2]:

— utilitas, iusti prope mater et aequi,

quae Aristippi etiam sententia erat[3], Stoicis diverse sentientibus[4]. Pergit:

Cum prorepserunt primis animalia terris[5],
Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, cet.

et paullo post[6]:

Iura inventa metu iniusti fateare necesse est,
Tempora si fastosque velis evolvere mundi.
Nec natura potest iusto secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis, fugienda petendis.

Eiusdem sententiam de Diis suam facit[7]:

Deos didici securum aegere aevum;
Nec, si quid miri faciat natura, Deos id
Tristis ex alto caeli demittere tecto.

---

[1] Diog. Laërt. Libr. X. § 150. et 151. inter *κυρίας δόξας* Epicuri XXXIV—XXXVII. inprimis XXXIV.

[2] Libr. I. Sat. 3. v. 98. sqq.

[3] Diog. Laërt. Libr. II. § 93.

[4] Id. Libr. VII. § 128.

[5] Cf. Anaxagorae sententia ap. Diog. Laërt. Libr. II. § 9., Ovidius Metam. Libr. I. v. 416. sqq., Diod. Siculus Libr. I. c. 10.

[6] Vs. 111. sqq.

[7] Libr. I. Sat. 5. v. 101. Epicuri sententia legitur prima inter eius *κυρίας δόξας* apud Diog. Laërt. Libr. X. § 139.

Lucretium imitatus [1]:

> bene qui didicere Deos securum agere aevum.

verum ita iuvenis; post mutavit sententiam seque magis inclinasse videtur ad Stoicos,

> Parcus Deorum cultor et infrequens,
> Insanientis dum sapientiae
> Consultus erro; nunc retrorsum
> Vela dare, atque iterare cursus
> Cogor relictos [2].

uti bene exposuit Mitscherlichius. Etsi aliter alii. — At contra iocatur in eundem Epicurum in Epistola ad Tibullum [3]:

> Me pinguem ac nitidum bene curata cute vises,
> Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum,

prorsus eodem modo quo Cicero ad Paetum [4]: « In Epicuri nos adversarii nostri castra coniecimus. »

Stoicorum vehementer exagitat Paradoxa: Omnia peccata esse paria [5]; id quod inprimis contendebant:

---

[1] Idem versus bis legitur apud Lucretium Libr. V. v. 83. et Libr. VI. v. 57., cf. Libr. I. v. 57., Cicero de Nat. Deor. Libr. I. c. 17. et 30., de Off. Libr. III. c. 28., de Legibus Libr. I. c. 7., de Divin. Libr. II. c. 17., Sextus Empir. Hypoth. III. p. 172: 25. Ed. Imm. Bekkeri.

[2] Libr. I. Carm. 34. v. 1. sqq. Heinsius legit: *relectos*, secutus est Bentleius.

[3] Libr. I. Epist. 4. v. 15. sq.

[4] Cicero ad Divers. Libr. IX. Epist. 20. Locus omissus est in Orellii Onomast. Tulliano.

[5] Cicero Parad. III., de Finibus Libr. IV. c. 19. et 27., pro Murena c. 29., Plutarchus de Repugn. Stoic. c. 13., Diog. Laërt. Libr. VII. § 120.

Quis paria esse fere placuit peccata, laborant,
Cum ventum ad verum est [1];

quod idem tamen statuere videtur ipse Horatius in Epistola ad Quintium [2]:

de mille fabae modiis cum surripis unum
Damnum est, non facinus, pacto mihi lenius isto,

sed diversa ratio eius loci est quem egregie illustrat Ciceronis locus: de Finibus Libr. IV. c. 27.; alterum Paradoxon: Insipientes μαίνεσθαι, insanire [3], quod proprium hac in re est vocabulum [4]:

Quem mala stultitia, et quemcumque inscitia veri
Caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
Autumat [5];

denique: Sapientem esse solum liberum [6], formosum, sanum, « nisi quid pituita molesta est [7], » observat Horatius, artificem optimum [8], Regem denique Regum [9], qui scilicet: « quadrante lavatum [10] » ibat.

---

[1] Libr. I. Sat. 3. v. 96. sq.

[2] Libr. I. Epist. 16. v. 55. sq.

[3] Diog. Laërt. Libr. VII. § 124. et 127., cf. Cicero pro Murena c. 29., de Finibus Libr. IV. c. 27., Parad. IV.

[4] Cicero Tuscul. Quaest. Libr. III. c. 5.

[5] Libr. II. Sat. 3. v. 43. sqq., cf. 32., 40. et 81.

[6] Diog. Laërt. Libr. VII. § 121. et 122. Cicero Parad. V., de Finibus Libr. IV. c. 27.

[7] Libr. I. Epist. I. v. 108.

[8] Libr. I. Sat. 3. v. 122. sqq.

[9] Libr. I. Epist. 1. v. 107., Cicero de Finibus Libr. III. c. 22., Plutarchus in Libro: Stoicos quam Poëtas absurdiora dicere c. 5. et 6., Diog. Laërt. Libr. VII. § 123.

[10] Libr. I. Sat. 3. v. 137., cf. Iuvenalis Libr. VI. v. 446. sq., Seneca Epist. 86. § 8.

Habitum vero exteriorem Stoicorum inprimis deridet, barbam promissam [1],

> vellunt tibi barbam
> Lascivi pueri,

baculum [2], pannum duplicem [3], perpetua insignia Stoicorum vel Cynicorum potius [4], quorum tamen cum illis origo communis, ratio haud admodum diversa [5]. Nec mirum hoc accidit in conviva Maecenatis, fastidiosissimi viri, ad quem Horatius [6]:

> Si curatus inaequali tonsore capillos
> Occurro; rides,

quique stomachabatur, « prave sectum — ob unguem [7]. » Idem vero Horatius, abreptus imagine perfecti sapientis e mente Stoicorum talem nobis exhibuit, quem

> Si fractus inlabatur orbis,
> Inpavidum ferient ruinae [8].

Etiam alio loco Libr. II. Sat. 7. v. 83. sqq. eundem vere depinxerat:

> Quisnam igitur liber? Sapiens: sibi qui imperiosus;
> Quem neque pauperies, neque mors, nec vincula terrent;

---

[1] Libr. I. Sat. 3. v. 133. sq., Libr. II. Sat. 3. v. 17. et 35.

[2] Libr. I. Sat. 3. v. 134.

[3] Libr. I. Epist. 17. v. 25.

[4] Diog. Laërt. Libr. VI. § 6. 13. 21. 23. 88. et 102., cf. Gellius Libr. IX. c. 2., Apulelus in Apologia.

[5] Cicero de Orat. Libr. III. c. 17., Seneca de Brevit. Vitae c. 14. § 5., Iuvenalis Sat. XIII. v. 121. sq., Diog. Laërt. Libr. VI. § 14. et 15.

[6] Libr. I. Epist. 1. v. 94. sq.

[7] L. l. v. 104.

[8] Libr. III. Carm. 3. v. 7. sq.

Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis: et in seipso totus; teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leve morari;
In quem manca ruit semper fortuna.

ubi tamen, quod e persona auditoris Stertinii, non e sua, loquitur, dubitari possit, utrum serio an per iocum loquatur.

Praeceptum: « nil admirari, » laudatum in Epistola ad Numicium[1], etsi Pythagoreorum inprimis proprium erat[2], tamen propter ea quae sequuntur:

Hunc solem, et stellas, et decedentia certis
Tempora momentis, sunt qui formidine nulla
Imbuti spectent[3],

ad Stoicos potius referendum puto. Hi enim statuebant: « *τὸν σοφὸν οὐδὲν θαυμάζειν τῶν δοκούντων παραδόξων, οἷον χαρώνεια, καὶ ἀμπώτιδας, καὶ πηγὰς θερμῶν ὑδάτων, καὶ πυρὸς ἀναφυσήματα*[4]. » Contra vero, in Epistola ad Fuscum Aristium, Horatium, ubi dicit: « Vivere naturae si convenienter oportet[5], » non adeo Stoicorum celebre illud: *ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν*, respicere, sed potius more Romano locutum esse, recte post Torrentium, Obbarius[6] probavit.

Academicorum autem mediocritatem semper laudavit et secutus est Horatius. Hanc in omnibus rebus commendabat:

---

[1] Libr. I. Epist. 6. v. 1.
[2] Plutarchus de recta ratione audiendi c. 13.
[3] Libr. I. Epist. 6. v. 3. sqq.
[4] Diog. Laërt. Libr. VII. § 123. Ead. Suidas in voce *ἄμπωτις*.
[5] Libr. I. Epist. 10. v. 12. Cf. Libr. I. Sat. 1. v. 49. sq.
[6] In Epist. Ed. Fasc. V. p. 61.

Virtus est medium vitiorum, et utrimque reductum [1],

quod idem alio loco [2], etiamsi minus e praecepto Dialecticorum, at lucide tamen, definitum habet:

Virtus est, vitium fugere; et sapientia prima,
Stultitia caruisse.

Quam denique ubique in scriptis, variis modis institutam reperimus, mediocritatis illius commendationem, totam complectitur hisce versibus [3]:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

§ 2.

Sed iam de singulis Philosophis videndum est. Horum, uti nomine [4], ita temporum ordine primus occurrit Pythagoras, Italicae philosophiae princeps, de quo ea tradit Horatius, quae utrum magis sint in vulgus nota an intellectu difficiliora, dubito. Pertinent fere ad doctrinam de animarum migratione. Ipse Pythagoras [5] renatus vocatur, cum iam antea, Panthoides, vita functus, iterum, Pythagoras factus, Orco sit demissus,

---

[1] Libr. I. Epist. 18. v. 9.

[2] Libr. I. Epist. 1. v. 41. sq

[3] Libr. I. Sat. 1. v. 106. sq.

[4] Cicero Tuscul. Quaest. Libr. V. c. 3., Valerius Max. Libr. VIII. c. 7. ext. 2., Quintilian. Inst. Orat. Libr. XII. c. 1., Diog. Laërt. in Prooem. § 12.

[5] Epod. XV. v. 21.

quamvis clypeo Troiana refixo
Tempora testatus, nihil ultra
Nervos atque cutem morti concesserat atrae [1],

ubi tamen ex mente interlocutoris *concesserit* scribendum esse puto. Dicit enim hoc. Is, qui prius Panthoides dictus *fuerat*, post, Pythagoras factus, iterum Orco demissus *fuit*, eum *habent* Tartara, quamvis nihil *concesserit* cet. Clypeus ille, quem occiso Euphorbo, Panthoi filio, detraxerat Menelaus [2], ubinam a Pythagora agnitus fuerit, in eo variant qui historiam tradiderunt [3]; variant etiam in eo, utrum, uti est apud Horatium, Panthoides, i. e. Euphorbus tamdiu in Orco remanserit, donec Pythagoras evaserit [4], an vero interea semel atque iterum, sub alio identidem nomine, versatus sit in terris, rursusque in Tartara reversus [5]. Cum hac ani-

[1] Libr. I. Carm. 28. v. 11. sqq.

[2] Homerus Iliad. Libr. XVII. init.

[3] Ovidius Metamorph. Libr. XV. v. 164.: « Abantaeis templo Iunonis in Argis; » Diog. Laërt. Libr. VIII. § 5., ex Heraclide Pontico, agnitum tradit a Pythagora, quo tempore esset Hermotimus, in Branchidarum templo, quod erat iuxta Miletum, v. Strabo Libr. XIV. p. 634. Ed. Casaub. 1620.; Iamblichus in Vita Pythagorae c. 14. et Porphyrius in Vita eiusdem c. 27. Mycenis in templo Iunonis. In hoc templo clypeum vidit Pausanias, qui tamen nullam Pythagorae facit mentionem, Libr. II. c. 17. p. 148. Ed. Kuhnii.

[4] Ita Ovidius Metamorph. Libr. XV. v. 160., Hyginus Fab. 112., Philostratus in Vita Apollon. Tyan. Libr. III. c. 19. p. 110., Libr. VIII. c. 7. p. 333., in Vita Sophist. XVII. p. 725. Ed. Olear., Iamblichus in Vita Pythagorae c. 14.; neque Lucianus aliter tradere censendus est, nam quae habet in Gallo, inprimis c. 19. et 20. cl. Varae Hist. Libr. II. c. 21. ipse procul dubio finxit, non ab aliis accepit. In Dial. Mort. XX., Pseudolog. c. 4. solum Euphorbum nominat.

[5] Varias successiones tradunt Heraclides Ponticus ap. Diog. Laërt.

marum migratione, abstinentiam carnis animalium cohaerere fere statuunt, quo referendum puto iocum in Epistola ad Iccium [1]:

> seu piscis, seu porrum et caepe trucidas,

ubi tum de piscibus, ex mente Pythagoreorum, trucidare dicit Horatius, tum porro et caepae ludens, ni fallor, idem adaptat vocabulum, quod eorum, ut hominum, *capita* sunt, quae caeduntur [2]. Idem etiam lusus est apud Ovidium in sermone Numae regis cum Iove de ritu fulminis eliciendi. Iupiter [3]:

> Caede caput, dixit; cui rex, parebimus, inquit,
> Caedenda est bortis eruta caepa meis,

seu, inquit Horatius, animalibus abstinens, Empedoclis Pythagorei doctrinam amplexus, nihil trucidas nisi porrum et caepe, seu Stertinium Stoicum secutus pisces etiam trucidare audes cet. Piscibus autem vel omnibus [4], vel, ut alii tradunt, certis

---

Libr. VIII. § 4. et 5.; Dicaearchus et Clearchus ap. Gellium Libr. IV. c. 11., Tertullianus, vid. supra pag. 54., Lactantius, vid. ibid., Porphyrius in Vita Pythagorae c. 45., Scholiastae ad Sophoclis Electram v. 62., et ad Apollonii Rhod. Argonaut. Libr. I. v. 645., quarum mira diversitas simpliciorem illam traditionem, qualem etiam Horatius habet, inprimis commendare videtur. De successione animae Pythagoreae, quam Homerus etiam Ennlusque partem occupant, supra iam vidimus.

[1] Libr. I. Epist. 12. v. 21., cf. v. 20.

[2] Isidorus Origin. Libr. XVII. c. 10. vocabulum ipsum deducit a voce caput, quia non aliud est nisi caput. Cf. Plut. in Vita Numae c. 15.

[3] Ovidius Fast. Libr. III. v. 339. sq.

[4] Plutarchus Sympos. Libr. VIII. Quaest. 8. c. 3., Athenaeus Libr. VII. c. 16. p. 308. Edit. Casaubon. 1657.

quibusdam [1] abstinebant Pythagorei. Empedocles vero, prae ceteris eiusdem sectae, aegre ferre debebat quod pisces trucidarentur, utpote, qui ipse piscem se fuisse meminerat:

ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ γενόμην κοῦρος τε κόρη τε,
θάμνος τ' οἰωνός τε, καὶ ἐξ ἁλὸς ἔμπυρος ἰχθύς [2].

Fabis etiam abstinebant, res notissima, cuius causae plures traduntur, ab aliis aliae. Verum ad Horatii locum [3]:

O quando faba Pythagorae cognata cet.,

illustrandum egregie facit illa causa, quam tradit Porphyrius in vita Pythagorae [4], scilicet quod eadem esset fabis cum hominibus origo, genitis, inquit, *ἀπὸ τῆς αὐτῆς σηπεδόνος.*

Cogitat praeterea Horatius unum ex aureis illis Pythagorae praeceptis [5], « ignem gladio scrutari » vetantis, quod ita explicatur apud Diogenem Laër-

---

[1] Diog. Laërt. Libr. VIII. § 19., cf. Iamblichus in Vita Pythagorae c. 21.

[2] Diog. Laërt. Libr. VIII. § 77. Iidem versus leguntur apud Athenaeum Libr. VIII. c. 17. p. 365. Cf. Tertullianus de Anima c. 32. p. 287. C.

[3] Libr. II. Sat. 6. v. 63.

[4] C. 43. et 44. Cf. Plinius Nat. Hist. Libr. XVIII. c. 12., Scholiastes ad Iuvenal. Sat. XV. v. 173. sq. Varie explicant Cicero de Divin. Libr. I. c. 30., Libr. II. c. 58., Plutarchus de Pueror. Educat. c. 17., Gellius Libr. IV. c. 11., (Est egregia emendatio ad eum locum Doct. Heckeri in Comm. Critica de Anthol. Gr. p. 269.) Diog. Laërt. Libr. VIII. § 24. et 34., Iamblichus in Protrept. c. ult. Symb. XXXVII.

[5] Libr. II. Sat. 3. v. 276., Diog. Laërt. Libr. VIII. § 17., Plutarchus in Vita Numae c. 14.

tium [1]: δυναστῶν ὀργὴν καὶ οἰδοῦντα θυμὸν μὴ κινεῖν, eodemque modo, sed omissa τῶν δυναστῶν additione, a Plutarcho [2], Athenaeo [3], Iamblicho [4] et Porphyrio [5]. Haec de difficillima quaestione Pythagorea pingui crassaque Minerva disputata sufficient spero ad locos Horatii laudatos illustrandum.

Empedocles Pythagoreus, « poëta Siculus [6], » hoc nomine summis laudibus a veteribus est affectus. Lucretius [7]:

> Carmina quin etiam divini pectoris eius
> Vocifcrantur et exponunt praeclara reperta,
> Ut vix humana videatur stirpe creatus.

Eius placitum: « στοιχεῖα μὲν εἶναι τέτταρα, πῦρ, ὕδωρ, γῆν, ἀέρα φιλίαν τε ᾗ συγκρίνεται, καὶ νεῖκος ᾧ διακρίνεται [8], » ita expressit Horatius in Epistola ad Iccium [9]:

> Quid velit et possit rerum concordia discors.

Commemoratur praeterea in Epistola ad Pisones [10], in exemplum vesani hominis, cupidi mortis famosae:

---

[1] Libr. VIII. § 18.

[2] De Pueror. Educat. c. 17.

[3] Libr. X. c. 19. p. 452. D.

[4] Vita Pythagorae c. 32., Protrept. c. ult. Symb. IX.

[5] Vita Pythagorae c. 42.

[6] Art. Poët. v. 463.

[7] Libr. 1. v. 717. sqq. Cf. Cicero de Orat. Libr. I. c. 50., Dion. Halicarn. de Compos. Verb. c. 22., Diog. Laërt. Libr. VIII. § 57.

[8] Diog. Laërt. Libr. VIII. § 76., cf. Ovidius Metamorph. Libr. I. init., Cicero de Amicitia c. 7.

[9] Libr. I. Epist. 12. v. 19.

[10] Vs. 463. sqq.

Siculique poëtae
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Insilnit.

Annotat Acron ad: « *ardentem frigidus:*) *Empedocles enim dicebat ingenia frigido circa praecordia sanguine impediri.* » Latet igitur iocus egregius in voce *frigidus*. Frigidus, i. e. stultus erat Empedocles, ex sua ipsius sententia, qui frigidum circa praecordia sanguinem iis tribuebat qui impediliores erant ingenio. Quis vero impeditior illo ipso [1]? Iocum etiam captavit Horatius in opposito: « ardentem frigidus. » Empedocli autem ab Horatio, at animi causa puto, ut postea a Luciano [2], id genus mortis tribuitur, quod celebratissimum erat [3], cum de vera mortis causa iam antiquitus dubitatum fuerit [4]. Quod addit Horatius, Empedoclem haberi voluisse Deum, in eo respicit ipsius dictum [5]:

Χαίρετ', ἐγὼ δ' ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος οὐκ ἔτι θνητὸς
Πωλεῦμαι.

---

[1] Cf. Cicero Tuscul. Quaest Libr. I. c. 9., quosque ibi laudat Kuehnerus. Virgilius Georg. Libr. II. v. 483. sq. eandem atque Acron sententiam exprimit.

[2] Dial. Mort. XX., Vera Hist. Libr. II. c. 21., Icaromenippo c. 13., Fugitivo c. 2., Piscatore c. 2., Morte Peregrini c. 1.

[3] Strabo Libr. VI. p. 274. et 276. Ed. Casaubon. 1620., Diog. Laërt. Libr. VIII. § 69., Lactantius Divin. Instit. Libr. III. c. 18. T. I. p. 238. sq. Ed. Dufresn. Suidas in voce.

Strabo l. l., Diog. Laërt. Libr. VIII. § 67. sqq.

[5] Diog. Laërt. ibid., cf. Philostratus Vita Apollon. Tyan. Libr. VIII. c. 7. p. 335. Ed. Olearii.

qnod, male fere acceptum, qui vere sit interpretandum docuit Sextus Empiricus [1].

Archytas Tarentinus, nobilis Pythagoreus [2]. Quae de huius morte apud Horatium leguntur, ea unde petita fuerint ignoramus. Inducitur umbra Archytae, inhumati iacentis, postquam naufragium passus fuerat prope litus Matinum, — « *Matinus*, » secundnm Schol. Cruq., « *vicus et mons Apuliae, iuxta quem Archytas sepultus est, sive, ut quibusdam placet, vicus Calabriae*, » illnd rectius, ut ostendit ipse Cruquius, collato loco e Plinii Nat. Hist. Libr. III. c. 11. — rogat nautam Archytas ut sibi ter pulverem iniiciat [3]; idne faciat nauta necne, non discimus. Plura sunt praeterea, quae desiderantur, nt totum carmen bene explicari possit et omnino fragmentum potius, ex imitatione fortasse maioris poëmatis Graeci, quam carmen integrum esse videtur. In interpretando carmine mirum quantum variatum est a VV. DD. Dacerius et nuper Luebkerus [4] scriptum putant ad Pythagoreorum de animae migratione placitum irridendum. Duhamelius [5] ad Romanos hortandum ut iusta rederent iis, qui ceciderant in bellis civilibus. Mitscherlichius, Vanderburgius, Braunhardus imita-

---

[1] Adversus Grammat. ubi plures versus ea de re exhibet p. 669: 22. Edit. Imm. Bekkeri.

[2] Diog. Laërt. Libr. VIII. § 79. sqq., Valerius Max. Libr. IV. c. 1. ext. 1.

[3] Libr. I. Carm. 28. De ritu glebae iniiciendae vid. Cicero de Legibus Libr. III. c. 23., ibique Cl. Bakius in annot. p. 562., cf. id. de Divinat. Libr. I. c. 27., Libr. II. c. 65.

[4] In Horatianis p. 8. sqq.

[5] In Edit. Horatii. Paris. 1720.

tionem esse putant carminis Graeci. Dissentiunt praeterea Interpretes, sitne colloquium in eo nec ne. Qui colloquium esse statuunt Archytae cum nauta, alii Archytae verba repetunt a vs. 7., Torrentius vero a 21., quod comprobavit etiam Buttmannus [1], acute observans voces *Te* et *Me* eo consilio in initio vs. 7. et 21. esse collocatas ut utriusque interlocutoris sermonem distinguerent. Weiskius [2] totum carmen naufragi sermonem esse putat, Archytae umbram alloquentis, Peerlkampius Archytae ipsius [3]. Sub Archytae persona Cruquius designari putat L. Tarutium Firmanum, familiarem Ciceronis, virum Chaldaicis rationibus eruditum [4]; Rodellius cogitat de Archyta quodam iuniore; Baxtero Archytas Horatii Brutus est, percussor Caesaris. — Ceterum pauca tantum de Archyta nota sunt. Geometriae operam dedisse, ex initio carminis appareret, nec mirum hoc in Pythagoreo. Utrum revera aliquam rationem inierit ad conficiendum numerum granorum arenae, quemadmodum postea factum est ab Archimede, cuius Arenarium, Ψαμμίτην, habemus, non constat. Archimedes certe, in libro laudato, tale quid iam antea ab alio tentatum, non memorat.

---

[1] In Excursu: *Horaz und nicht Horaz*, ad Mytholog. T. II.

[2] In Iahnii *Jahrb. Bd.* XII. *p.* 349. *sqq.*

[3] Cl. Peerlkampius ad Libr. I. Carm. 28.: « His ita dudum scriptis, laetus cognovi meam sententiam confirmari iudicio viri doctissimi, Casaubonum esse puto, qui editioni Horatianae, a Spilimbergio curatae, nonnulla annotavit. Annotatum est: « *De Archytae colloquio turpissimum est commentum.* »

[4] Cicero de Divinat. Libr. II. c. 47., Plut. in Vita Romuli c. 12.

§ 3.

Democritus, egregius physicus, ex Eleaticorum disciplina profectus, unice philosophiae studio deditus, patrimonii posthabuit curam. Variat autem fama quid de eo fecerit, neglexeritve [1], an patriae [2] fratribusve [3] permiserit, parum curasse constat:

> Miramur si Democriti pecus edit agellos
> Cultaque, dum peregre est animus sine corpore velox [4]?

quam eandem incuriam alii Anaxagorae tribuerunt [5], ut recte observavit Dacerius. Notissimus est Democriti risus perpetuus [6], quem desiderat Horatius in ludis, ubi populus magnificum scenae apparatum stupet, surdus est actoribus:

> Si foret in terris, rideret Democritus; seu
> Diversum confusa genus panthera camelo,
> Sive elephas albus volgi converterit ora:
> Spectaret populum ludis attentius ipsis,
> Ut sibi praebentem mimo spectacula plura [7]:

Multa scripsit Democritus variis de rebus. Inter

---

[1] Diog. Laërt. Libr. IX. § 39., Cicero de Finibus Libr. V. c. 29., Seneca de Provident. c. 6. § 1., Athenaeus Libr. IV. c. 19. p. 168. Edit. Casaubon. 1657.

[2] Valerius Max. Libr. VIII. c. 7. ext. 4.

[3] Diog. Laërt. Libr. IX. § 35., Aelianus Var. Hist. Libr. IV. c. 20.

[4] Libr. I. Epist. 12. v. 12. sq.

[5] Plato Hipp. Mai. p. 283. A., Photius ex Himerio Cod. CCXLIII.

[6] Cicero de Orat. Libr. II. c. 58., Seneca de Ira Libr. II. c. 10., de Tranq. Animi c. 15. § 2., Invenalis Sat. X. v. 33. sqq. et 51. sq., Epigr. adesp. ap. Brunck. Anal. DXVIII. T. III. p. 259.

[7] Libr. II. Epist. 1. v. 194. sqq.

ea fuerunt libri περὶ ποιήσεως et περὶ καλλοσύνης ἐπέων [1]. In alterutro, puto, ea scripserat, quae Horatius, sed ridicule procul dubio magis quam vere interpretata, habet in Epistola ad Pisones [2]:

> Ingenium misera quia fortunatius arte
> Credit et excludit sanos Helicone poëtas
> Democritus cet.

quem locum egregie illustrat Clemens Alexandrinus, Strom. VI. extr. [3]: « εἶτα περὶ μὲν ποιητικῆς Πλάτων, κοῦφον γάρ τι χρῆμα καὶ ἱερὸν ποιητὴς, γράφει· καὶ οὐχ οἷός τε ποιεῖν, πρὶν ἂν ἔνθεός τε καὶ ἔκφρων γένηται. Καὶ ὁ Δημόκριτος ὁμοίως· ποιητὴς δὴ ἅσσα μὲν ἂν γράφῃ μετ' ἐνθουσιασμοῦ καὶ ἱεροῦ πνεύματος, καλὰ κάρτα ἐστίν.

§ 4.

Democritum in omnibus fere secutus est Epicurus, quem semel memorat Horatius loco iam supra laudato. Ex huius grege autem duo, Catium et Philodemum, ambo aequales, alterum Romanum, alterum Graecum. Sermonem cum Catio, totum de re culinaria, haud parvi momenti apud Epicu-

---

[1] Diog. Laërt. Libr. IX. § 48.

[2] Vs. 295 sqq.

[3] Laudatur a Menagio ad Diogenis Laërtii Vitam Democriti. Locus Clementis legitur in Opp. Vol. II. p. 827. Edit. Potteri. Platonis locus, quem respicit Clemens, in dial. Ione p. 534. B. Memoriter descripsisse videtur Clemens. Cf. Plato de Legibus Libr. IV. p. 719. C. Etiam Cicero de Orat. Libr. II. c. 46. Democritum cum Platone coniungit. Idem faciunt Acron, Porphyrion et Schol. Cruq. ad Horatii l. l. Cf. Plato in dial. Phaedro, Cicero de Divinat. Libr. I. c. 37.

reos, Horatii saltem aetate, exhibet Sat. 4. Libr. II [1]. Catius ab Acrone et Schol. Cruq. ad vs. 1. M. Catius vocatur, ab eodem Schol. Cruq. ad vs. 47. Catius Miltiades. Iidem, cum Porphyrione ad vs. eundem 1., quatuor libros scripsisse tradunt: *de Rerum Natura et de Summo Bono.* Scribit Cicero ad Cassium [2]: « Catius Insuber Epicureus, qui nuper est mortuus, quae — ante Democritus, εἴδωλα, hic, *spectra*, nominavit, » malam vocis interpretationem irridens, ut omnino parvi faciebat sui temporis Epicureos Cicero, optimos quidem viros, at non satis eruditos, qui, quos scripserant libros, eos haud contemnebat, quippe quos nunquam legisset [3]. De eodem Catio, ut videtur, Quintilianus [4]: « in Epicureis levis quidem, sed non iniucundus tamen Catius. » Cassius Ciceroni respondens, Catium malum esse verborum interpretem concedit, addit tamen: « pro quo tibi, proxima epistola, tot rusticos Stoicos regeram, ut Catius Athenis natum esse dicas. » E quo loco, ni fallor, confecit Walckenaerius [5], miro sane errore, Catium Athenis fuisse natum. Scripta autem est Ciceronis Epistola a. 709 [6]. Ergo non de Catio vivo

---

[1] Wyttenbachius in Diatribe de Philoxenis, Opusculorum Tom. II. p. 295: « (Philoxeni Cytherii, nobilis poëtae) δεῖπνον, elegans poëma, laudatum Athenaeo compluribus inde appositis locis, et imitando expressum ab Horatio Satirarum II. 4. »

[2] Ad Divers. Libr. XV. Epist. 16.

[3] Cicero Tuscul. Quaest. Libr. I. c. 3.

[4] Instit. Orat. Libr. X. c. 1. § 124.

[5] *Histoire d'Horace T.* II. *p.* 430. Epist. Cassii est 19. in Cic. ad Divers. Libr. XV.

[6] Ita Ragazonius in Ciceronis Edit. Graevii, Gruberus in Orellii.

sermo esse potest apud Horatium, sed ei mortuus iam ob oculos venit, cum circumspiceret personam idoneam Epicurei. Ita Massonus [1] pluresque alii. Vix enim statuas, quod tamen fecit Dacerius [2], Satiram laudatam iam ante a. 709 fuisse scriptam. Nec necesse est cum Torrentio statuere, sub Catio certum quendam nebulonem ex Horatii aetate latere, nec cum Sanadono, Horatium totum illum Catium de suo finxisse. Coniecit Manso [3], Horatium sub nomine Catii designasse Caium Matium, equitem illum Romanum, de quo saepius mentio fit apud Ciceronem in Epistolis, virum, cui studio fuit pistoris et coci nec minus cellarii diligentiam suis praeceptis instituere [4], quique libros edidit, argumenti gravissimi, Coci, Cetarii, Salgamarii nominibus [5], pro quibus curis praemium non leve accepit, ut mala quaedam de suo nomine Matiana mala vocarentur [6]. Mansonem refutavit Mitscherlichius [7], cuius disputationem mihi inspicere non licuit. Legeram vero quae ipse Cicero tradit de C. Matio testimonia, viro doctissimo, prudenti, moderato, Trebatii familiari [8], Caesaris intimo amico [9],

---

[1] In Vita Horatii p. 28.

[2] In annot. ad Libr. II. Sat. 4. Cf. Baylius *Dict. Hist.* in voce, Massonus in Vita Horat. p. 31., denique ipsius Dacerii *Réponse cet.* in Edit. Hor. Amst. 1735. T. I.

[3] J. C. F. Manso *verm. Abhandl. p.* 284.

[4] Columella Libr. XII. c. 4. § 2.

[5] Id. ibid. c. 44. § 1.

[6] Id. Libr. V. c. 10. § 19., Libr. XII. c. 46. § 5., Plinius Nat. Hist. Libr. XV. c. 14., Macrobius Saturn. Libr. II. c. 15.

[7] In Praelect. Catal. 1832—1833. p. IV.

[8] Cicero ad Divers. Libr. VII. Epist. 15., ad Atticum Libr. IX. Epist. 11.

[9] Id. ad Divers. Libr. VI. Epist. 12., Libr. XI. Epist. 27.

cuius morte omnia periisse aiebat [1], idque palam, eo tempore, quo haud extra periculum erant Caesariani; legeram ipsius Matii Epistolam ad Ciceronem [2] egregie scriptam, nec dubitavi quin Horatius talem virum, etiamsi animi causa quaedam de rebus levioris momenti scripsisset, numquam ludibrio habuisset. Et ita quoque iudicatum est a Leutschio, qui fuse de Matio egit [3], et Obbario [4], quorum hunc inprimis moverat diversa syllabarum utriusque vocabuli Catii et Matii quantitas, cum constat poëtas in eiusmodi uominum permutationibus nonnisi vocabula eiusdem quantitatis sibi invicem substituisse. Cătĭŭs autem *tribrachyn* efficit, Mātĭŭs *dactylum*, quod sequitur ex altera nominis scriptione cum *t* duplicato Mattius. Cui similia exempla sunt: Iupiter s. Iuppiter, litora s. littora, litera s. littera cet. quae omuia *dactylum* efficiunt, etiam si literam non duplicas, nam primae syllabae natura suut lougae. Catium autem Horatianum rem culiuariam magni fecisse ex ipsa Satira apparet, eiusque in ea re inventa exstitisse egregia, quae ipse praedicat vs. 45. et 73.:

> Piscibus atque avibus quae natura et foret aetas,
> Ante meum nulli patuit quaesita palatum;
>
> Hanc [uvam Albanam] ego cum malis, ego faecem primus et allec,
> Primus et invenior piper album cum sale nigro
> Iucretum puris circumposuisse catillis;

---

[1] Id. ad Atticum Libr. XIV. Epist. 1., ibique Corradus.
[2] Inter Ciceronis ad Divers. Libr. XI. Epist. 28.
[3] E. von Leutsch in *Zeitschr. f. d. Alterth. Wiss.* 1834. p. 164.
[4] In Iahnii *Jahrb. Bd.* XV. *p.* 57.

Praecepta quae modo audiverat Catius, cum tempore laevo ab Horatio interpellaretur, memoriae mandare studebat. Est autem duplex memoria, altera naturalis, altera artificialis. Utraque valebat Catius. Hinc Horatius illi vs. 6.:

> Quod si interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox:
> Sive est naturae hoc, sive artis, mirus utroque.

De artificiali memoria praecepta tradit Auctor ad Herennium [1], quae qui legat, is fateatur necesse est, Catium non sine causa laborare, qui signa, i. e. notas, imagines, simulacra, invenire possit, praeceptis omni tempore in suam memoriam revocandis idonea. Erant de rebus tenuibus, usitatis, quotidianis, quarum facile obliviscimur; sermo tenuis fuerat cuius similitudo vix imaginibus exprimi queat. Doctoris nomen tacetur a Catio. Illum fuisse Nasidienum, de quo in Satira 8. huius Libri, sententia est Acronis, quem secutus est Walckenaerius [2]; Wielandus suspicatus est, Horatium se ipsum designasse, Heindorfius, Maecenatem.

Erat longe nobilior inter Epicureos illius temporis Philodemus, quem Cicero cum Syrone conjungens, quum optimos viros, tum homines doctissimos vocat [3]. Vivebat Romae in domo Pisonis [4], illius qui Consul fuit a. 696. cum Aulo Gabinio.

---

[1] Libr. III. c. 16. sqq. Brevius exponit Crassus apud Ciceronem de Orat. Libr. II. c. 86. sqq. Verbo meminit Cicero de Finibus Libr. V. c. 1. Cf. Gellius Libr. XVII. c. 7.

[2] *Histoire d'Horace T.* I. *p.* 433.

[3] De Finibus Libr. II. c. 35.

[4] Cicero in Pisonem c. 29.

Exstat in illum Pisonem Oratio Ciceronis. Philodemi autem poëmata, teste Cicerone, ita festiva erant, ita concinna, ita elegantia, ut nihil argutius fieri posset [1]. Et supersunt illius Epigrammata in Anthologia Graeca, quae Ciceronis iudicium confirmant. De eo Horatius, ubi Venerem commendat parabilem, facilemque [2]:

> Iliam, Post paullo, Sed plaris, Si exierit vir,
> Gallis: Hane, Philodemus ait, sibi, quae neque magno
> Stet pretio; nec cunctetur, cum est iussa venire,

Gallos intelligens, Cybeles sacerdotes, eos, qui solebant

> supervacuam cultris abrumpere carnem [3],

ideoque longam moram nullo negotio ferebant. Negat Dacerius hunc eundem esse Philodemum, cuius in Anthologia exstat Epigramma [4], quod desinit:

> *οὐ γὰρ ἕτοιμα*
> *βούλομαι ἀλλὰ ποθῶ πᾶν τὸ φυλασσόμενον,*

atqui ex Epigrammate amatorio, tamquam ex syngrapha, cum poëta agendum non erat. Dacerius Epigramma legere debuit apud Heinsium: *de Satyra*

---

[1] Id. ibid. cf. Asconius ad c. 28.

[2] Libr. I. Sat. 2. v. 120. sqq.

[3] Invenalis Sat. II. v. 116., cf. Sat. VI. v. 513., Ovidius Fast. Libr. IV. v. 361. sqq., Martialis Libr. II. Epig. 81. v. 3., Epig. 91. v. 2., Herodotus Libr. I. c. 11., Dionys. Halic. Antiq. Rom. Libr. II. c. 19. Res nota, neque audiendi sunt qui apud Horatium Galliae incolas intelligant.

[4] Brunck. Anal. I. T. II. p. 83. (In Anthol. Palat. Libr. XII. Epig. 173.) Cf. etiam XVI. T. II. p. 87. (In Anthol. Palat. Libr. V. Epig. 25., Planud. VII. Epig. 93.)

Horatiana, *Libr.* II. *p.* 224., qui primus edidit. Post vero alia Philodemi Epigrammata edita fuerunt, quae hominem proderent in re amatoria festinantem, morae impatientem, et qui facilem venerem sectaretur [1]. Saepius huc vocatum fuit Epigramma [2], quod primus edidit Reiskius ad calcem *Sepulchralium*, uti vulgo laudantur. In eo Philodemus de puella mores severos matronae Romanae referenti: « τὴν δ' ἄρα Γάλλος ἔχοι. » Hoc ipsum esse diceres, quo respexit Horatius l. l. Cum vero absit tum ab Anthologia Planudea, tum a Cod. Vatic., fonte unico alterius illius Anthologiae [3], ineditae olim dictae, ipsum Epigramma ex loco Horatiano a seriore quodam poëta expressum fuisse a VV. DD. iudicatum est [4].— Multa scripsit Philodemus, de variis argumentis. Aliquot eius libros Herculani repertos, alios iam edidit Academia Herculanensis, alios adhuc est editura [5].

§ 5.

Sed ad Socraticos transeamus. Ipse Socrates obiter commemoratur Libr. II. Sat. 4. v. 3., « Anyti reus » vocatur [6]. Quippe Anytus, iratus Socrati,

[1] Inprimis ap. Brunck. Anal. T. II. Epig. III. p. 83., Epigr. VIII. p. 84., Epig. X. p. 85., (Anthol. Palat. Libr. V. 46. 126. et 121.) et ita passim in Eroticis.

[2] In Edit. Anthol. Graecae Const. Cephalae p. 111. (Brunck. Anal. IX. T. II. p. 85., in Jacobsii Edit. Anal. IX. T. II. p. 72.)

[3] Brnnck. in Proleg. ad Anal. p. VIII.

[4] Jacobsius in Edit. Anal. T. VIII. p. 218., F. A. Wolfius in *Litterar. Analekten* VI. P. II. p. 357. sqq.

[5] Boot *Notice sur les MSS. trouvés à Herculanum* in Appendice p. 56. sqq.

[6] Ita qnoqne ab Ovidio in Ibide v. 561. sq.

a quo irrisus fuerat, perfecit, quae illi iam antea minatus erat [1], eumque, adiuncto sibi Melito et Lycone, accusavit. — « Domus Socratica [2], » quam loricis Hiberis mutare tendebat Iccius, ea, uti est apud Ciceronem familia Peripateticorum [3], ita Socratis discipuli sunt universi; « Socraticae chartae, » de quibus Horatius ad Pisones [4]:

> Scribendi recte, sapere est principium et fons.
> Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae,

eorundem scripta, ipse enim Socrates nihil scriptum reliquit; « Sermones Socratici [5] » denique, quibus madebat Corvinus, sunt dialogi ab ipso Socrate cum discipulis habiti, ab iis post mortem conscripti.

Ex Socratis discipulis duo commemorantur, Aristippus saepius, Plato duobus in locis. Altero eum coniungit cum magistro Socrate et cum Pythagora, philosophis praestantissimis [6], altero cum Menandro, Eupolide et Cratino, quorum scripta secum in villulam extulerat, Satirae scribendae operam daturus [7]. Erat cum ibi intelligerem Platonem Comicum

---

[1] Plato in Menone p. 92. B. et 94. A. Obiter observandum est Anytum a Diog. Laërt. l. i. § 38. non vocari *δημαγωγὸν*, uti scripsit Groen van Prinsterer V. D. in Prosopogr. Platon. p. 137. Legebatur ap. Diog. Laërt. l. i. § 39. Socratem accusatum fuisse ab Anyto *περὶ τῶν δημιουργῶν καὶ πολιτικῶν ὀργιζόμενον*, (ubi Casaubonus corrigit *ὑπὲρ* propter locum Platonis in Apol. Socr. p. 23. E.,) Christianus ibi, teste Menagio, *δημαγωγῶν* legere volebat. Sed nil mutandum.

[2] Libr. I. Carm. 29. v. 14.

[3] Cicero de Divinat. Libr. II. c. 1., de Orat. Libr. I. c. 9.

[4] Art. Poët. v. 310.

[5] Libr. III. Carm. 21. v. 9. sq.

[6] Libr. II. Sat. 4. v. 3.

[7] Ibid. Sat. 3. v. 11. sq.

scriptorem veteris comoediae, ex qua, iudice ipso Horatio, tota Romana Satira fluxit, idemque suspicatus fuerat Dacerius. Ita vero epitheton *docti* in loco: « doctumque Platona, » minus appositum foret[1]; nec mirum est in Academiae discipulo quod Platonem, in poëta quod prosae orationis maxime poëticum scriptorem legat. — Academiae, cuius conditor Plato fuerat, alter ab illo, post Speusippum, praefuit XENOCRATES, cui successit discipulus POLEMON. De utroque Horatius[2]:

faciasne quod olim
Mutatus Polemon? ponas insignia morbi,
Fasciolas, cubital, focalia? potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est inpransi correptus voce magistri.

Historia sine ulla notabili varietate a plurimis traditur[3]. Inpransus, i. e. sobrius, temperans, sobrii enim homines prandere fere non solebant, recte dicitur Xenocrates, vir summae continentiae, saepius dona sibi a regibus oblata recusans[4], cuius cum Laide, sive Phryne fuerit, caste pernoctantis, notissima fertur historia[5].

Polemoni successit CRANTOR, *Solensis*, ut recte Schol. Cruq., quod ideo observo, quia Bothius ad Libr. I. Epist. 2. v. 4. scholii verba: « *hic Solensis fuit*, » ad Chrysippum pertinere censuit et delevit.

---

[1] Cf. Heindorfius in Edit. Satir. p. 282. sq.

[2] Libr. II. Sat. 3. v. 253. sqq.

[3] Diog. Laërt. Libr. IV. § 16., Valerius Max. Libr. VI. c. 9. ext. 1. Cf. Athenaeus Libr. II. c. 6. p. 44. E.

[4] Diog. Laërt. Libr. IV. § 8. et 9., Cicero Tuscul. Quaest. Libr. V. c. 32.

[5] Diog. Laërt. Libr. IV. § 7.

Erat Chrysippus Solensis, vel Tarsensis secundum alios, uti legimus apud Diogenem Laërtium Libr. VII. § 179., Solensis autem erat etiam Crantor, secundum eundem Diogenem Libr. IV. § 24. Crantor cum Chrysippo coniungitur ab Horatio, ubi haec de Homero[1]:

> Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
> Planius ac mellus Chrysippo et Crantore dicit.

Ibi Baxterus, qui legerat *plenius*, variat enim lectio: « Mire *plenius*, cum Chrysippus Stoicus supra septuaginta [l. septingenta] volumina conscripserat, Crantor autem Academicus ad triginta millia versuum, auctore Laërtio. » Eadem Obbarius[2] de multis illis istorum philosophorum voluminibus; lectionem tamen *plenius* ita tuetur ut Homeri poëmata maiore copia rerum honestarum earumque cognitione dignissimarum atque ad omnes vitae partes pertinentium, hominum vitam instruxisse dicantur quam volumina illa. Et verum est, Crantorem scripsisse: « *εἰς μυριάδας στιχῶν τρεῖς*[3], atqui hic numerus minime complebit multa volumina. Haud multo plures versus sunt, quam scripsit ipse Homerus. Multa scripsit Chrysippus, nec mirum in eo, qui verborum momentis, non rerum pondere, omnia examinabat[4], quique in libris, quaecunque fere legerat, ea describebat[5], imo qui octogenarius etiam in

---

[1] Libr. II. Epist. 2. v. 2. sq.
[2] In Edit. Epistolarum Horatii Fasc. II. p. 140. sq.
[3] Diog. Laërt. Libr. IV. § 24.
[4] Cicero de Rep. Libr. III. c. 8.
[5] Diog. Laërt. Libr. VII. § 181.

scribendo pergebat[1]. Scripserat plurima omnium philosophorum. Multa scripserat Zeno, plura Xenophanes, plura Democritus, plura Epicurus, sed omnium plurima Chrysippus. Haec successio est apud Diogenem Laërtium in Proöemio § 16., ubi nullus Crantori locis. Scripserat Aristoteles versus 445270[2], scripserat Epicurus volumina 300[3]; quot versus Chrysippus scribere debuit suis voluminibus 705[4]! Ergo non Chrysippus polygraphus cum Crantore altero polygrapho componitur, verum Crantor, Academicus nobilissimus, cum Chrysippo, qui fulcire putabatur porticum Stoicorum[5]. Recte tamen Bentleius lectionem *planius* praetulit, quam scholion Acronis confirmat: « *In hac Epistola vult ostendere melius et apertius se discere praecepta philosophiae ab Homero quam a philosophis.* »

Quemnam doctorem Horatius in Academia audierit incertum est. Antiochus ille, princeps quintae Academiae, quem Cicero audierat[6], iam mortuus erat in Syria[7], cum esset cum L. Lucullo. Eius fratrem Aristum, Academiae heredem[8], et Theomnestum, una cum M. Bruto[9], audire potuit. Erat praeterea Cratippus, Peripateticus, magister M. Ci-

---

[1] Valerius Max. Libr. VIII. c. 7. ext. 10., cf. Menagii annotat. ad Diog. Laërt. Libr. VII. § 189.

[2] Diog. Laërt. Libr. V. § 27.

[3] Id. Libr. X. § 26.

[4] Id. Libr. VII. § 180.

[5] Cicero Acad. Libr. II. c. 24., Diog. Laërt. Libr. VII. § 183.

[6] Cicero in Bruto c. 91.

[7] Id. Acad. Libr. II. c. 19.

[8] Id. in Bruto c. 97.

[9] Plutarchus in Vita Bruti c. 24.

ccronis filii [1], cuius disciplina verisimiliter usus est Horatius. Praesertim cum inter Academicos et Peripateticos summa intercederet consensio. Ceterum e Peripateticis unum tantummodo commemorat, Bionem Borysthenitam. Hic primum Cynicus, deinde Theodori Athei disciplina est usus, tandem, in schola Theophrasti, Peripateticus evasit [2].

> Carmine tu gaudes: hic delectatur iambis:
> Ille Bionels sermonibus, et sale nigro [3].

Acronis scholion est ad hunc locum: « *Sunt autem disputationes Bionis philosophi, quibus stultitiam arguit vulgi, cui pene consentiunt carmina Luciliana.* » Porphyrionis: « *Bion Aristophanis comici pater dicitur fuisse.* » Aristophanis autem pater Philippus dictus erat [4] et vixit diu ante patrem Bionis. Scholion descripsit tamen Lambinus. Melius factum est a Cruquio, Turnebo [5] et Dacerio. Nec magis verisimile est, quod tradit Acron, Lucilii Satiras ad Bionis parodiacum genus esse referendas. Ingenii enim alacritatem et vigorem prorsus iuvenilem, quo Lucilium insignem fuisse omnes consentiunt, prorsus abhorrere ab illa senescentis artis forma, quam Bion adhibuit, recte observavit Hermannus [6]. Erat Bion homo facetus, mordax, ne Homero quidem pepercit, teste Acrone ad l. l.: « *in libro, quem edidit,*

---

[1] Cicero ad Divers. Libr. XII. Epist. 16., Libr. XVI. Epist. 21., de Off. Libr. I. c. 1.

[2] Diog. Laërt. Libr. IV. § 51. et 52.

[3] Libr. II. Epist. 2. v. 59. sq.

[4] Schol. in Vita et ad Acharn. v. 378.

[5] Advers. Libr. XXI. c. 8.

[6] De Sat. Rom. Auctore. Marburgi, 1841. p. 33.

mordacissimis salibus ea, quae apud poëtas sunt, ita laceravit, ut ne Homero quidem parceret. » Dicteria eius quaedam et conclusiones servarunt Diogenes Laërtius[1], Cicero[2] et Seneca[3]. Parodiarum specimen legitur apud Laërtium[4]. Hunc certe Bionem Interpretes fere intelligi putant ab Horatio. Dissentit Hoogvlietus in Diatribe de Bione Borysthenita[5], quod scilicet poësin non coluerit Bion, contra artes liberales acerrime contemserit. Sermones vero, etsi, post Carminum et Iamborum mentionem, recte apud Horatium de poësi satira accipi possint, haud tamen per sese ad poësin pertinent. Ita « Socraticos sermones » Horatius memorat ut supra vidimus. Bionis memoriam id temporis apud Romanos viguisse, apparet ex Ciceronis et Senecae libris.

Aristippus inter Socraticos, uti erat, ita est referendus, etsi minime cum magistro congruens, condiscipulis, Platoni, Xenophonti, aliis irrisus adeo atque despectus[6]. Hunc Horatius in Libr. I. Epist. 17. ita commendat, uti illum prae ceteris omnibus philosophis magni fecisse eiusque disciplinam comprobasse dicas. Qui vero Horatium penitus cognoverit eiusque ubique in scriptis dispersas tenet sententias, de fide erga amicos, de amore in patriam,

---

[1] Libr. IV. § 47. sqq.

[2] Tuscul. Quaest. Libr. III. c. 26.

[3] De Tranquill. Animi c. 8. § 2., c. 15. § 3. qui valde corruptus est locus, de Benef. Libr. VII. c. 7.

[4] Libr. IV. § 52.

[5] J. M. Hoogvliet Diatr. de Bione Borysth. L. B. 1821. p. 11. et 14.

[6] Xenophon Memorab. Socr. Libr. I. c. 2. § 60. ibique Kuhnkenius., Libr. II. c. 1., Libr. III. c. 8. Cf. Groen van Prinsterer Prosopogr. Platon. p. 54.

de grati animi officiis, de pietate in suos, egregias omnes, praeclarissimae indolis documenta, is fateatur necesse est, illum alia omnia comprobasse atque Aristippum, amicitias usu metientem, omnia ad unum voluptatis finem referentem. Scio longe aliter a multis iudicatum fuisse, mihi vero constat Horatium in Aristippo nihil omnino laudasse, praeterquam quod [1]:

> Omnis Aristippum decuit color et status et res,
> Tentantem maiora, fere praesentibus aequum,

nullaque alia de causa Scaevae amico exemplum Aristippi proposuisse, nisi ut hic disceret [2]:

> Quo tandem pacto deceat maioribus uti.

Platonem illud: « Omnis Aristippum cet. » dixisse cum Aristippum post naufragium inveniret diploide involutum narrant Acron et Schol. Cruq. [3]. Eandem sententiam Diogenes Laërtius de Aristippo expressit: « ἦν δὲ ἱκανὸς ἁρμόσασθαι καὶ τόπῳ, καὶ χρόνῳ, καὶ προσώπῳ [4]. » Componit Aristippum cum Diogene Horatius in Epistola laudata ad Scaevam vs. 27. sqq.:

> Alter purpurenm non exspectabit amictum;
> Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet;
> Personamque feret non inconcinnus utramque.
> Alter Milesi textum cane pelus et angui
> Vitabit chlamydem; morietur frigore, si non
> Rettuleris pannum: refer, et sine vivat ineptus.

---

[1] Libr. I. Epist. 17. vs. 23. sq.

[2] L. l. v. 2.

[3] Alii Platoni, alii Stratoni tribuunt, vid. Diog. Laërt. Libr. II. § 67.

[4] Libr. II. § 66. Cf. Sextus Empiricus in Hypot. Libr. I. p. 35:28, Libr. III. p. 169:12. Bekkeri. Fuse de Aristippo disputatum est a Wielando, Schmidio aliis in annotationibus ad Horatium, a Passovio et Walckenaerio in Vitis eiusdem, quae omnia referre huius loci non est.

Legitur narratiuncula de Aristippo Libr. II. Sat. 3. v. 100. sqq.:

servos proiicere aurum
In media iussit Libya, quia tardius irent
Propter onus segnes.

« *Aurum*, » inquit Schol. Cruq., « *quod a quodam rege Mauritaniae acceperat.* » Informavit sibi procul dubio Scholiastes, Aristippum e Mauritania redeuntem per mediam Libyam in patriam Cyrenen. Dacerius observat, Diogenem Laërtium idem narrare quod Horatius, tum de auro abiecto, tum de causa quare abiectum fuerit. Idque verissimum est[1]. Miratur vero, Ciceronem alia tradidisse atque Laërtium, nempe, aurum ab Aristippo, ne propter illud periculum obiret, in mare deiectum fuisse[2]. Atqui utraque historia apud Laërtium legitur, altera ab Horatio, altera a Cicerone recepta.

§ 6.

Pergamus ad Stoicos, ita tamen ut proxime antecedat Diogenes Cynicus, Antisthenis discipulus, a quo tum Cynici, tum etiam Stoici fluxerunt[3]. Semel commemoratur Diogenes; refertur eius cum Aristippo colloquium[4]:

Si pranderet olus patienter; regibus uti
Noliet Aristippus. Si sciret regibus uti;
Fastidiret olus, qui me uotat: utrius horum
Verbu probes et facta, doce: vel iunior, audi

[1] Libr. II. § 77.
[2] De Invent. Libr. II. c. 58.
[3] Cicero de Orat. Libr. III. c. 17.
[4] Libr. I. Epist. 17. v. 13. sqq.

Cur sit Aristippi potior sententia. namque
Mordacem Cynicum sic eludebat, ut aiunt:
Scurror ego ipse mihi, populo tu: rectius hoc et
Splendidius multo est. equus ut me portet, alat rex,
Officium facio: tu poscis vilia rerum
Dante minor; quamvis fers te nullius egentem.

Aristippo tribuit Horatius, quae Diogenes Laërtius altero in loco[1] Platoni, altero etiam Aristippo[2] tribuit. Cynicum quod vocat Diogenem, notum est nomen proprie deductum esse a Cynosarge, in quo Antisthenes docebat[3], propter mordacitatem vero et impudentiam, illius sectatoribus adhaesisse. Neque repudiabat illud Diogenes, contra prae se ferebat, sibique in eo valde placebat[4]. Et si ita voluisset Horatius, quam instituit comparationem, Aristippi verbis, hunc ipsum inter et Diogenem, ita ut quod alter a Rege, idem alter a populo acciperet, alter populo, alter Regi scurraretur, eam comparationem ad ipsum cognomen *Canis* extendere potuisset. Ita enim alter a vulgo, quod notissimum, alter a Rege Dionysio vocabatur[5].

Chrysippus, princeps Stoicorum, de quo obtinebat illud: « εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν στοά[6]. » Erat Solensis, vel Tarsensis secundum alios, Apollonii filius[7]. Porphyrion perperam Apol-

---

[1] Libr. VI. § 58., Valerius Max., ut Horatius, Aristippo Lib. IV. c. 3. ext. 4. Hic Syracusis accidisse narrat.

[2] Libr. II. § 68.

[3] Diog. Laërt. Libr. VI. § 13.

[4] Id. ibid. § 55. 60. et 61.

[5] Id. Libr. II. § 66.

[6] Diog. Laërt. Libr. VII. § 183.

[7] Id. ibid. § 179., Strabo Libr. XIII. p. 610.

loniensem vocat. Eius paradoxon, insanire omnes, praeter sapientem, ridicule quidem, sed tamen vere, explicat Damasippus, recens Stoicus, apud Horatium[1]:

> Quem mala stultitia et quemeunque inscitia veri
> Caecum agit, insanum Chrysippi portieus et grex
> Autumat.

Sententiam adstruit exemplis vitiorum sibi invicem oppositorum. Recenset prodigos et avaros, severos et luxuriosos; insaniunt omnes.

> Hellade percussa, Marius cum praecipitat se,
> Cerritus fuit[2]?

Historiam, id temporis, procul dubio, Romae nnicuique notam, hodie prorsus ignoramus. Francus quidam, cuius nomen mihi non succurrit, ex paucis istis verbis longam narrationem amatoriam deduxit. Et erat sane aptissimum argumentum. Pergit Damasippus in exemplis componendis; narrat de libertino quodam, qui[3]:

> unum me surpite morti,
> Dis etenim facile est, orabat; sanus utrisque
> Auribus atque oculis. mentem, nisi litigiosus
> Exciperet dominus, cum venderet. hoc quoque volgus
> Chrysippus ponit feeunda in gente Meneni.

Turnebus[4] personam et nomen Menenii ficta putat ab Horatio, hoc a *μέμηνα* vel a *μενέηνα* (?). Praestat agnoscere hominem mente captum, insa-

---

[1] Libr. II. Sat. 3. v. 43. sqq.
[2] Ibid. v. 277. sq.
[3] Ibid. v. 283. sqq.
[4] Advers. Libr. XXIII. c. 2.

num, Romae omnibus notum. Ita Wielandus, Heindorfius, ita, ni fallor, praeter Turnebum omnes. Scholion Porphyrionis de Menenio, satis ineptum, ita desinit: « *Melius Menenium furiosum accipimus, vel potius stultum.* [Hoc recte. Furor enim etiam in sapientem cadere potest, stultitia non potest, vid. Cicero Tuscul. Quaest. Libr. III. c. 5.] *Unde Meneniae stultitiae vel ineptiae*, » quod proverbium an aliunde etiam notum sit, equidem ignoro.

Alterum Chrysippi paradoxon: « *πάντα εὖ ποιεῖν τὸν σοφόν*[1], » ab Horatio irridetur Libr. I. Sat. 3. v. 127. sqq.:

> sapiens crepidas sibi numquam
> Nec soleas fecit: sutor tamen est sapiens. Qui?
> Ut quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
> Optimus est modulator; ut Alfenus vafer, omni
> Abiecto instrumento artis clausaque taberna,
> Tonsor erat: sapiens operis sic optimus omnis
> Est opifex solus, sic rex.

Observandum restat, Chrysippum, ut omnino Stoicos, multam Dialecticae operam dedisse[2], inprimis autem in Soritis diluendis laborasse, quod genus interrogationis, seu cavillationis potius, captiosissimum et falsissimum[3] esse sentiebat. Parum tamen ei successit in solvendo[4]. Ideo refero, quia Horatius ipse « *ratione ruentis acervi.* » abutitur[5] ad demon-

---

[1] Diog. Laërt. Libr. VII. § 125., Cicero Tuscul. Quaest. Libr. IV. c. 16., Athenaeus Libr. IV. c. 15. p. 158. A.

[2] Diog. Laërt. Libr. VII. § 180.

[3] Cicero Acad. Libr. II. c. 16., de Divin. Libr. II. c. 4.

[4] Sextus Empiricus Hypot. Libr. II. p. 117: 19., adversus Logicos p. 281: 17. sqq. Edit. Imm. Bekkeri, Cicero Acad. Libr. II. c. 29., Persius Sat. VI. v. 80.

[5] Libr. II. Epist. 1. v. 35. sqq.

strandum, eos ipsos inter suos aequales, qui veteribus Latinis poëtis tantum tribuebant, dicere non posse, quinam veteres essent, quinam recentes. Exemplum quod adhibet, caudae equinae, proxime accedit ad id genus, quod φαλακρὸς dicebatur, inventum ab Eubulide Milesio [1], quo disputabant, quot capillis calvus quis dicendus esset. Res omnibus nota est. Lambinus tamen censuit, Horatium respexisse ad historiam illam Sertorii, qui eodem exemplo caudae equinae ad milites usus est, ut refert Plutarchus [2]. At longe alio consilio id fecit Sertorius, nec video, quid Plutarchi narratio et Horatii argumentatio commune habeant praeter solam caudae equinae mentionem. Torrentii tamen annotatio a compluribus Interpretibus, etiam inter recentiores est repetita.

Longo intervallo post Chrysippum in Stoicis floruit Panaetius Rhodius, nobilissimus Philosophus, Scipionis Laeliique praeceptor. Huius libros, nobiles illos, quorum hodie laudationes veterum modo supersunt, loricis Hiberis mutare studebat Iccius, in bellum contra Arabas profecturus [3].

Supersunt quatuor Stoici, Horatii aequales, inepti omnes, Fabius, Crispinus, Stertinius, Damasippus. Fabius bis memoratur [4]:

> Cetera de genere hoc (adeo sunt multa) loquacem
> Delassare valent Fabium.

vult autem cetera exempla, praeter ea quae iam

---

[1] Diog. Laërt. Libr. II. § 108.

[2] In Vita Sertorii c. 16.

[3] Libr. I. Carm. 29. v. 13. sqq.

[4] Libr. I. Sat. 1. v. 13. sq.

attulerat, quam incerta sint studia hominum. Altero loco, postquam ostenderat quantum libertinarum amores concessi praestarent commercio illicito cum matronis, subiungit [1]:

Fabio vel iudice vincam.

Ad priorem locum Scholiastae, Acron, Porphyrion et Cruquianus annotant, Fabium fuisse equitem Romanum, Narbonensem, partes Pompeianas secutum esse et scripsisse libros aliquot de Stoica disciplina. Addit Acron, Horatium saepius cum illo de disciplinis contendisse. Ad posteriorem simpliciter observant, id quod ex ipso loco satis apparet, Fabium adulterum fuisse. Solus Cruquianus Iurisconsultum facit, quod fortasse ex voce *iudice* confecit. Etsi iudices apud Romanos non semper erant Iurisconsulti. Intelligebat Torrentius Fabium quendam Maximum, cuius iocum refert Quintilianus [2]: « Fabius Maximus incusans Augusti congiariorum, quae amicis dabantur, exiguitatem, heminaria esse dixit. » Improbavit Wielandus, nec secuti sunt ceteri Interpretes. Spohnius [3] intelligebat M. Fabium Gallum, Epicureum [4], qui Caesaris legatus fuerat in Gallia [5], post partes mutasse videtur. Scripsit enim laudationem Catonis Uticensis [6]. Hinc, ni fallor, Spohnius coniecit illum disciplinam una cum partibus mutasse, et Stoicum factum fuisse. Idem do-

[1] Libr. I. Sat. 2. v. 134.
[2] Instit. Orat. Libr. VI. c. 3. § 52.
[3] In Iahnii Edit. sec. Horatii p. 249.
[4] Cicero ad Divers. Libr. IX. Epist. 25.
[5] Id. ad Atticum Libr. VII. Epist. 3.
[6] Id. ad Divers. Libr. VII. Epist. 24.

cuit Weichertus [1], quod miror, adstipulante Walckenaerio. Gallus enim ille perperam Fabius a plerisque vocatur, uti recte Orellius observat [2]. Ita iam Victorius et Lambinus ediderant, idemque viderat Pighius [3]. Ea autem nominis correctione facta, concidit tota illa Spohnii opinatio.

Crispini memoria prorsus interiit. Haud profuit ei fertilitas in scribendo, quam tangit Horatius Libr. I. Sat. 1. v. 120. sq.:

> Iam satis est: ne me Crispini scrinia lippi [4]
> Conpilasse putes, verbum non amplius addam.

Nec mirum, siquidem magis laborasse videtur, ut quam plurima scriberet, quam ut bene. Ita Horatium provocat Libr. I. Sat. 4. v. 15. sq.:

---

[1] Lection. Venusin. P. II. p. 15., Teste Waiekenaerio in Indice ad suum *Histoire d'Horace T.* I. *p.* 639.

[2] In Onomast. Tulliano in voce *M. Fadius Gallus.* In Editione ubique pro *Fadius* legitur *Fabius* praeterquam ad Att. L. VIII. Ep. 12., L. XIII. Ep. 49. Et recte *Fadius* quoque legitur de Fin. L. II. c. 17. ubi sermo est de *Q. Fadio Gallo*, huius *M. Fadii Galli* fratre. MSS. enim etsi eo in loco omnes, teste Madvigio, *Fabio* servant, in eodem tamen capite plerique eiusdem filiam *Fadiam* vocant.

[3] Annal. T. III. p. 373. ad A. DCXCVI. Cf. Gebhardus ad Cic. ad Div. L. V. Ep. 18. in Edit. Graevii.

[4] Bentleius: *lippum*, quod tamen nemini placuit. Cf. quae Wielandus, Heindorfius, Bothius et Kirchnerus, contra disputarunt. Wielandus autem in eo fallitur, quod putet Horatium, quo tempore hanc Satiram scribebat, nondum lippum fuisse. Erat enim, cum Sat. 5. eiusdem Libri scriberet, vid. vs. 49. Satira autem prima posterior est quintae. Vid. Kirchner. Quaest. Horat. in Tab. Chronol., Frankius in Fast. Horat. p. 83., Walekenaerius *Histoire d'Horace T.* I. *p.* 295. et. *p.* 235. Withofius in *Krit. Anmerk. ueber Horaz T.* II. *p.* 60. legendum coniecit *lippis*, id quod paucis innotuisse videtur.

detur uobis locus, hora,
Custodes: videamus, uter plus scribere possit.

Erat poëta, testibus Scholiastis, scripsit versus de Secta Stoica, dicebatur ἀρεταλόγος. Erant ἀρεταλόγοι ex infimo genere hominum, Cynicam fere vel Stoicam disciplinam affectantes, ridendi materiam praebentes divitibus Romanis, qui animi causa eos circum se habere solebant. Ita a Suetonio[1] componuntur cum histrionibus et ludiis, quos Augustus inter coenam adhibere solebat.

Hoc si tenemus, magis ridiculum fit, quod Horatius ineptum Crispinum[2] stipatorem concedat Regi, eiusmodi scilicet, qui quadrante lavatum ibat, quodque Davus servus, quae praecepta, usus libertate Decembri, domino ingerat, ea se accepisse praedicet a ianitore Crispini[3], quem vero haud iniuria habitasse statuamus cum iis,

quos tegula sola tuetur
A pluvia, molles ubi reddant ova columbae[4].

Nil praeterea de Crispino notum est et iure miratur Kirchnerus in Editione critica Satirarum[5], unde Glandorfius[6] et Vossius[7] rescierint, Plotium Crispinum dictum fuisse.

---

[1] In Vita Octav. c. 74., ubi Casaubonus: « Vox est Romae nata: et ni fallor, Crispino illi primum attributa haec appellatio, de quo Horatius Satyra prima. » Cf. Iuvenal. Sat. XV. v. 16.

[2] Libr. I. Sat. 3. v. 138.

[3] Libr. II. Sat. 7. v. 45.

[4] Iuvenalis Sat. III. v. 101.

[5] Stralsund., 1829. p. 202.

[6] In voce *Plotius Crispinus.*

[7] G. I. Vossius de Poët. Lat. p. 238. b. Edit. Amst. 1696.

Nec STERTINII memoriam servare potuerunt libri, quos scripsit, testibus Scholiastis Acrone et Cruquiano, ducentos et viginti. Tangit eius acumen Horatius, dubitans [1]:

Empedocles, an Stertinium deliret acumen [2].

Eius doctrinae specimen exhibetur in sermone Horatii cum Damasippo in Satira 3. Libri II. «Sapientum octavus,» vs. 296., a Damasippo praedicatur. Scribit Plinius [3], fuisse Q. Stertinium medicum ditissimum; hunc, qua de causa nescio, Cruquius [4] designari putat ab Horatio, et ita Walckenaerius censuit [5]. Rectius in eo agnosceremus Stertinium, qui aliqua scripsit de Arte Oratoria, teste Quintiliano [6], haud diversum fortasse a Maximo Stertinio, quem Seneca in Controversiis nominat [7], qui rhetor fuisse videtur. Sed Stoici parum curabant Rhetoricam in Dialecticis unice versantes.

Notior aliquantum est DAMASIPPUS, quod forte fortuna bis eius mentio fit in Epistolis Ciceronis. Simpliciter Damasippum vocant Cicero et Horatius.

---

[1] Libr. I. Epist. 12. v. 20.

[2] Barthius in Advers. Libr. XXXVII. c. 22. lectionem habet diversam: «*Stertinii deliret acumen*,» cum hac glossa: «*Stertinius notissimus Epicureus fuit: vel quod faxit* (l. *finxit*) *nomen Horatius, quia voluptati dediti stertere plerumque solent.*»

[3] Nat. Hist. Libr. XXIX. c. 1. Sect. 5.

[4] Ad Horatii l. l. p. 555. b. Obbarius, in Edit. Epist. Horat. Fasc. V. p. 148. sq., Cruquium medici illius fratrem intellexisse censet.

[5] Siquidem in sua *Histoire d'Horace T.* I. *p.* 328., eundem Plinii locum de Stertinio conferre iubet.

[6] Instit. Orat. Libr. III. c. 1. § 21.

[7] Controv. 9. Libr. II. p. 131. Edit. Schotti, a. 1649.

Iunium Damasippum Acron et Schol. Cruq., Iunium vel Licinium Dacerius, Licinium Orellius quoque in Onomastico Tulliano. Prudentius Ernestius in Clavi Ciceroniana: « DAMASIPPUS, *cognomen Liciniorum cet.* » Iulius a Sanadono vocatur. Senatorem fuisse docet Walckenaerius, qua auctoritate nescio, nisi quod ita factum sit a Corrado, ad Ciceronis ad Atticum Libr. XII. Epist. 29. Est autem Damasippus, apud Ciceronem, signorum pretiosus emtor, hortorum possessor; apud Horatium, homo perditus, Stoicus, quod nihil melius facere poterat, repente factus. Scriptae autem sunt Ciceronis Epistolae, in quibus Damasippi fit mentio, ad Atticum Libr. XII. Epist. 29. et 33., omnium Interpretum consensu a. 709., ad Diversos Libr. VII. Epist 33. anno incerto, Horatii Satira 3. Libr. II. a 721. vel 722 [1]. Iam accuratius videamus quid apud utrumque de Damasippo legatur. Signa quaedam, Bacchas, Martem, alia, omnino quatuor aut quinque Ciceroni emerat Fadius Gallus. Ciceronem signa minus delectabant, tum pretium ei magnum videbatur. Sperat igitur Damasippum manere in sententia [2]. Hic ergo eadem signa, quae Fadius emerat, eodem pretio emere voluerat, vel fortasse maiori. Addit enim Cicero: « si Damasippus in sententia non manebit, aliquem Pseudodamasippum vel cum iactura reperiemus. » Pseudodamasippum ita dicit quemadmodum Pseudocatonem [3], qui sese Damasippo

[1] Ad a. 721. referunt Massonus in Vita Horatii p. 133., Vanderburgius in Argum. Carm. 6. Libr. II., Frankius in Fast. Horat. p. 114. sqq. Ad a. 722. Kirchnerus Quaest. Horat. p. 16. et 28.

[2] Ad Diversos Libr. VII. Epist. 23.

[3] Ad Atticum Libr. I. Epist. 14.

parem profiteatur studio emendi artificum opera, nec tamen tantum pecuniae iis impendere audeat, quantum verus Damasippus. Altero loco Cicero hortum emturus, in quo Tulliae defunctae fanum exstruat, Attico mandat, ut Damasippum ea de re aggrediatur. Is, inquit, in ripa Tiberis partes fecit, nescio quotenorum iugerum, ut certa pretia constitueret, quae mihi nota non sunt. Haec Cicero. Legimus praeterea apud Macrobium [1], Ciceronem aliquando coenasse apud Damasippum, qui, cum mediocri vino posito, dixisset: « bibite, Falernum hoc annorum quadraginta est, » « Bene, » inquit Cicero, « aetatem fert. » Apud Horatium ipse Damasippus, re male gesta, in flumen se mittere voluisse narrat, servatum vero a Stertinio philosophum agere coepisse [2]:

Postquam omnis res mea Ianum
Ad medium fracta est; aliena negotia curo,
Excussus propriis. Olim nam quaerere amabam,
Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere;
Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset:
Callidus huic signo ponebam millia centum:
Hortos egregiasque domos mercarier unus
Cum lucro noram: unde frequentia Mercuriale
Inposuere mihi cognomen compita.

Lucide omnia et plane depicta. Callidus fuerat, scilicet ipse sibi; hortos, domos, sculpta, fusa, cum lucro emere sibi visus fuerat, quod idem semper faciunt eiusmodi amatores. Parvi constant, quae emunt, tempore maioris etiam pretii evadent, revendita lucrum afferent. Observat Schol. Cruq.: « *consumto*

[1] Saturn. Libr. II. c. 3.

[2] Libr. II. Sat. 3. v. 18. sqq.

per mercatum patrimonio. » Secus puto, mercaturam Damasippum fecisse non credo. Dicit enim illi Horatius vs. 27.: « miror morbi purgatum te illius; » dicit ipse Damasippus vs 64. sq.:

> **Insanit veteres statuas Damasippus emendo:**
> **Integer est mentis Damasippi creditor?**

denique *cognomen* ei Mercuriale datum fuisse in compitis videmus vs. 25. sq. Si quis vero emat ut cum lucro vendat, is morbus, ea insania est? Mercatoribusne dabatur cognomen Mercuriale, an erant revera viri Mercuriales, i. e. sub tutela Mercurii? At Damasippo datum fuerat, tam frequenti in compitis, quasi verus mercator fuisset. Mercator tamen fuisse dicitur ab Interpretibus, ab Ernestio in Clavi Horatiana, a Braunhardo in Indico, fallax adeo ab Haberfeldto. Omnes nituntur scholio Cruq., nituntur eo, quod Damasippus apud Ciceronem hortos vendit. Vendidit igitur; quis non? Saepius vendidisse puto; ea, quorum taedium ceperat, vel etiam cum pecunia egeret, ut novi quid emeret, nec credere vellent foeneratores. Fortunae naufragium vero fecit, non in vera mercatura, sed ad Ianum medium, veluti scopulum, allisus.

CAPUT TERTIUM.

ORATORES ET IURECONSULTI.

§ 1.

Cum iam in eo essem, ut, quae de Oratoribus et Iureconsultis Horatianis annotaveram, ea recenserem redigeremque, exspectandum mihi esse putabam, donec legissem Weicherti V. Cl. *Lectiones Venusinas*, quibus, nescio unde, resciveram, disputationem inesse de Galba, Iureconsulto ab Interpretibus fere habito, quem vero Iureconsultum non fuisse suspicabar. Libellum diu desideratum accepi tandem, inspexi, eaque omnia, quae primum me vidisse speraveram, de Galba, de Labeone ceterisque Iureconsultis mihi praerepta iam esse vidi. Dolui, ingenue fateor. Quid enim? Pauperis est numerare pecus. Weichertus autem, uti iam supra dixi, ad id natus esse videtur, ut, quodcumque sibi sumserit argumentum scribendi, in eo aliis nihil agendum relinquat.

Antiquissimus Orator, quem Horatius commemoravit, est CETHEGUS, qui primus fuit inter Romanos, de quo memoriae est proditum, eloquentem fuisse. Flos delibatus populi Suadaeque medulla ab Ennio

poëta nuncupatur. De eo Horatius in Arte Poëtica v. 47. sqq.:

> Dixeris egregie, notum si callida verbum
> Reddiderit iunctura novum. si forte necesse est
> Iudiciis monstrare recentibus abdita rerum,
> Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
> Contiuget: dabiturque licentia sumta pudenter.

Cinctutus vocatur Cethegus, quia antiquissimi Romani, pro tunica, cinctu sive cincto utebantur. «*Cinctum*,» ait Porphyrion, «*est genus tunicae infra pectus aptatae.*» Cinctuti currebant Luperci, ut est apud Ovidium [1]:

> Semicaper, coleris cinctutis, Faune, Lupercis,
> Cum lustrant celebres vellera secta vias.

Orationes Cęthegi non supererant Horatii tempore; qualis vero eius sermo fuisset, ex Naevianis scriptis intelligebatur [2]. Componitur Cethegus cum CATONE, Libr. II. Epist. 2. v. 116. sqq. Qui legitimum poëma condere volet, ait Horatius,

> Proferet in lucem speciosa vocabula rerum,
> Quae priscis memorata Catonibus atque Cethegis
> Nunc situs informis premit et deserta vetustas.

Fuerat magnus orator Cato, sed pro tempore suo, ouius vero orationes horridulae, ut ait Cicero [3], Horatii aetate, nemini placebant. Laudatur Cato in Arte Poëtica, v. 56. sqq.:

---

[1] Fast. Libr. V. v. 101. sq. Cf. Plutarchus Quaest. Rom. c. 68.

[2] Cicero in Bruto c. 15., Quintilianus Instit. Orat. Libr. II. c. 15. § 4., Gellius Libr. XII. c. 2.

[3] In Oratore c. 45.

cum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit.

Ita quoque a Varrone[1] Cato et Ennius componuntur: «quoniam est *soleo*, oportet dici *solui*, ut Cato et Ennius scribunt, non, ut dicit volgus, *solitus sum*.» Sed de Catone infra fusius.

Sequitur Mucius Iureconsultus, quocum componitur Orator Gracchus Libr. II. Epist. 2. v. 87. sqq.:

Frater erat Romae consulti rhetor; ut alter
Alterius sermone meros audiret honores:
Gracchus ut hic illi, foret huic ut Mucius ille.

Porphyrion interpretatur Tiberium Gracchum. Credo, quia hic amicitia iunctus erat cum uno e Muciis, nempe P. Mucio Scaevola cs. a. 621., quem de legibus suis consulebat[2]. Et erat sane Tiberius Gracchus vir magnae facultatis in dicendo[3]; praestabat autem frater eius Caius[4], ut vix dubitandum sit, quin hunc potissimum cogitaverit Horatius, cum Gracchi nomen pro egregii oratoris nomine in universum poneret. Quemnam vero Mucium cum eo composuerit non liquet, plures enim Mucii iuris scientia inclaruerunt. Praestat autem, uti mihi videtur, cogitare

[1] De Lingua Lat. Libr. IX. p. 107. Edit. Bip.

[2] Cicero Acad. Libr. II. c. 5., Plutarchus in Vita Ti. Gracchi c. 9., cf. Valerius Max. Libr. III. c. 2. n. 17., Aurelius Victor de Viris illustr. c. 64.

[3] Cicero in Bruto c. 27. (Perperam Th. Schmidius huc vocavit c. 20., ubi sermo est de Ti. Graccho, P. filio.)

[4] Cicero pro Fonteio c. 13., de Orat. Libr. III. c. 56., (cf. Quintilianus Instit. Orat. Libr. XI. c. 3. § 115.,) in Bruto c. 33., Livius Epit. Libr. LX., Velleius Libr. II. c. 6., Dial. de Orat. c. 18. et 26., Plutarchus in Vita c. 4., Gellius Libr. X. c. 3., Libr. XI. c. 13.

P. Mucium Scaevolam, quem modo diximus, Gracchorum aequalem. Fuit ille Mucius, qui, ut ait Pomponius [1], primus ius civile fundavit, inque gentem Muciam intulit.

Pro *Gracchus* apud Horatium Bentleius legere volebat *Crassus*, cogitans P. Licinium Crassum [2], eloquentium iurisperitissimum, et Q. Mucium Scaevolam P. fil., iurisperitorum eloquentissimum [3], qui fere a scriptoribus coniungi solent [4]. Erant enim aequales Crassus et Mucius, et in omnibus magistratibus, praeter tribunatum et censuram, collegae [5]. At C. Gracchus et aetate hoc Mucio prior et oratoria laude Crasso inferior [6]. Verum haud necesse esse videtur, Gracchum illum Muciumque, quos proponit Horatius, fuisse aequales; tum praeterea habebat quoque C. Gracchus aequalem P. Mucium Iureconsultum, ut supra vidimus. Dubito etiam, si omnino legendum videtur *Crassus*, an rectius cogitetur P. Licinius Crassus Mucianus Dives, filius adoptivus P. Licinii Crassi Divitis, Consul a. 623. cum L. Valerio Flacco. Erat

[1] L. 2. § 39. et 41. Dig. de Origine Juris.

[2] Perperam Bentleius *Publius*. Vocabatur enim *Lucius* Licinius Crassus, vid. Cicero in Verrem Libr. II. c. 49, Libr. de Orat. passim, Brut. c. 38., de Off. Libr. II. c. 16.

[3] Cicero in Bruto c. 39., cf. de Orat. Libr. I. c. 39.

[4] Cicero in Bruto c. 39. 40. et 43., Seneca Epist. CXIV. § 13., Ammianus Marcell. Libr. XXX. c. 4. Apud Ciceronem in Libris de Oratore dialogi partes sustinent.

[5] Cicero in Bruto c. 43. Consules fuerant a. 659. Q. Mucius Scaevola, Pontifex Maximus, ut eius pater fuerat, occisus est a Damasippo, vid. Cicero ad Atticum Libr. IX. Epist. 15., de Orat. Libr. III. c. 3., de Nat. Deor. Libr. III. c. 32., Livius Epit. Libr. LXXXVI., Velleius Libr. II. c. 26.

[6] Dial. de Orat. c. 18.

is Crassus Mucianus, uti legimus apud Gellium [1], ditissimus, nobilissimus, *eloquentissimus*, iureconsultissimus, Pontifex Maximus; vocat eum Cicero etiam eloquentem et ponit in numerum disertorum [2]; frater erat naturalis P. Mucii Scaevolae [3], de quo iam vidimus. Erant hi ergo par nobile fratrum, alter disertus, alter iureperitus, sapientissimi clarissimique [4], quibuscum rhetor ille consultusque, fratres Horatiani, ambitiose quidem, haud tamen inepte, sese compositurі fuissent. Sed nil mutandum censeo apud Horatium; iam ad ceteros oratores pergamus.

Gracchum proximus aetate, sed longo ingenii intervallo, excipiat L. Martius Philippus, Consul a. 663. cum Sex. Iulio Caesare, Censor cum M. Perperna a. 668. [5]. Erat orator suavis, facetus [6], in vita quoque remissus, elegans [7], requiem, ut ait Ho-

[1] Libr. I. c. 13.

[2] De Orat. Libr. I. c. 50. t 56., in Bruto c. 33.

[3] Cicero de Orat. Libr. I. c .37., (qui locus valde negligenter relatus est in Orellii Onomastico Tulliano,) in Bruto c. 26. Crassus consul perlit in Asia a. 623., victus et occisus ab Aristonico. Vid. Cicero de Orat. Libr. III. c. 3., Livius Epit. Libr. LIX., Velleius Libr. II. c. 4., Strabo Libr. XIV. p. 646., Florus Libr. II. c. 20. § 5., Frontinus Strateg. Libr. IV. c. 5. § 16., Eutropius Libr. IV. c. 20., Orosius Libr. V. c. 10. Suapte mann cecidit secundum Ciceronem et Florum. Paulum diverse Valerius Max. Proconsulem Velleius, praetorem Florus vocat. Pomponius l. l. perperam *Lucius*.

[4] Cicero Acad. Libr. II. c. 5.

[5] Perperam Interpretes apud Horatium filium huiu Philippi intellexerunt, uti recte observavit Orellius in Onomastico Tulliano.

[6] Cicero de Orat. Libr. II. c. 78., Libr. III. c. 1., in Bruto c. 45. 47. et 50., de Off. Libr. I. c. 30. Vide eius lepide dicta apud Ciceronem de Orat. Libr. II. c. 60. et 61., Columellam de Re Rustica Libr. VIII. c. 16. § 3. Plutarchum in Vita Pompeii c. 2.

[7] Inter piscinarios refertur, vid. Varro de Re Rustica Libr. III.

ratius [1], risusque undique quaerens. Lepidam de eo narratiunculam legimus Libr. I. Epist. 7. v. 46. sqq.:

> Strenuus et fortis, causisque Philippus agendis
> Clarus, ab officiis octavam circiter horam
> Dum redit, atque foro nimium distare carinas
> Iam grandis natu queritur; conspexit, ut aiunt,
> Adrasum quendam vacua tonsoris in umbra,
> Cultello proprios purgantem leniter unguis.
> Demetri, (puer hic non laeve iussa Philippi
> Accipiebat,)

Demetrius puer unus e Philippi pedissequis erat, qui divites semper Romanos comitabantur, quin Horatius adeo, vide Libr. I. Sat. 9. v. 10., suum puerum secum habebat:

> abi, quaere, et refer; unde domo, quis,
> Cuius fortunae, quo sit patre, quove patrono.
> It, redit, et narrat Voltcium nomine Menam,
> Praecouem, tenui censu, sine crimine notum [2],
> Et properare loco et cessare, et quaerere, et uti,
> Gaudentem parvisque sodalibus, et lare certo [3],
> Et ludis, et post decisa negotia, campo.

Voltcium Menam, hominem libertinum, ut videtur, Menas enim servile nomen [4], Philippus postridie ad coenam vocat, mox, feriis Latinis, secum in villam educit, in agello denique collocat, periculum factu-

---

c. 3. § 10., Columella l. l., Plinius Nat. Hist. Libr. IX. c. 54. Sect. 80., Macrobius Saturn. Libr. II. c. 11.

[1] Libr. I. Epist. 7. v. 79. De voce *requiem* cf. Obbarius in Edit. Epistolarum Horatii Fasc. IV. p. 392.

[2] Bentleius: *natum.*

[3] Bentleius: *curto.*

[4] Deductum a *Menodorus*, ut *Dama* a *Demetrius*, vid. Casaubonus ad Pers. Sat. V. v. 76. p. 411. cf. 547., *Lucas* a *Lucanus*, de quo Interpretes ad Euangelium Lucae.

rus, quomodo sortis mutationem in melius sit laturus. Volteius, vs. 83.:

ex nitido fit rusticus, atque
Sulcos et vineta crepat mera: praeparat ulmos:
Inmoritur studiis, et amore senescit habendi.
Verum ubi oves furto, morbo periere capellae,
Spem mentita seges, bos est enectus arando;
Offensus damnis, media de nocte caballum
Arripit, iratusque Philippi tendit ad aedis.
Quem simul aspexit scabrum intonsumque Philippus;
Durus, ait, Voltei, nimis attentusque videris
Esse mihi. Poi me miserum, patrone, vocares;
Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen.
Quod te per Genium dextramque Deosque penatis
Obsecro et obtestor: vitae me redde priori.

Ita prorsus egregie et accommodate ad Maecenatem Horatius. Ipse quoque humili genere natus, scriba olim, fortunae tenuis, Maecenatis iussu convictor ipsius factus, praedioque ab eo donatus fuerat. Veterem tamen subinde libertatem respiciebat, ea, quae sibi ad victum accesserant, non eodem modulo ac pede, quo Maecenas, metiebatur, contra, hoc certe tempore, unice huius amore retinebatur, quominus veterem suam vitam repeteret, relictis iis, quae olim appetivisset.

Messallae, principatus eloquentiae, inter sui temporis oratores, ab Horatio tribuitur in Arte Poëtica v. 369. sqq.:

consultus iuris, et actor
Causarum mediocris, abest virtute diserti
Messallae, nec scit quantum Cascellius Aulus;
Sed tamen in pretio est: mediocribus esse poëtis
Non homines, non Di, non concessere columnae.

Firmatur Horatii iudicium testimonio Senecae [1]

[1] Controv. 12. Libr. II. p. 150. Edit. 1649.

et Quintiliani [1], qui nobilitatem Messallae in dicendo et ingenium exactissimum praedicant [2]. Laudat eundem et altero loco [3] Horatius propter puram latinitatem:

> Scilicet oblitos patriaeque patrisque Latini,
> Cum Pedius causas exsudet Poplicola atque
> Corvinus, patriis interniscere petita
> Verba foris malis, Canusini more bilinguis?

ubi annotant Acron et Porphyrion, Messallam adeo curasse, ne Graeca verba Latinis immiscerentur, ut primus intulerit vocem *Funambulus* pro Graeco Σχοινοβάτης, qua *post eum* Terentius in Hecyra [4] usus fuerit. Haec, cum per sc absurda sint, saniora, ni fallor, peti possunt ex scholio Cruquiano: «*Messalla* Σχοινοβάτην *Latine funambulum reddidit ex Terentio in Hecyra; ubi ait: Funambuli eodem accessit exspectatio,*» quod ita explico, ut Terentius scripserit: «*Schoenobatae* eodem accessit exspectatio,» Messalla vero substituerit *Funambuli*, idque, cum aequalibus suis placeret, receptum fuisse in Terentii exempla [5].

Sed magna praeterea superest difficultas in Horatii loco laudato. Quaeritur, cognomen Poplicola num ad Pedium pertineat an ad Messallam. Est prorsus similis dubitatio Libr. I. Sat. 5. v. 27. sq.:

---

[1] Instit. Orat. Libr. X. c. 1. § 113.

[2] De Messalla oratore cf. quoque Suetonius in Vita Tiberii c. 70., Auctor Dial. de Orat. c. 17. 20. et 21., Ellendt. ad Brutum p. CXXX. sqq. Meyer. Orat. Latin. Fragm. p. 208. Ed. pr.

[3] Libr. I. Sat. 10. v. 27. sqq. In versu 27. lectio: „*oblitus patriaeque patrisque, Latine Cum cet.*" utique praestare videtur. Cf. Orellius.

[4] Prol. alt. v. 26.

[5] Cf. Quintilianus Inst. Orat. Libr. VIII. c. 3. § 34.

Hnc venturus erat Maecenas, optimus atque
Cocceius,

et in Sat. 10. eiusdem Libri v. 82. sq.:

probet haec Octavius, optimus atque
Fuscus,

ubi Bentleius recte, uti mihi videtur, etsi altero in loco prava usus argumentatione, quod Octavium crederet esse Caesarem Octavianum [1], sed tamen recte *optimus* retulit ad *Cocceius* et ad *Fuscus*. Ita quoque hoc in loco similis verborum collocatio, ut *Poplicola* cum *Messalla* coniungamus suadere videtur. Sed erit res altius inspicienda. Pedius Orator, quod mirum sane, prorsus ignoratur, nam diversus procul dubio est ab illo Pedio, quem commemorat Persius [2]:

«Fur es,» ait Pedio. — Pedius quid? — Crimina rasis
Librat in antithetis.

Sed fuit Q. Pedius, nepos Juliae maioris, sororis Julii Caesaris, unus ex heredibus illius, qui in consulatu obiit, collega Caesaris Octaviani, a. 711. [3]. Hic filium habebat, de quo nihil legitur, et nepotem ex illo Quintum, qui cum natura mutus esset, eum Messalla, ex cuius familia pueri avia erat, picturam docendum censuit, uti tradidit Plinius [4]. Cognomen

---

[1] Ita certe Bentleii annotationem ad Libr. I. Sat. 5. v. 27. accipio. Aliter Weichertus Poët. Lat. Rel. p. 229.

[2] Sat. I. v. 85. sq. Otto Jahnius intelligit Pedium Blaesum, de quo Tacitus Annal. Libr. XIV. c. 18., cl. Hist. Libr. I. c. 77. Vid. in eius Edit. Persii p. lxxii. et 101.

[3] Velleius Libr. II. c. 65. et 69., Dial. de Orat. c. 17., Suetonius in Vita Caesaris c. 83., Appianus de Bello Civili Libr. III. c. 22. 23. et 92., Libr. IV. c. 6., Dio Cassius Libr. XLVI. c. 46.

[4] Nat. Hist. Libr. XXXV. c. 4. Sect. 7.

Poplicolae per aviam huius Q. Pedii ad gentem Pediam transire potuit, quemadmodum Catonis maioris filius Salonini cognomen a matre duxit [1]. Idem Poplicolae cognomen a Valeriis pervenit ad GELLIUM POPLICOLAM, fratrem per adoptionem Messallae [2], quem Horatius, simul cum ipso, inter suos fautores recenset Libr. I. Sat. 10. v. 85.:

te, Messalla, tuo cum fratre.

Fuerat is captus a Bruto Cassioque, cum sequeretur partes triumvirorum, fratri vero Messallae condonatus [3], post in pugna Actiaca Antonii dextro cornu praefuit [4]. Itaque haud iniuria statuamus ipsi qnoque Messallae idem cognomen fuisse, etiamsi non legatur in monumentis [5], praesertim cum Messallarum cognomina saepius, incertum qua de causa, permutata fuisse videntur. Ita Messallae filins uterque, tum minor qui per adoptionem transiit in gentem Aureliam, tum quoque maior Messallinus dictus fuit [6]. Hoc autem in loco Horatiano, cum nulla idonea causa sit, utri potins, Pedio an Corvino, tribuamus Poplicolae cognomen, rectius, ni fallor, magisqne ex Horatiana ratione scribendi, *Poplicola* cum *Corvinus* componemus. Scho-

---

[1] Plutarchus in Vita Catonis maioris c. 24.

[2] Pighius Annal. T. III. p. 307.

[3] Livius Epit. Libr. CXXII., Dio Libr. XLVII. c. 24.

[4] Plutarchus in Vita Antonii c. 65. et 66.

[5] Auctor Elegiae ad Messallam, quae est 7. inter Virgilii Catalecta, v. 40. Messallas Poplicolas nominat, eosque, quod mirum, ad primos Consules refert. Cognomen autem Messallae demum a. 491. acceperunt.

[6] Vid. Broukhusius ad Tibulli Libr. II. Eleg. 5., ubi huius cognominis testimonia collegit. Cf. quoque Valer. Max. Libr. IX. c. 14. u. 5.

liastae secus faciunt, quin Acron praeterea Pedium Poplicolam et Messallam Corvinum fratres fuisse addit. Iidem Scholiastae ad vss. praecedentes:

cum
Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli,

PETILLIUM a Pedio Corvinoque accusatum fuisse narrant, absolutum vero gratia Caesaris Octaviani. Quidquid eius fuerit, eodem certe spectat Horatius in Libr. I. Sat. 4. v. 93. sqq.:

Mentio siqua
De Capitolini furtis iniecta Petilli
Te coram fuerit; defendas, ut tuus est mos:
Me Capitolinus convictore usus amicoque
A puero est, causaque mea permulta rogatus
Fecit; et incolumis laetor quod vivit in Urbe:
Sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud
Fugerit,

ubi de Petillio annotant Scholiastae, reum illum fuisse furti coronae, Iovis capiti impositae, in Capitolio, cum ei custos praepositus esset, unde traxerit cognomen Capitolini, id quod utique falsum est. Petilliae gentis enim perpetuum fuit cognomen Capitolini, uti satis compertum est ex Fastis nummisque, quos exhibent Lambinus, Torrentius, Fulvius Ursinus [1], alii. Si verum est, quod tradunt, Petillium amicitia Caesaris floruisse, mira profecto Horatii libertas in perstringendo homine illo, mira quoque ars, qua, tamquam aliud agens, bis ita fecit. Ceterum historia hodie prorsus ignota est.

Messallae eiusque fratri Poplicolae Horatius inno-

[1] Famil. Rom. Romae, 1577. p. 188. Cf. Havercampius in Morellii Thesauro T. II. p. 315.

tescere potuit, cum esset in castris Bruti Cassiique, quorum partes sequebatur quoque Messalla; frater vero, ut vidimus, sectator triumvirorum, captus a Bruto Cassioque, servatus vero fuit in gratiam Messallae. Accidit hoc, cum Brutus in Asia versaretur, quo illum Horatius secutus fuerat, uti apparet ex Satira 7. Libri I. Gellius autem Poplicola, teste Dione [1], mox reversus est ad Antonium, Messalla vero Bruto demum Cassioque devictis, eidem se adiunxit, post vero, Cleopatrae taedio, ad Caesarem transiit [2], semper, ut ipse de sese praedicabat, optimarum partium fautor et adiutor [3].

Celebrat altero loco Messallam Horatius, ubi ita ad amphoram [4]:

Descende, Corvino iubente
Promere languidiora vina.

Non ille quamvis Socraticis madet
Sermonibus te neglegit horridus,

quod quando scripserit, nullo certo iudicio constat. Satiram 10. Libri I., in qua, ut vidimus, Messallam eiusque fratrem recenset inter amicos suos, quamvis dissentiant in eius aetate constituenda VV. DD., nemo tamen ultra a. 724 produxit [5].

Eleganter Quintilianus [6] de Messalla: «Orator

---

[1] Libr. XLVII. c. 24.

[2] Velleius Libr. II. c. 71., Appianus de Bello Civili Libr. IV. c. 38. et 136., Libr. V. c. 113., Dio Cassius Libr. XLVII. c. 11.

[3] Plutarchus in Vita Bruti c. 53.

[4] Libr. III. Carm. 21. v. 7. sqq.

[5] Frankius Fast. Horat. p. 106. et 108.

[6] Iustit. Orat. Libr. X. c. 1. § 113.

nitidus et candidus et quodammodo prae se ferens in dicendo nobilitatem suam,» quo loco tum eloquentiam Messallae, tum ipsius indolem expressit, qualem ex historicis poëtisque novimus. Nobilitatem generis illum prae se tulisse aliunde quoque compertum est. Exemplum Plinius affert Hist. Nat. Libr. XXXV. c. 2. Sect. 2.: «(Apud maiores) foris et circa limina domitarum gentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quae nec emptori refigere liceret, triumphabantque etiam dominis mutatis ipsae domus: et erat haec stimulatio ingens, exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum. Exstat Messallae oratoris indignatio, qua prohibuit inseri genti suae Laevinorum alienam imaginem. Similis causa Messallae seni expressit volumina illa, quae de familiis condidit [1], quum Scipionis Pomponiani transisset atrium, vidissetque adoptione testamentaria Salutiones (hoc enim ei fuerat cognomen), Africanorum dedecore, irrepentes Scipionum nomini.» Plinii locus lucem affert loco Horatii in Libr. I. Sat. 6. v. 12. sqq., ubi dicit, persuasum esse Maecenati:

> Laevinum, Valeri genus, unde Superbus
> Tarquinius regno pulsus fuit, unius assis
> Non umquam pretio pluris licuisse notante
> Iudice, quo nosti, populo, qui stultus honores
> Saepe dat indignis, et famae servit ineptus,
> Qui stupet in titulis et imaginibus. quid oportet
> Vos facere, a volgo longe longeque remotos?
> Namque esto, populus Laevino mallet honorem
> Quam Decio mandare novo: cet.

[1] Cf. Plinius Nat. Hist. Libr. XXXIV. c. 13. Sect. 38: «Verba — Messallae senis —: Serviliorum familia cet.»

Narrat Plinius, Messallam, ut senex ferre non potuit Scipionem Pomponianum, hominem despectissimum ex Corneliorum gente, cui ad opprobrium vitae Salutionis cognomen datum erat [1], irrepere in familiam Scipionum Africanorum, etsi ad eandem gentem pertineret, ita quoque antea, cum senex nondum esset, indignatum fuisso, quod Laevinus quidam, e gente Valeriorum, homo imbellis, imagines familiae suae insereret Messallarum imaginibus. Horatius autem exhibet nobis Valerium quendam Laevinum, repulsam, ut indignum, a populo passum. Quo anno Horatius Satiram suam scripserit non constat, deque ipsius Messallae aetate magna controversia est, sed certo scimus iuvenem illum fuisse, quo tempore Satira illa composita fuit. Recte igitur, ut mihi videtur, Horatii Laevinum diversum non fuisse statuemus ab illo Pliniano. De repulsa, quam tulit, ita Porphyrion: «*Hic P. Valerius adeo foedis ac proiectis in omnem turpitudinem moribus vixit, ut provehi non potuerit ultra quaesturae dignitatem.*» Decius, cuius nomen, in exemplum, ut hominis novi, nobilissimo Laevini nomini opponit Horatius, is cogitandus esse videtur, qui consulatum in suam familiam intulit seque pro civibus, decertans cum Latinis, devovit a. 415. [2]. Sed Messallae summo iure gloriari licebat propter nobilitatem familiae suae, tot meritis in rempublicam, tot honoribus triumphis-

[1] Rem tradit Suetonius in Vita Caesaris c. 59.

[2] Cicero de Finibus Libr. II. c. 19., Tuscul. Quaest. Libr. I. c. 37., de Divinat. Libr. I. c. 24., Livius Libr. VIII. c. 3., 9. et 10., Valerius Max. Libr. V. c. 6. n. 5., Florus Libr. I. c. 14. § 3. et 4., Aurelius Victor de Viris illustr. c. 26. Cf. quoque Livius Libr. X. c. 7. et 8., Juvenalis Sat. VIII. v. 254. sqq., Sat. XIV. v. 230.

que insignem, cuius ipsa cognomina [1], virtute parta, indolem generosam prodebant. Hinc merito Horatius glorioso cuidam tribuno, collegam libertinum despicienti, cum ipsius tamen pater libertinus fuisset [2]:

Hoc tibi Paullus,
Et Messalla videris?

recte cum Messallis PAULLOS coniungens, quorum familia iam a Numa Pompilio originem suam repetebat [3].

Agmen Oratorum claudat CASSIUS SEVERUS, postremus antiquorum, primus tamen in flectendo ab illa vetere atque directa via dicendi [4]. Laudibus effertur a Quintiliano aliisque [5], cum ei plurimum ingenium et summa vis esset, notatur vero propter contumeliosam dicacitatem et amaritudinem [6]. In hunc Cassium multorum sententia est Horatium scripsisse Epodon sextam:

---

[1] De Corvini cognomine vid. Livius Libr. VII. c. 26., Dionysius Halic. Ant. Rom. Libr. XV. Exc. 1. et 2., Valerius Max. Libr. III. c. 2. u. 6., Florus Libr. I. c. 13. § 20., Gellius Libr. IX. c. 11., Eutropius Libr. II. c. 6., Aurelius Victor de Viris illustr. c. 29.; de cognomine Messallae Fast. Capit. ad a. CCCCXL., Seneca de Brev. Vitae c. 13. § 5., Macrobius Saturn. Libr. I. c. 6.; de Poplicolae Livius Libr. II. c. 8., Plutarchus in Vita c. 1., Dionysius Halic. l. l. Libr. V. c. 19.

[2] Libr. I. Sat. 6. v. 41. sq.

[3] Plutarchus in Vita Numae c. 8. et 21., cl. c. 1., Aemilii Paulli c. 2. Cf. Juvenalis Sat. II. v. 146., Sat. VIII. v. 3. et 21., Seneca de Clemeutia Libr. I. c. 9. § 8.

[4] Dial. de Orat. c. 19. et 26.

[5] Seneca Excerpt. Controv. Libr. III. Praef. p. 346. Edit. 1649., Quiutilianus Instit. Orat. Libr. X. c. 1. § 117.

[6] Seneca Libr. II. Coutrov. 12. p. 152., Quiutiliauus l. l. Libr. VIII. c. 3. § 89., Libr. XI. c. 1. § 57., Suetonius de illustr. Grammat. c. 22.

Quid inmerentis hospites vexas, canis,
Ignavus adversum lupos?
Quin huc inanis, si potes, vertis minas,
Et me remorsurum petis? ect.

Cuius scntentiae Acron et Scholiastes Cruquianus principes fuisse videntur. Scilicet Cassius Severus non modo multos in iudicium vocavit adductus libidine accusandi [1], sed etiam dictis acerbissimis scriptisque procacibus petivit, quo factum est ut Augustus cognitionem de famosis libellis specie legis maiestatis [2] tractaverit, Cassiusque in insulam Cretam fuerit amotus, ubi cum eadem agitaret, effecit ut bonis exutus, interdictus igni et aqua, in saxo Seriphio consenuerit [3], ubi anno exilii sui vigesimo quinto in summa inopia mortuus est [4]. In hunc autem virum num recte statuamus Horatium invectum fuisse, dubium fit tum Porphyrionis silentio, tum quod Acron Cassium, (cognomen Severi non addit,) maledicum poëtam vocat, cum nulla de Cassii Severi poëtica facultate facta sit mentio inter tot veterum testimonia [5], denique ignaviae accusatio ne apud Horatium. Non erat ille ignavus qui ne amicis quidem Augusti Fabio Maximo [6], Nonio Asprenati [7] aliisve pepercit, Labieni laudem

---

[1] Cf. Macrobius Saturn. Libr. II. c. 7.

[2] Tacitus Annal. Libr. I. c. 72.

[3] Id. ibid. Libr. IV. c. 21., cf. Suetonius in Vita Caligulae c. 16.

[4] Hieronymus Ol. CCII. 4. i. e. 785. a. 786. Varr.

[5] Meyerus Orat. Rom. Fragm. p. 225. sqq. Edit. pr.

[6] Seneca l. l.

[7] Suetonius in Vita Augusti c. 56., Plinius Nat. Hist. Libr. XXXV. c. 12. Sect. 46., Dio Cassius Libr. LV. c. 4.

praedicavit [1], denique ne Tiberium quidem metuit [2]. Sed obstat praeterea aetas, quominus apud Horatium de Cassio Severo cogitemus. Obiit enim Ol. CCII. 4. i. e. a. 785. s. 786., Epodon autem sextam, quamvis dissentiant Interpretes, nemo tamen ultra a. 723. produxit. Illo tempore iuvenis adhuc fuerit Cassius necesse est, quem vix credibile est maledicendi libidine adeo innotuisse, ut Horatium illum tam virulento carmine traduxerit. Nec tamen mihi cum Kirchnero [3] de Maevio, ant cum Grotefendo [4] de Bavio cogitandum esse videtur. Praestat cum Interpretibus plerisque, cum Frankio [5] quoque, Duentzero [6] et Walckenaerio [7] nihil certi de homine ab Horatio lacessito statuere, rem in medio relinquere.

§ 2.

Facete Horatius in Satira 1. Libri II. personam indncit Trebatii Iureconsulti, qui respondet ipsum consulenti, qna ratione cuivis in satira satisfacere possit. Respondet Trebatius vs. 5.:

> Quiescas. — Ne faciam, inquis,
> Omnino versus? — Aio. — Peream male, si non
> Optimum erat: verum nequeo dormire. — Ter uncti
> Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,
> Irriguumque mero sub noctem corpus habento;

[1] Seneca Controv. Libr. V. Praef. 282., cf. Suetonius in Vita Caligulae c. 16.

[2] Plutarchus de Discr. Adulat. et Amici c. 18., de quo loco vid. Weichertus de Vario et Cassio p. 201.

[3] Quaest. Horat. p. 25.

[4] In Erschii et Gruberi *Allg. Encyclop.* Sect. II. T. X. p. 461.

[5] Fast. Horat. p. 130.

[6] *Kritik u. Erklärung d. Oden d. Horaz*, p. 323.

[7] *Histoire d'Horace*, T. I. p. 170.

respicit autem Horatius Trebatii studium natandi lautarumque epularum, quo nobis hodie etiam notus est ex epistolis Ciceronis [1]. Erat C. Trebatius Testa eques Romanus, haud admodum nobilis, fortunae tenuis, qua de causa vs. 28. Lucilium meliorem vocat Horatius seque Trebatioque, ut supra iam vidimus [2]. Annotat Porphyrion ad vs. 4.: «*Ad Trebatium scribit equitem Romanum. Hic est Trebatius iurisperitus qui locum obtinuit inter poëtas et aliquot libros de civili iure composuit et de religionibus novem* [3].» De poëtica Trebatii facultate aliunde non constat, sed eo quoque referendum esse videtur quod Porphyrion ad vocem *melioris* supplet *ingenio*. Rutgersius [4] confert Lucretii locum [5]:

> Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit,
> Qui melior multis, quam tu, fuit, improbe, rebus,

et Homericum illud [6]:

> κάτθανε καὶ Πάτροκλος, ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων.

Ut rem familiarem augeret, Trebatius Caesarem in Galliam secutus est, sed uti nesciit occasione. Id temporis, a. 700., iam familiam ducebat in iure civili, teste Cicerone [7], itaque haud admodum iuvenis erat,

---

[1] Cicero ad Divers. Libr. VII. Epist. 10., 20. et 22.

[2] Pag. 76. sq.

[3] Recte Torrentius observat decimum citari a Macrobio Saturn. Libr. III. c. 3. · Quae ex Trebatii libris in Pandectis inveniuntur, ea collegit F. W. von Tigerstrom, *die aeussere Gesch. des roem. Rechtes.* p. 102.

[4] Lect. Venus. c. XXI. p. 362. Edit. 1690.

[5] Libr. III. v. 1038. sq.

[6] Iliad. Libr. XXI. v. 107.

[7] Ad Divers. Libr. VII. Epist. 5., ci. 17.

id quod convenit cum senis persona, quam apud Horatium sustinet in Satira, scripta, uti statuit Frankius [1], a. 724., uti alii a. 726. [2] vel 727. [3].

Ostendere vult Horatius in Arte Poëtica ceteris quidem in rebus mediocrem esse licere, in poësi non item [4]:

consultus iuris, et actor
Causarum mediocris, abest virtute diserti
Messallae, nec scit quantum Cascellius Aulus;
Sed tamen in pretio est: mediocribus esse poëtis
Non homines, non Di, non concessere columnae.

Erat Aulus Cascellius [5], teste Pomponio [6], vir summae auctoritatis sui temporis in iure civili. Cedebat uni Trebatio, cui itaque superstes fuisse videtur, quo tempore Horatius Artem suam Poëticam componebat. De tempore illo non constat inter VV. DD. Certum tamen est id non fuisse factum ante a. 730. [7]. Cascellius autem, Q. Mucii auditor [8], qui perierat a. 671. [9], ipse senex a. 710. [10], id temporis aetate

---

[1] Fast. Horat. p. 109. sqq.

[2] Kirchnerus Quaest. Horat. p. 17.

[3] Weichertus Poët. Lat. Rel. p. 298.

[4] Art. Poët. v. 369. sqq. Cf. Ammianus Marc. Libr. XXX. c. 4.

[5] Fuit praeterea A. Cascellius, diversus ab hocce, praediator, quem commemorant Cicero pro Balbo c. 20. et Valerius Max. Libr. VIII. c. 12. n. 1. Vid. E. G. Lagemans de A. Cascellio ICto. p. 6.

[6] L. 2. § 45. Dig. de Origine Iuris.

[7] Vid. Cl. Reenenius Disputat. de Horatii Epist. ad Pisones. p. 58.

[8] Ex praeclara Balduini emendatione, qui Dig. l. l. pro: « fuit Aulus Cascellius, Quintus Mucius, Volusii auditor, » legit: « Quinti Mucii et Volusii auditor. »

[9] Cf. supra p. 168. n. 5.

[10] Valerius Max. Libr. VI. c. 2. n. 12.

valde provecta fuerit necesse est [1]. Erat homo facctus, mordax, cuius liber *Bene dictorum* exstabat etiam Pomponii aetate [2], quorum unum et alterum dictum nobis servarunt Quintilianus [3] et Macrobius [4]. Iam olim triumviris infensus [5], consulatum sibi ab Augusto oblatum recusavit seque intra quaesturae honores continuit [6].

Vixit eodem tempore, quo Trebatius Cascelliusque, Alfenius Varus, Servii Sulpicii discipulus, vir magnae auctoritatis in iure civili [7], consulatu functus a. 755. Hunc tamen irrisum fuisse ab Horatio non est quod miremur, modo cogitemus ita factum esse a. 715. et 716. quo Satiram 3. Libr. I. scripsit Horatius [8], cum Alfenius, admodum iuvenis, nondum alia de causa inclaruisset, nisi mira vitae permutatione, quam tangit Horatius, summaque vafritia in causis agendis. Horatius autem Stoicorum irridens Paradoxon: Sapientem solum esse optimum opificem, ita vs. 127. sqq.:

---

[1] Cf. Streuberus, *Ueber die Chronologie der Horaz. Dichtungen. Basel*, 1843. p. 192.

[2] Dig. l. l.

[3] Instit. Orat. Libr. VI. c. 3. § 87.

[4] Saturnal. Libr. II. c. 6.

[5] Valerius Max. l. l.

[6] Ita Pomponius Dig. l. l. Mirum est, cum idem in Onomastico suo retulisset Glandorpius, rogasse Spaldingium ad Quintiliani l. l., unde haec rescivisset Glandorpius.

[7] L. 2. § 44. Dig. de Origine Juris.

[8] Ita Kirchnerus Quaest. Horat. p. 52., Welchertus de Vario et Cassio p. 44., Franklus Fast. Horat. p. 90. Cruquius ex vs. 130. collegit satiram scriptam esse paullo post vel ante consulatum Alfenii Vari a. 755, indeque simul, Horatium vixisse supra annum LXIV.

sapiens crepidas sibi numquam
Nec soleas fecit: sutor tamen est sapiens. Qui?
Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus est modulator; ut Alfenus vafer [1], omni
Abiecto instrumento artis clausaque taberna,
Sutor erat: sapiens operis sic optimus omnis
Est opifex solus,

pro voce *Sutor* Cruquius ex quodam codice suo legendum esse censuit *Tonsor*, eamque lectionem stabilivit loco Alexandri ab Alexandro [2]. Secutus est Bentleius eamque multis Interpretibus persuasit, nuperrime vero impugnata denuo fuit a Weicherto, qui vulgatam lectionem rectissime se habere ostendit [3]. Annotant Scholiastae, Acron: « *Urbane satis Alphenum vafrum Cremonensem deridet, qui abiecta sutrina, quam in municipio suo exercuerat, Romam venit, magistroque usus Sulpitio iurisconsulto, ad tantam pervenit scientiam, ut et consulatum gereret et publico funere efferretur. Aliter: Alphenus, sutoris filius, qui ita iuris studio intendit, ut beneficio artis huius latum clavum sumeret, et ad consularem consurgeret dignitatem. Sunt qui dicant, hunc Cremonensem fuisse,* » Porphyrion eadem, Cruquianus autem: « *Urbane satis Alfinium Varum Cremonensem inducit cet,* » quam nominis *Alfinii* scriptionem post Sigonium, Goltziumque Cruquius Torrentiusque receperunt, nuperrime autem Orellius et Wuestemannus [4] *Alfenius* scribendum et per synecphonesin pronuntiandum esse censuerunt, uti vocem *Varius*

[1] De voce *Vafritia* vid. Valerius Max. Libr. VII. c. 3.

[2] Genialium Dier. Libr. VI. c. 23. T. II. p. 729. Edit. 1673. Ita quoque Christoph. Landinus ad h. l.

[3] Lect. Venus. p. 45. sqq. Edit. sec.

[4] In Heindorfii altera Sat. Horatii Editione, Lips. 1843.

apud Catullum Carm. X. v. 1., et *Aquinios* Carm. XIV. v. 18. Scholiastarum testimonium de Alpheno, seu Alfinio iureconsulto in dubium vocavit Everardus Otto [1], quem secutus quoque est Wielandus, cum ei non credibile esse videretur, Horatium talem virum summae auctoritatis et claritatis vero nomine traduxisse. Qua in re nullam aetatis huius Satirae rationem habuit Wielandus, quod neque Dacerius fecerat, qui Alphenum Varum quendam, Catulli aequalem [2] cogitabat, nec Iahnius, qui huc vocavit Alfenum Varum, Caesaris Octaviani legatum, quem a. 714. agris transpadanae provinciae dividundis praefuisse legimus apud Donatum in Vita Virgilii c. 8. § 30. et apud Pseudo-Servium ad Virgilii Eclogam VI. v. 9. et X. v. 10. Everard. Otto urget vocem *erat* in vs. 132. [3], ex qua colligendum esse putat agi de homine iam mortuo, itaque aut de *turgido Alpino* Horatiano [4], aut de Aquinio, malo poëta, apud Catullum [5] et Ciceronem [6], aut denique de Albino, e cuius *Rerum Romanarum* Libro I. versus nonnullos servavit Priscianus [7]. Sed est mirifice falsa haec interpretatio vocis *erat;* hoc enim vult Horatius: quemadmodum hodie Hermogenes, pulchra voce insignis, cantor manet, etiam cum tacet, ita Alfenius olim, cum

[1] In Thesauro Iuris, Vol. V., singulari libro *de P. Alfeno Varo ICto.* p. 1637. sqq. Scripturam *Alfenum* probat p. 1634.

[2] Vid. Catullus Carm. X., (in quo *Varius* pro *Varus* legendum esse ostendit Achilles Statius,) XXII. et XXX.

[3] L. I. p. 1643.

[4] Vid. supra p. 108. sqq.

[5] Carm. XIV. v. 18.

[6] Tuscul. Quaest. Libr. V. c. 22.

[7] Libr. VII. p. 741. Edit. Putschii.

sutrinam exerceret, sutor manebat, etiam siquando artis instrumenta abiecisset et tabernam clausisset. Itaque rectissime statuit Weichertus Scholiastarum annotationes nihil continere, quod per se improbabile sit, et Alfenum, [sive potius Alfenium,] diversum non esse a clarissimo illius nominis Iureconsulto.

Dum alterum Stoicorum paradoxon: Omnia peccata esse paria, refutat Horatius, exemplo utitur Libr. I. Sat. 3. v. 80. sqq.:

> Si quis eum servum, patinam qui tollere iussus
> Semesos piscis tepidumque ligurrierit ius,
> In cruce suffigat; Labeone insanior inter
> Sanos dicatur.

ubi annotavit Acron: «*M. Antistius Labeo, iurisperitus memoratae libertatis, nam in Augustum libere invectus est: ideo eum nunc poëta male tractat, ut gratificetur Augusto.*» Propter Acronis scholion Weichertus [1] in loco Gellii Libr. XX. c. 1., ubi legitur *Quintus* Antistius Labeo, *Marcus* legendum esse putabat, quod mihi secus videtur. Fuit enim Quintus quoque Antistius Labeo, Marci pater, Iureconsultus, Servii Sulpicii auditor, id quod testatur Pomponius L. 2. § 44. Dig. *de Origine Iuris.* Porphyrion annotat: «*M. Antistius Labeo, praetorius, iuris etiam peritus, memor libertatis, in qua natus erat, multa contumaciter adversus Caesarem dixisse et fecisse dicitur, propter quod nunc Horatius adulans Augusto, insanum eum dicit,*» eademque Scholiastes Cruq. Erat Labeo Trebatii discipulus, ut tradit Pomponius l. l. § 47. Tacitus [2] ad

---

[1] Lect. Venus. p. 34. Edit. sec.

[2] Annal. Libr. III. c. 75.

a. 775. ita de illo: «Obiere eo anno — et Capito Ateius — principem in civitate locum studiis civilibus assecutus, sed avo centurione Sullano, patre praetorio. Consulatum ei acceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium, iisdem artibus praecellentem, dignatione eius magistratus anteiret. Namque illa aetas duo pacis decora simul tulit. Sed Labeo incorrupta libertate et ob id fama celebratior: Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur. Illi, quod praeturam [1] intra stetit, commendatio ex iniuria, huic, quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur.» Ita quoque Gellius [2]: «agitabat hominem libertas quaedam nimia atque vecors; usque eo ut Divo Augusto iam principe et rempublicam obtinente, ratum tamen pensumque nihil haberet, nisi quod iussum sanctumque esse in Romanis Antiquitatibus legisset.» Pomponius, paullum diverse a Tacito, tradit consulatum Labeoni ab Augusto fuisse oblatum, Labeonem vero honorem suscipere noluisse. Studium libertatis, in qua natus fuerat Labeo, ut ait Porphyrion, veluti hereditate acceperat a patre, qui fuerat inter Caesaris percussores, post, rebus ad Philippos deperditis, servi fidelis ministerio mortem sibi conscivit [3]. Accidit hoc a. 712., neque ulla in ea historia Labeonis fit mentio, de quo nihil relatum legimus ante a. 736., quum erat inter eos, qui senatum, iussu

[1] Diversus tamen est ab illo Labeone praetorio, quem ut nuper exstinctum commemorat Plinius Nat. Hist. Libr. XXXV. c. 4. Sect. 7.

[2] Libr. XIII. c. 12.

[3] Appianus de Bello Civili Libr. IV. c. 135., Plutarchus in Vita Bruti c. 12.

Augusti, purgarent [1]. Hinc sequitur, Labeonem, a. 715. seu 716., quum Horatius scriberet Satiram Libri I. 3., valde iuvenem fuisse, falsumque esse quod tradunt Scholiastae, Horatium perstrinxisse Labeonem, quod multa contumaciter adversus Caesarem dixisset et fecisset. Scholiastas sequi non debuerat Bentleius, qui negat fieri potuisse, ut Horatius virum senatorem, dignitate, opibus, sapientiae gloria et gratia apud cives florentissimum, tam vecordi contumelia laceraverit, quare pro *Labeone, Labienum* legendum esse putabat [2]. Sed Bentleium refutavit Weichertus [3], qui recte docuit, vel optime fieri potuisse ut Horatius Labeonem, peradolescentem, nullo adhuc nomine insignem, quum praeter modum, propter leve delictum in servum animadvertisset, ita perstrinxerit. Mira Spohnii [4] sententia fuit, qui C. Atinium Labeonem cogitabat, tribunum plebis a. 624., summa cum audacia atque furore in republica versatum [5]. Wielandus interpretabatur hominem mente captum ac delirum, Romae eo tempore omnibus notum.

Galbam Horatianum, ab Interpretibus Iureconsultis adscribi solitum, ex illo ordine, non suo, exturbandum esse censemus. Recenset Horatius moechorum incommoda Libr. I. Sat. 2. v. 37. sqq.:

---

[1] Suetonius in Vita Augusti c. 54., Dio Cassius Libr. LIV. c. 15.

De quo Seneca Libr. V. Controv. Praef. p. 280. Edit. 1649.

[3] Lect. Venus. p. 33. sqq. Edit. sec.

[4] In Jahnii Edit. sec. Horatii p. 253.

[5] Cicero pro Domo c. 47., Livius Epit. Libr. LIX., Plinius Nat. Hist. Libr. VII. c. 44. Sect. 45.

Audire est operae pretium procedere recte
Qui moechos non voltis, ut omni parte laborent;
Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque haec rara, cadat dura inter saepe pericla.
Hic se praecipitem tecto dedit: ille flagellis
Ad mortem caesus: fugiens hic decidit aerem
Praedonum in turbam: dedit hic pro corpore nummos:
Hunc perminxerunt calones, quin etiam illud
Accidit, ut cuidam testis caudamque salacem
Demeterent ferro: Iure omnes. Galba negabat.

Hunc Galbam Scholiastae Iureperitum faciunt. Servium vocant Porphyrion et Scholiastes Cruq. Quis autem Iureperitus inter Galbas? Fuit Servius Sulpicius Galba, Cs. a. 610, divinus homo in dicendo, sed rudis in iure civili [1]; fuit eius filius C. Galba, quem Cicero recenset inter oratores [2], nepos Servius, qui sub C. Iulio Caesare in Gallia militavit, post conspiravit cum Bruto Cassioque [3], nulla vero iuris scientia inclaruit. Fuit huius filius, avus Galbae Imperatoris, deformi corpore sed eloquentia clarus [4], qui vero locum non habuit inter claros Iureconsultos.

---

[1] Cicero de Orat. Libr. I. c. 10., 13. et 56., in Bruto c. 21., 22. 23., 24. et 26., Velleius Libr. II. c. 9., Suetonius in Vita Galbae c. 3.

[2] In Bruto c. 26., 33. et 34., cf. de Orat. Libr. I. c. 56.

[3] Caesar de Bello Gallico Libr. III. c. 1., 3., 5. et 6., (cf. Dio Cassius Libr. XXXIX. c. 5.,) Hirtius ibid. Libr. VIII. c. 50. (idem fortasse atque Sulpicius de quo Caesar de Bello Civili Libr. I. c. 74., Hirtius de Bello Africano c. 10.,) Cicero ad Diversos Libr. VI. Epist. 18., (cf. Valerius Max. Libr. VI. c. 2. n. 11.,) Philipp. XIII. c. 16. Epistola huius Galbae legitur inter Ciceronis ad Diversos Libr. X. 30., (cf. Libr. XI. Epist. 18.) Suetonius in Vita Galbae c. 3. diversa de Galba tradit atque Hirtius l. l. Post a. 711. nulla amplius Galbae fit mentio.

[4] Macrobius Saturn. Libr. II. c. 4. et 6.

Interpretes fere Servium illum, legatum Iulii Caesaris, intelligunt. Torrentius melius fecit. Hic Galbam quendam, maritum indulgentem, huc vocavit, de quo Plutarchus in Erotico c. 16.: «Πολλοὶ — ἀφροδισίων ἑτέροις ἐκοινώνησαν, οὐ μόνον ἑταίρας, ἀλλὰ καὶ γαμετὰς προαγωγεύοντες· ὥςπερ καὶ ὁ Ρωμαῖος ἐκεῖνος — Κάλβας εἰστία Μαικήναν, ὡς ἔοικεν, εἶτα ὁρῶν διαπληκτιζόμενον ἀπὸ νευμάτων πρὸς τὸ γύναιον, ἀπέκλινεν ἡσυχῇ τὴν κεφαλὴν, ὡς δὴ καθεύδων. Ἐν τούτῳ δὲ τῶν οἰκετῶν τινος προςρυέντος ἔξωθεν τῇ τραπέζῃ καὶ τὸν οἶνον ὑφαιρουμένου, διαβλέψας· Κακόδαιμον, εἶπεν, οὐκ οἶσθα, ὅτι μόνῳ Μαικήνᾳ καθεύδω [1]; τοῦτο μὲν οὖν ἴσως οὐ δεινόν ἐστιν· ἦν γὰρ ὁ Κάλβας γελωτοποιός.» Talis profecto maritus abhorrebat a suppliciis moechorum, negabat iure factum esse, si quis ab adultero deprenso exegisset poenas illas, quas Horatius commemoravit. Torrentii sententiam, cum diu Interpretes latuisset, repetiit nuper novisque argumentis ornavit Cl. Weichertus [2]. Galba Plutarchi idem profecto fuit, de quo Iuvenalis Sat. V. v. 3. sq.:

> Si potes illa pati, quae nec Sarmentus iniquas
> Caesaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset,

commendatus a Martiale ob urbanitatem et dicacitatem [3], cuius quaedam ridicule et facete dicta servavit

---

[1] Servavit Festus Libr. XII. e Lucilio proverbium: «*Non omnibus dormio*,» natum a Cipio quodam, qui *Pararrhenchon* vocatus fuerat, quod simularet se dormire, quo impunitius uxor eius moecharetur. Cf. Cicero ad Diversos Libr. VII. Epist. 24.

[2] Lect. Venus. p. 15. sqq. Edit. sec.

[3] Libr. I. Epigr. 42. v. 16., Libr. X. Epigr. 101.

Quintilianus [1], a quo Aulus Galba vocatur. Hic itaque Aulus Galba scurra, parasitus Caesaris Augusti, locum obtineat nimium diu a fictitio Servio Galba Iureconsulto occupatum.

---

[1] Instit. Orat. Libr. VI. c. 3. § 62., 64., 66., 80. et 90.

CAPUT QUARTUM.

GRAMMATICI, RHETORES, CRITICI.

§ 1.

Ex Grammaticae professoribus, qui Horatii tempore artem suam Romae profitebantur, unum commemorat Orbilium, olim praeceptorem suum, Libr. II. Epist. I. v. 70. sq. Sed de Orbilio infra videbimus, quum de Horatii patre praeceptoribusque agemus; hoc loco brevem VALERII CATONIS mentionem facturi sumus.

Sunt octo versus Satirae 10. Libri I. praefigi soliti, qui tamen a plerisque codicibus editionibusque veteribus absunt:

> Lucili, quam sis mendosus, teste Catone
> Defensore tuo pervincam, qui male factos
> Emendare parat versus; hoc lenius ille
> Quo melior vir adest, longe subtilior illo,
> Qui multum puer et loris et funibus udis
> Exhortatus [1], ut esset opem qui ferre poëtis
> Antiquis posset contra fastidia nostra,
> Grammaticorum equitum doctissimus.

[1] Rutgersius, Lect. Ven. c. 20. p. 354. sq., confert locum Senecae Suas. VII. p. 45. Ed. Schotti 1649. In vs. 5. pro *puer et* legit *nuper*.

Catonem, vs. 1., primus G. Fabricius [1] Valerium Catonem est interpretatus, nobilem Grammaticum, de quo Suetonius in libello de illustr. Grammat. c. 11. Recte vero observavit Orellius, Catonem, qui Sullanis temporibus patrimonio fuerat exutus, etiamsi vixerit ad extremam senectutem, vix tamen superstitem fuisse cum Horatius componeret Satiram allatam, narrationem quoque de Catonis nova Lucilii editione sumptam esse ex loco Suetonii de illustr. Gramm. c. 2.: «Crates Mallotes — nostris exemplo fuit ad imitandum. Hactenus tamen imitati, ut carmina parum adhuc divulgata vel defunctorum amicorum vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent, — ut Laelius Archelaus Vectiusque Philocomus Lucilii Satiras, familiaris sui; quas legisse apud Archelaum Pompeius Laenas, apud Philocomum Valerius Cato praedicat,» ut adeo Catoni ab auctore octo versuum illorum tributum esset, quod re vera fuisset Archelai et Philocomi.

Versus autem allatos Cruquius, Lambinus, Torrentius, alii Horatio abiudicarunt, vindicavit contra Heindorfius, ita tamen ut fragmentum potius esse censeret, post mortem poëtae repertum, quam initium Satirae cui praefiguntur, vindicarunt quoque Doeringius, Frankius, qui eos inserendos esse censuit post vs. 51., et Reisigius, qui post 71 [2]. Grammaticorum equitum doctissimum illum, de quo vs. 8., Ascensius [3] suspicabatur Maecenatem esse, Heusdius nuper Hora-

[1] Teste Gesnero. Omissi sunt in Edit. Fabricii a. 1555.

[2] In Horatii Sat. Editione Heindorfiana, quam curavit Wuestemannus p. 252.

[3] In Edit. a. 1544., teste Gesnero.

tium se ipsum designasse opinatus est [1]. Hic quoque verba: «quo melior vir adest,» vs. 4., ad Catonem referri solita, Lucilium spectare censuit [2], de quo Horatius Libr. II. Sat. 1. v. 29. ad Trebatium: «nostrum melioris utroque »

§ 2.

Rhetores, qui ab Horatio commemorantur, sunt Heliodorus, Moschus et Timagenes. Cum Timagene componemus Iarbitam, eius imitatorem, quamvis incertum sit, utrum quoque rhetoricam exercuerit.

HELIODORI brevis fit mentio in descriptione itineris Brundisini, quod fecit Horatius, una cum illo, in comitatu Maecenatis, Libr. I. Sat. 5. vs. 1. sqq.:

> Egressum magna me accepit Aricia Roma
> Hospitio modico: rhetor comes Heliodorus,
> Graecorum longe doctissimus.

Nempe Horatius, ut recte observavit Wielandus, comitem suum honorifica mentione in sua narratione fraudare non poterat. Heliodorus autem prorsus ignoratur, nisi is sit, qui a Mario Victorino [3] antistes artis metricae inter Graecos vocatur. Vivebat fortasse in domo Maecenatis, ut Albutius in domo Planci, Timagenes, de quo infra, in domo Pollionis.

Nec MOSCHUS notior est, de quo Horatius ad Torquatum Libr. I. Epist. 5. vs. 8. sq.:

---

[1] Studia critica in C. Lucilium, p. 122. sqq.

[2] L. l. p. 140.

[3] Putsch. p. 2541. Laudatur ab Hephaestione in Enchiridio c. 1. p. 16. Ed. Gaisford. a Longino in Proleg. ad Heph. p. 138. et 141. et in scholiis ad eundem p. 183. ibid.

Mitte levis spes, et certamina divitiarum,
Et Moschi caussam.

ubi annotat Porphyrion Scholiastes: «*Hic Pergamenus, rhetor notissimus, reus veneficii fuit, cuius causam ex primis tunc oratores egerunt Torquatus hic, de quo nunc poëta dicit, et Asinius Pollio,*» eademque Cruquianus [1] et Acron, hic tamen omissa Pollionis mentione.

Timagenis contra memoria a multis scriptoribus servata est [2]. Erat Alexandrinus, teste Suida [3], captus a Gabinio, Romam vectns emtusque fuit a Fausto, Sullae filio. Rhetoricam Romae docuit sub Pompeio, Caesare et Augusto. Impotentia linguae schola excidit, degitqne in agro Tusculano. Mortuns in Albano est cum vomere vellet post coenam, suffocatus, (pinna fortasse, qua vomitionem evocare volebat). Seneca pater [4] tradit, Timagenem ex captivo cocum, ex coco lecticarinm, ex lecticario ad amicitiam Caesaris usque felicem fuisse, dicacitate vero cum Caesaris gratia excidisset, combussisse suam Historiam rerum ab illo gestarum, quasi ipse illi ingenio suo interdiceret. Fusius Seneca philosophus Libr. de Ira III. c. 23.: «Saepe (Timagenem) Caesar monuit ut moderatius lingua uteretur, perseveranti domo sua interdixit. Postea Timagcnes in contnbernio Asinii Pollionis consenuit. — Historias postea, quas scripserat, recitavit et combussit et libros Acta Caesaris Augusti continentes in

[1] In Auctar. Comm. vet. p. 692.
[2] Weichertus Poët. Lat. Rel. p. 393. sqq.
[3] In vocibus Τιμαγένης et σφηνωθείς.
[4] Controv. 34. Libr. V. p. 319. Ed. 1649.

ignem posuit. — (Caesar) numquam cum hospite inimici sui questus est; hoc dumtaxat Asinio Pollioni dixit: «θηριοτροφεῖς.» Paranti deinde excusationem obstitit, «et fruere,» inquit, «mi Pollio, fruere!» Et quum Pollio diceret: «si iubes, Caesar, statim illi domo mea interdicam,» «hoc me,» inquit, «putas facturum, quum ego vos in gratiam reduxerim?» Fuerat enim aliquando Timageni Pollio iratus, nec ullam aliam habuerat causam desinendi, quam quod Caesar coepcrat.» Sunt qui Timagenem Rhetorem diversum esse censeant ab Historico [1]. Quae vero de utriusque maledicentia ac petulantia referuntur, recte in unum Timagenem conveniunt [2]. Commemorat Horatius Timagenem Libr. I. Epist. 19. v. 15. sqq.:

> Rupit Iarbitam Timagenis aemula lingua;
> Dum studet urbanus, tenditque disertus haberi.
> Decipit exemplar vitiis imitabile.

De Iarbita scholia sunt melioris notae, reliquiae sine dubio veteris illius Helenii Acronis libri de personis Horatianis. Annotat Acron.: «*Hyarbita Maurus fuit regione, qui dum Timagenem philosophum* [3], *post convivium et inter pocula declamantem, vellet imitari et non posset, invidia quodammodo discerptus est.*» Emen-

---

[1] Suidam in voce secuti. De Timagene cf. Bonamius in *Mém. de l'Ac. d. Inscr.* T. XIII. p. 36. sqq., Cl. Thorbeckius de C. Asinio Pollione p. 101. sq., Welchertus Poët. Lat. Rel. p. 393. sqq. Habet praeterea Suidas Timagenem Milesium, Plutarchus, in libro de Flum., c. 3. de Arari, Timagenem Syrum.

Cf. Seneca Epist. XCI. § 13., Plutarchus de Adul. et Amici discr. c. 27.

[2] Reddere vult, ut puto, Graecum σοφιςήν. De Timagene est apud Suidam in voce: ἰσοφίςευσε. Est autem σοφιςής, Rhetor, qualis Gorgias, qualis Prodicus fuit.

datius Cruquianus: «*Iarbita Maurus fuit natione, qui dum Timagenem philosophum, post convivium et inter pocula declamantem, vellet imitari nec posset, invidia quodammodo ruptus est.*» Porphyrion: «*Hic Hyarbita Maurus fuit, qui dum Timagenem imitatur, post convivium et intra pocula declamantem, propter insolentiam faciendi quod conabatur, paene disruptus est. Timagenes enim multos conabatur adhibere et coenae et declamationi suae, dumque ab his multum laudatur in admirationem sui, provocasse Hyarbitam dicitur, qui se et stomachum abrupit,* [l. *disrupit*] *dum Timagenem et dicendo et pascendo amicos conatur aequare* [1].» Auctius scholion Cruquius in Auctario exhibuit p. 694.: «— *hic Iarbita Maurus regione fuit Cordus, qui dum Timagenem imitatur cet.*» et Fea ex Cod. Chis.: «*Hic barbita* [2] *maurus fuit cordus quidam timagenem imitatus.*» Fuit igitur infelix ille Timagenis imitator, qui morte subita conatum luisse videtur, natione Maurus, nomine Cordus. Utrum Iarbitae nomen revera habuerit, an vero Horatius nomen illud, deductum ab Iarbae regis [3] nomine, ei imposuerit, incertum est. Coniecit Weichertus [4] Codrum genus suum deducere voluisse ab illo rege antiquo, (quemadmodum Ennius, ut supra vidimus [5], a rege Messapo), eaque de causa Hora-

[1] Weichertus Poët. Lat. Rel. p. 398. observat scholion ex duobus esse conflatum. Posterius, inde a: *Timagenes enim*, lectionem refert: *aemula coena*, quam vs. 15. pro: *aemula lingua*, Cruquius et Torrentius in MSS. invenerunt.

[2] Cruq. ex Cod. Busl. *Barbuta.*

[3] Virgilius Aeneid. Libr. IV. v. 36. et 196., Ovidius Fast. Libr. III. v. 552., Silius Italicus Libr. I. v. 417., Iustinus Libr. XVIII. c. 6.

[4] Poët. Lat. Rel. p. 399.

[5] Pag. 55.

tium id illi nomen per iocum affinxisse. Prodit autem apud Virgilium Codrus, malus poëta, in Ecl. V. v. 10. sq.:

MENALCAS. Incipe, Mopse, prior: si quos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri,

ubi perperam Scholiastae Servius et Cruquianus [1] cogitant de Codro Atheniensium rege, et in Ecl. VII. v. 21. sqq.:

CORYDON. Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite; proxima Phoebi
Versibus ille facit: aut, si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.
THYRSIS. Pastores, edera crescentem ornate poëtam,
Arcades, invidia rumpantur ut illa Codro:

Pseudo-Servius vero ad vs. 22. annotavit: «*Codrus poëta eiusdem temporis fuit, ut Valgius in Elegis suis refert.*» Notatur quoque Codrus a Iuvenale Sat. I. v. 1. sq. [2]:

Semper ego auditor tantum? numquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theseide Codri?

qui vero Codrus Iuvenalis potius aequalis, quam Virgilii fuisse videtur, quapropter Iuvenalem nomen eius, a Virgilio desumptum, poëtae cuidam aequali, recitandi studioso, ambitioso et clamoso dedisse, opinatus est Weichertus; Virgilii autem Codrum, nomine mutato, esse Cordum illum, quem Horatius Iarbitae nomine designarit, eiusque aemulationem cum Tima-

[1] Servius ad l. l. et Schol. Cruq. ad Horatii Libr. III. Carm. 19. v. 2.

[2] Cf. Sat. III. v. 203. sqq. et Martialis Libr. II. Ep. 57., Libr. III. Ep. 15., Libr. V. Ep. 25. et 26.

gene in Ecl. V. v. 11., mortem vero in Ecl. VII. v. 26. a Virgilio significatam fuisse. Weicherti sententiam, sed frustra, ut mihi videtur, impugnavit Schwenckius [1], negans Codrum poëtam a Virgilio irrideri, *Iurgia* autem *Codri*, Ecl. V. v. 11., nomen carminis esse statuens, quod inter alia Mopso canendum proponit Menalcas.

§ 3.

Critici tres apud Horatium prodeunt, in Arte Poëtica, ita dicta, Aristarchus, Quintilius et Maecius Tarpa. Veterum autem criticorum munus, non adeo ut eorum, qui nunc sunt, in eo positum erat, ut in veterum libris vera a falsis supposititiisque discernerent, sed potius versabatur in scriptorum virtutibus vitiisque diiudicandis [2]. Hanc itaque facultatem suis criticis Horatius attribuit. Ita dicit de viro bono, et prudenti carminis censuram suscepturo, l. l. v. 450.:

Fiet ARISTARCHUS,

hic enim obelo suo notabat et expungebat versus Homeri, quos poëtae splendore indignos esse censebat. «Aristarchus,» ait Cicero, «Homeri versum negat, quem non probat [3].» Legebatur quidem olim apud Senecam Epist. LXXXVIII. § 33.: «Aristarchi notas, quibus aliena carmina compunxit,» hodie vero

---

[1] In *Rhein. Museum f. Philol., Neue Folge*, 1. *Jahrg.* 3. *H.* p. 469. sqq.

[2] Cf. Horatius Libr. II. Epist. 1. v. 50. sq.:

Ennius et sapiens, et fortis, et alter Homerus,
Ut critici dicunt.

[3] Ad Diversos Libr. III. Epist. 11.

post Fickerti diligentissimam codicum collationem: «Aristarchi ineptias, quibus aliena carmina coniunxit.» Dictum Aristarchi servavit Porphyrion ad Libr. II. Epist. 1. v. 257: «*cum* (*Aristarchus*) *multa reprehenderet in Homero, aiebat, neque se posse scribere quemadmodum vellet, neque velle quemadmodum posset.*»

QUINTILIUM iam mortuum fuisse, cum Horatius Artem Poëticam componeret, satis apparet e vs. 438. sqq.:

> Quintilio si quid recitares, Corrige sodes
> Hoc, aiebat, et hoc. melius te posse negares,
> Bis terque expertum frustra? delere iubebat,
> Et male tornatos [1] incudi reddere versus.

Hieronymus mortem eius refert ad Ol. CLXXXIX. 1. i. e. ad a. 730. s. 731. Varr.: «Quintilius Cremonensis, Virgilii et Horatii familiaris, moritur.» Varum vocant Scholiastae omnes, poëtam Acron et Cruquianus. Huius autem mortem Carm. 24. Libr. I. ita deflet Horatius, uti virum fuisse appareat moribus integerrimis et sanctissimis. Vs. 5. sqq.:

> Ergo Quintilium perpetuus sopor
> Urguet? cui Pudor, et Iustitiae soror
> Incorrupta Fides, nudaque Veritas
> Quando ullum inveniet parem?
>
> Multis ille bonis flebilis occidit;
> Nulli flebilior quam tibi, Virgili, cet.

Ex hoc ultimo versu fluxit scholion Acronis: «*Quidam autem fratrem Virgilii hunc volunt esse*,» ut recte ostendit Massonus [2]. Eiusmodi quoque fuit error eorum, qui putarunt in Daphnide Virgilii in Eclogа V. Quin-

---

[1] Bentleius: *ter natos.*

[2] In Vita Horatii p. 222.

tilium significari, teste Servio ad v. 20.: «*Alii dicunt Quintilium Varum* [1] *significari, cognatum Vergilii, de quo etiam Horatius I. Od.* 24.» Ecloga enim V. ante a. 713 [2] scripta iam fuit, Quintilius autem a. demum 730. s. 731. est mortuus.

Varus, cui Horatius Libr. I. Carm. 18. inscripsit:

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem [3],

sitne Quintilius Varus, de quo modo vidimus, incertum est. Appellatur Quintilius Varus ab Acrone, a Schol. Cruquiano et in MSS. aliquot apud Vanderburgium. Est autem ad vs. 1. Acronis annotatio, digna memoratu: «*vere novo*) *ut Virg. Optima vinetis salio* [l. *satio*] *cum vere iubenti* [Sic. Vulgo: *vere rubenti*] *Candida venit avis longis invisa colubris* [4],» et Scholiastes Cruq.: «*Nullam Vare sacra vite*) — *suadet, ubi competens tempus est, ut nullam arborem, prius quam vitem ponat,*» unde Cl. Peerlkampius collegit, utrumque, in suo codice, pro: *Vare*, legisse: *vere*, et ita, salva sententia legi posse, vel locus ab Acrone laudatus satis ostendit. Codices autem, quos nunc habemus, omnes lectionem *Vare* exhibent.

Hunc Varum Iahnius haud diversum putabat nec ab illo Quintilio Varo in Libr. I. Carm. 24. et in Arte Poëtica, nec ab altero Varo, ad quem Canidia in Epod. V. v. 73. sqq.:

---

[1] In Edit. Henricop. Bas. 1575. Veneta vero a. 1491. cognomen *Vari* omittit.

[2] Vid. Heynius in Vita Virgilii ad. a. 712.

[3] Alcaei imitatio, cuius versum servavit Athenaeus Libr. X. c. 8. p. 430. C. Edit. Casaub. 1657.

[4] Locus est in Georg. Libr. II. v. 310. sq.

Non usitatis, Vare, potionibus
(O multa fleturum caput!)
Ad me recurres:

cuius partes, in Canidia deprecanda, sive potius irridenda, in Epod. XVII., Mitscherlichius, vel invitis Scholiastis, Horatio ipsi tribuit. Iahnio adstipulatus est Weichertus [1], ita tamen ut praenomen Publii a Iahnio, praeeunte Fea, Quintilio Varo affictum, omni fide destitutum esse osteudat [2]. Sed in optimis Vanderburgii codicibus Varus hicce vocatur *Alfius Varus*, itaque potius prorsus diversus ab illo altero est habendus.

Torrentius in Carm. 18. Libr. I. cogitabat P. Quintilium Varum, qui cum tribus legionibus in Germania periit a. 763, ab Arminio circumventus [3]. Eidem inscriptam esse putabat Virgilii Eclogam VI., Pseudo-Servium secutus, quam vero in honorem Q. Attii Vari composuit Virgilius [4]. Eundem denique interpretabatur in Catulli Carm. X. v. 1.:

Varus me meus ad suos amores
Visum duxerat e foro otiosum:

ubi hodie, post Ach. Statium *Varius* legitur et L. Varium amicum illum Virgilii et Horatii cogitant Viri Docti. Repugnant enim temporum rationes, quum Catullus, teste Hieronymo, natus iam fuerit Ol.

---

[1] De Vario et Cassio p. 135.

[2] L. l. p. 133.

[3] Strabo Libr. VII. p. 291., Velleius Libr. II. c. 117. sqq., Seneca Epist. XLVII. § 8., Suetonius in Vita Augusti c. 23., Florus Libr. IV. c. 12. § 30. sqq., Dio Cassius Libr. LVI. c. 18. sqq., Orosius Libr. VI. c. 21.

[4] Vid. supra p. 118.

CLXXIII. 2., i. e. 667. s. 668. Varr., quominus Catulli Varus ille sit, qui periit a. demum 763. Obstant quoque eaedem rationes, quominus ducem illum in Horatii Libr. I. Carm. 18. cogitemus et tamen dubitat Vanderburgius, utrum illud potius Publio Quintilio Varo, an Quintilio Varo, Virgilii Horatiique amico inscriptum fuisse statuat. Probabilius Massonus [1] cogitavit de Lucio Varo, Epicureo, Caesaris amico, cuius memoriam unus Quintilianus, uno in loco, servavit Instit. Orat. Libr. VI. c. 3. § 78. «Cum (Cassius Severus) obiurgaretur a praetore, quod advocati eius L. Varo Epicureo, Caesaris amico, convicium fecissent, cet.» Altero enim in loco Libr. X. c. 3. § 8. «Virgilium quoque paucissimos die composuisse versus, auctor est Varus,» non ille Varus Epicureus significatur, quod putabant Ianius [2] et Doeringius, sed pro *Varus* legendum est *Varius*, ut Spaldingius [3] censuit, cogitandumque de L. Vario, de quo modo vidimus. Putabat Wernsdorfius [4] L. Varum condiscipulum illum Virgilii fuisse, de quo Servius ad Ecl. VI. v. 13.: «*Vult autem referre Epicuream sectam, quam Virgilius Varusque a Syrone* [5] *didicerant quem sub persona Sileni inducit* [6].» Hic vero Q. Attius Varus est [7], cuius institutionis mentio quoque fit apud Donatum in Vita Virgilii c. 19. § 79.

[1] In Vita Horatii p. 222.

[2] In Proleg. ad Horat. p. CXI.

[3] Vid. in Indice ad Quintilianum.

[4] Poët. Lat. Min. T. IV. P. 1. p. 4.

[5] De Syrone Cicero ad Diversos Libr. VI. Epist. 11., de Finibus Libr. II. c. 35.

[6] Edit. Veneta a. 1491.

[7] De quo pag. 118.

et apud Phocam Grammaticum in Vita Virgilii v. 65., quibus in locis pro Varii feliciter Vari nomen restituit Weichertus [1]. Fuit denique Lucius Varus a Cassio, Caesaris percussore, Rhodo praefectus [2], ceteroquin ignotus. Inter hunc igitur L. Varum, ducem Cassianum, eius cognominem Epicureum, Caesaris amicum et Quintilium Varum Cremonensem diiudicandum erit, nisi ipso nomine *Vare* e loco suo disturbato, *vere* legendum esse censeamus.

Quintilius Varus, Cremonensis, poëta vocatur ab Acrone et a Scholiasta Cruq. Poëmatum vero, quae scripsit, nullum superest. Adscriptum olim illi fuit poëma de Aetna [3], cuius ab aliis Cornelius Severus auctor habebatur. Sed illud Lucilio Iuniori, Senecae amico, vindicavit Wernsdorfius [4], cuius sententiam secutus est Fr. Iacobus in sua Carminis de Aetna editione [5].

Spurius Maecius Tarpa duobus in locis ab Horatio commemoratur. In Libr. I. Sat. 10. v. 37. sqq.:

> haec ego ludo
> Quae neque in Aede sonent, certantia iudice Tarpa,
> Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris,

et in Arte Poëtica v. 386. sqq.:

> Si quid tamen olim
> Scripseris, in Maeci descendat iudicis auris,
> Et patris et nostras.

---

[1] De Vario et Cassio p. 26. sqq.

[2] Appianus de Bello Civili Libr. IV. c. 74.

[3] Vid. J. C. Scaliger Poët. Libr. VI. c. 7. p. 786. Ed. 1617.

[4] L. l. T. IV. P. 1. p. 11.

[5] Aliam de eius auctore sententiam exhibet Ruhkopfius in argumento Senecae Libri de Providentia, aliam in Praef. ad Epistolas p. XIV.

Ad priorem locum Porphyrion et Scholiastes Cruquianus *Metium Tarpam* vocant, ad alterum Cruquianus *Spurium Metium Tarpam*. Est autem Ciceronis Epistola ad Marium quendam[1], de dedicatione theatri Pompeiani: «nobis ea erant patienda, quae scilicet Sp. Maecius probavisset.» Quaeritur Maecius Horatianus, idemne sit atque ille Ciceronis. Negat Bentleius [2] propterea, quod Ciceronis Epistola scripta sit annos prius quadraginta quam Horatii Ars Poëtica. Haec enim, ex Bentleii rationibus, composita fuit post annum aetatis Horatii LI., quem refert ad a. 739. Varr., (qui vero referendus erat ad a. 740. [3],) Ciceronis autem Epistola scripta a. 699. Itaque Maecium verum vivumque hoc loco accipi non debere statuit, sed figurate alium quemvis iudicem legitimum peritumque, qualis Maecius vivus fuisset. Sed recte Reenenius [4] ostendit, Artem Poëticam fuisse scriptam ante a. 735., quo mortuus est Virgilius, hic enim cum Vario vs. 53. sqq. inter vivos commemoratur, tum quoque, propter vs. 438. sqq., post obitum Quintilii a. 730. Iam, si hoc statuimus triginta tantummodo anni intercedunt inter Ciceronis Epistolam et Artem Poëticam Horatii, pauciores etiam inter

---

[1] Ad Diversos Libr. VII. Epist. 1.

[2] Ad Art. Poët. v. 387.

[3] Siquidem Carmen Saeculare, scriptum a. 737. refert ad annum aetatis Horatii XLIX. «Bentleius Horatium uno anno maiorem, quam vere fuit, nobis exhibuit,» recte observavit Kirchnerus Quaest. Horat. p. 14. Idem ante Kirchnerum fecerat Gesnerus, in sua Horatii Editione, ad Bentleii Praefationem et Tatius in Proleg. ad Horat. p. LXXVIII., hic ita, ut Bentleium certa quadam ratione in eo egisse, evincere studeret.

[4] Disput. de Epist. ad Pisones p. 58.

Epistolam laudatam et Satiram Libr. I. 10., quam, etsi in anno eius natali constituendo dissentiant Interpretes, nemo tamen post a. 724. collocavit [1]; itaque Iahnius [2], nulla de causa, Satiram laudatam post mortem demum Maecii compositam putabat, quin Maecius vel post Artem Poëticam scriptam, adhnc inter vivos versari potuit. Cicero non sine aliqua contemtionis significatione Maecii meminit et ita facit Horatius in Satira Libr. I. v. 10. Cum vero uterque snbmorosus, Cicero propter statum reipublicae, Horatius propter calumnias obtrectatorum suorum, ita scripserit, nihil eo Maecii existimationi detractum esse puto, quem ipse quoque Horatius postea a facultate critica commendavit. In dedicatione theatri Pompeiani Sp. Maecius probaverat Attii *Clytaemnestram* et Livii Andronici *Equum Troianum*, uti discimus ex Cicerone [3]. Munus illud iudicandi publicum ne fuerit an privatum, dissentiunt Interpretes. Cura ludorum scenicorum pertinebat ad aediles curules [4]. De Maecii autem aedilitate nusquam apparet. Fuit ergo Maecio vel ab ipso Pompeio, vel ab aedilibus dramatum agendorum indicium demandatum. Fuit eidem, Horatii tempore, arbitrium permissum poëticorum certaminum seu commissionnm, qnarum saepius mentio fit apud Suetonium [5].

---

[1] Vid. supra p. 97. n. 2.

[2] In Horatii Edit. sec. p. 260.

[3] Cicero l. l.

[4] Livius Libr. XXIV. c. 43., cf. Cicero in Verrem Libr. V. c. 14., de Legibus Libr. III. c. 3.

[5] In Vita Augusti c. 89., Claudii c. 41., Caligulae c. 53., cf. Macrobius Saturn. Libr. II. c. 7.

Restat ut inquiramus, quanam in aede sederit Tarpa iudex. Massonus domum privatam cogitat [1], qualem literarum fautores poëtis ad recitandum commodare solebant [2]. Sed loquitur Horatius de aede non de aedibus. *Aedes* autem, singulari numero, pro *domo* accipi non potest [3]. Loci, qui fere in contrariam sententiam laudantur, aut spurii sunt, aut corrupti, aut de aede sacra interpretandi. Ita apud Horatium, Libr. I. Carm. 30. v. 4., Glycerae aedem Scholiastae recte sacellum faciunt. Apud Iuvenalem Sat. III. v. 31. *aedem conducere* de eo dicitur, qui sacram aedem exstruendam vel instaurandam conducit. In loco Curtii Libr. VIII. c. 6. § 3. et 13. tum Freinshemius, tum Snakenburgius, uterque in Indice, pro *aedis* reponunt *sedis*, quod tamen necesse non esse censeo, siquidem *aedes* ibi *cubiculum* significare potest, ut apud Plautum Cas. Act. III. Sc. 5. v. 31.: «*per omnes domi aedis.*» In eiusdem Asin. Act. I. Sc. 3. v. 67: «*aedis nobis area est,*» levissima emendatio est *aedes*, eademque ratio est omnium ceterorum locorum, ut adeo in Horatiano non nisi de aede sacra sit cogitandum. Bentleius quoque aedem sacram interpretabatur, sed alterutrum cogitabat, aut templum Apollinis Palatini, aut aedem Herculis Musarum, oblitus terminorum, quos Libro I. Satirarum constituerat. Templum enim Apollinis conditum est, cum Horatius ageret a. XXXVII., aedem Musa-

[1] In Vita Horatii p. 163.

[2] Seneca Suas. VI. p. 39. Ed. Schotti, Iuvenalis Sat. I. v. 12., Sat. VII. v. 40., Plinius Libr. VIII. Epist. 12.

[3] Vid. Bentleius ad Horatii Libr. II. Epist. 2. v. 92., Ruhnkenius ad Velleii Libr. II. c. 11.

rum [1] cum a. XLVII., Librum autem primum Satirarum ex ipsius Bentleii rationibus composuit ab a. XXV. ad a. XXVII. Equidem semper putavi Horatium tum in Libr. I. Sat. 10. v. 38., tum in Libr. II. Epist. 2. v. 92.:

> aspice primum
> Quanto cum fastu, quanto molimine circum-
> Spectemus vacuam Romanis vatibus aedem,

universe loqui de quavis aede sacra. Templa, aedificiaque iis addita, omni tempore variis usibus destinata fuerunt. Ita Numa habitabat in atrio Vestae [2]; habebatur senatus in aede Apollinis, Bellonae [3], aliis; dabantur epula funebria in templis [4]; bibliotheca ab Asinio Pollione in atrio Libertatis publicata est [5]; unde, ni fallor, recte coniicere licet, poëtis quoque ad recitandum, aut ipsas sacras aedes, aut aedificia iis adiecta vacasse, neque unam tantummodo aedem, Augusti demum tempore exstructam, huic usui destinatam fuisse.

---

[1] Exstructa a Philippo, Caesaris Augusti vitrico. Diversa ab illa Fulvii Nobilioris, quamvis contrarium tradit Eumenius in Orat. pro instaur. Scholis c. 7. p. 135. Ed. Arntz. Vid. Weichertus in Exc. 2. ad Libr. I. Caesaris Augusti Reliquiarum.

[2] Dio Cassius fragm. Peiresc. 20., Tacitus Annal. Libr. XV. c. 41., Servius ad Virgilii Aeneid. Libr. VII. v. 153.

[3] Livius Libr. XXXI. c. 47., Libr. XXXIII. c. 22. et 24., Libr. XLIII. c. 36., Suetonius in Vita Augusti c. 35., Festus Libr. XVII. in voce *Senaculum*.

[4] Cicero Orat. in Vatinium c. 12. et 13.

[5] Ovidius Trist. Libr. III. Eleg. 1. v. 69. sq.

CAPUT QUINTUM.

MEDICI.

Medicos, quamvis Horatii temporibus servili plerumque vel libertina fuerint conditione, recensebimus tamen inter viros ingenio spectandos. Duo autem sunt, quos commemorat Horatius, Craterus et Antonius Musa.

ANTONIUS MUSA, Caesaris Augusti libertus, hunc iecinore laborantem, contraria medendi ratione, cum priores medici calidis illud fomentis curavissent, frigidis plane restituit [1]. Aureo annulo propterea, statua magnaque pecunia donatus fuit [2]. Iam uti fere:

Regis ad exemplar totus componitur orbis,

[1] Suetonius in Vita Augusti c. 81., Dio Cassius Libr. LIII. c. 30. Antonii Musae rationem medendi cogitasse videtur Seneca Libr. I. de Clementia c. 9. § 4., ubi Livia ad Augustum: «Fac, quod medici solent, qui, ubi usitata remedia non procedunt, tentant contraria.»

[2] Suetonius l. l. c. 59., Dio Cassius l. l., Zonaras Annal. Libr. X. c. 38. Poëmation ad Antonium Musam inter Catalecta Virgilii XIII. (in Burmanni Anthol. Lat. Libr. II. 124. Vol. I. p. 303.,) perperam Virgilio adscriptum fuit.

ita repente balnea calida in contemtum abiere, Baiae amoenae desertae sunt. Queritur Horatius [1]:

> mihi Baias
> Musa supervacuas Antonius: et tamen illis
> Me facit invisum, gelida cum perluor unda
> Per medium frigus.

Est scholion Cruquianum melioris notae ad hunc locum, quod sic se habet: «*Antonius Musa aegritudine Augusti artem suam illustravit: nam cum dolore arthritico laboraret, et ad summam maciem perductus esset, curante Amilio* [2] *medico, qui eum adeo calidis curabat, ut tectum cubiculi eius velleribus muniret: hic postea in contrarium versis omnibus, non solum perfusionibus frigidis, scd etiam gargarismis Cicerninae aquae, quae est Atellae* [3]*, in domo Caesaris, et potionibus usus est, ita ut intra breve tempus eum curaret: ob quam causam ab Augusto usque ad sestertium quadringenties ex senatus consulto accepit.*» Eadem autem Musae curatio, quae bene successerat in Augusto, Marcellum exitio dedit [4], Baiisque mox vetus honos rediit, sive potius vetus infamia [5].

Alter est CRATERUS, cuius effatum, ut oraculi, proponitur Libr. II. Sat. 3. v. 161. sq.:

---

[1] Libr. I. Epist. 15. v. 2. sqq.

[2] Leg. *Aemilio*. Ex Schol. Cruq. corrigendus est Plinii locus Nat. Hist. Libr. XIX. c. 8. Sect. 38.: «Divus certe Augustus lactuca conservatus in aegritudine fertur prudentia Musae medici, quum prioris Camelii religio nimia eam negaret,» ubi pro *Camelii* nomine inaudito, *Aemilii* est substituendum.

[3] Campaniae urbe.

[4] Dio Cassius l. l. Cf. tamen Propertius Libr. III. Eleg. 16. v. 9.

[5] Seneca Epist. LI.

Non est cardiacus, Craterum dixisse putato,
Hic aeger.

De eodem Cicero ad Atticum [1], a. 709., cum Atticam, Attici filiam curaret Craterus. Persius eius nomine utitur, ut universe medicum egregium significet, Sat. III. v. 65.:

Et quid opus, Cratero magnos promittere montes?

Mirum est nullam Crateri mentionem a Plinio esse factam. Fit autem a Porphyrio Tyrio in Libr. I. de Abstinentia, ut ostendit Victorius [2].

---

[1] Libr. XIII. Epist. 13. et 14.
[2] Var. Lect. Libr. IX. c. 12.

CAPUT SEXTUM.

REGES, BELLI DUCES, VIRI PRIMARII.

PARS PRIOR.

Graeci, Barbari.

§ 1.

De regibus ducibusque, qui in Carminibus Horatianis celebrantur, ita acturi sumus, ut praemittamus Graecos, Barbarosque, paucos numero et obiter tantum memoratos, post transeamus ad Romanos. Missis autem iis, quorum aetas ad tempora mythica pertinet, antiquissimus e Graecis prodit CODRUS [1]:

> Quantum distat ab Inacho
> Codrus, pro patria non timidus mori,
> Narras, cet.

Nota historia Codri est [2], et saepius quaestio agitata fuit de Inachi aetate, cum in ea constituenda valde

[1] Libr. III. Carm. 19. v. 1. sqq.

[2] Cicero de Finibus Libr. V. c. 22., Tuscul. Quaest. Libr. I. c. 48., de Nat. Deor. Libr. III. c. 19., Velleius Libr. I. c. 2., Valerius Max. Libr. V. c. 6. ext. n. 1., Iustinus Libr. II. c. 6., Pausanias Libr. VIII. c. 25. p. 588. Ed. Kuhnii.

dissentirent chronologi, Sosibius, Eratosthenes, Timaeus, alii [1].

Sequitur PHALANTHUS, Laco, is, qui Parthenia-rum coloniam, tempore belli Messeniaci, in Italiam duxit, ibique Tarentum condidit [2].

Regnata petam Laconi
Rura Phalantho,

Horatius inquit [3], cum sibi ager Tarentinus prae ceteris regionibus placeret [4].

Nominatur ALYATTES, Lydorum rex, Croesi pater [5]. Paucis contentus haec profitetur Horatius [6]:

Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,

Quam si Mygdoniis regnum Alyattei [7]
Campis continuem. multa petentibus
Desunt multa. bene est, cui Deus obtulit
Parca quod satis est manu.

Ipse CROESUS memoratur, eiusque domicilium Sardes [8]:

Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos?
Et concinna Samos? quid Croesi regia Sardis?

---

[1] Censorinus de Die Natali c. 21.

[2] Strabo Libr. VI. p. 278. Edit. 1620., Pausanias Libr. X. c. 10. p. 822. sq. Edit. Kuhnii, Iustinus Libr. III. c. 4.

[3] Libr. II. Carm. 6. v. 11. sq.

[4] Libr. II. Sat. 4. v. 34., Libr. I. Epist. 7. v. 45., Epist. 16. v. 11.

[5] Herodotus Libr. I. c. 16. sqq., c. 25. sqq.

[6] Libr. III. Carm. 16. v. 39. sqq.

[7] De hac Genitivi forma cf. Bentleius.

[8] Libr. I. Epist. 11. v. 1. sq.

Cyrus quoque, regni Persarum conditor, cuius fines ultra Bactrianam extendit [1]:

regnata Cyro
Bactra [2],

Haec autem, ut omnino maior pars imperii Cyri, Horatii temporibus Parthis secesserant. Hac de causa

Redditum Cyri solio Phraaten

fuisse legimus [3]. Sed de Phraate, Parthorum rege eiusque fratre Pacoro, de Monaese, Parthico imperatore deque Teridate, qui regnum Phraatis occupare conatus est, infra fusius disputabimus.

Fit quoque mentio Achaemenis, a quo tum Cyrus, tum Darius Hystaspis originem duxerunt [4], Libr. II. Carm. 12. v. 21.:

Num tu, quae tenuit dives Achaemenes
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
Permutare velis crine Licymniae?

Dives dicitur Achaemenes propter ubertatem et fertilitatem Asiae universae potius, quam propter suae ipsius regionis, nedum proprias divitias [5]. Costum Achaemenium [6] nardumque [7] pro Syriaco dicit Ho-

---

[1] Herodotus Libr. I. c. 153., Libr. III. c. 92., Xenophon Cyrop. Libr. I. c. 1., Ctesias Pers. c. 8., Strabo Libr. XI. p. 517.

[2] Libr. III. Carm. 29. v. 27. sq.

[3] Libr. II. Carm. 2. v. 17.

[4] Herodotus Libr. I. c. 209., Libr. VII. c. 11., Plato in Alcibiade Libr. I. p. 120. E.

[5] Herodotus Libr. IX. c. 121., Plato de Legibus Libr. III. p. 695. A, Arrianus de Expedit. Alexandri Libr. V. c. 4.

[6] Libr. III. Carm. 1. v. 44.

[7] Epod. XIII. v. 8. sq.

ratius. Utrumque enim, tum praecipue ex India, tum quoque ex Syria petebatur [1].

Aetatis ratione habita, Siculi tyranni inter Cyrum et Philippum, de quo proxime, sunt collocandi. Dicit Horatius [2]:

> Invidus alterius macrescit rebus opimis:
> Invidia Siculi non invenere tyranni
> Maius tormentum,

ubi procul dubio illi ante oculos obversatus est Phalaris cum tauro suo, notissima fama [3], etsi iam antiquitus de eo dubitatum fuit [4].

Cum Siculis tyrannis memorandus est DAMOCLES, Dionysii maioris adulator. Hunc enim cogitant Interpretes in pulcherrimo loco [5]:

> Destrictus ensis cui super impia
> Cervice pendet, non Siculae dapes
> Dulcem elaborabunt saporem;
> Non avium citharaeque cantus
> Somnum reducent.

Dubito tamen an recte huc vocatus sit. Videndum enim est, an illa *inpia cervix* et illud *Somnum reducent*

[1] Plinius Nat. Hist. Libr. XII. c. 12. Sect. 25., Dioscorides Libr. I. c. 6. et 15.

[2] Libr. I. Epist. 2. v. 57. sqq.

[3] Heraclides Ponticus Polit. c. 36., Phalaris Epist. V. et XV., cf. Bentleius in Respons. ad Boylium p. 284. sqq., Lucianus in Phalaride, ut taceam Latinos Ciceronem, Propertium, Ovidium, Valerium Max., Iuvenalem, Plinium maiorem, Iustinom.

[4] Dubitabat Timaeus, vid. Polybius Libr. XII. c. 25., quem refutarunt Polybius l. l. et Diodorus Siculus Libr. XIII. c. 90., cf. Libr. XIX. c. 108.

[5] Libr. III. Carm. 1. v. 17. De Damocle Cicero Tusc. Quaest. Libr. V. c. 21., Persius Sat. III. v. 40. sqq. Macrobius in Somn. Scip. Libr. I. c. 10.

recte cadat in Damoclem, nulla impietate notum, ad mensam accubantem, cum ensis ei super cervice penderet. Equidem cogito de ense omni tempore destricto in cervicem impiorum tyrannorum, qualis Harmodii et Aristogitonis, qualis Bruti Cassiique fuerat. Quod Damoclem hoc loco intellexerint VV. DD., id *Siculae dapes* fecerunt, quae vero tanto consensu ab omnibus laudantur [1], ut earum mentio recte fiat siue ulla Siciliae, Siculorumve tyrannorum significatione. Constat tamen, Damoclem intelligi apud Persium Sat. III. v. 39. sqq.:

> Anne magis Siculi gemuerunt aera luvenci,
> Aut magis auratis pendens laquearibus ensis
> Purpureas subter cervices terruit.

seu Persius, uti saepissime, ad imitationem Horatii, sententia loci minus recte perspecta, sive ita de suo scripserit.

Philippus Macedo tangitur Libr. III. Carm. 16. v. 13. sqq.:

> diffidit urbium
> Portas vir Macedo, et subruit aemulos
> Reges muneribus.

res enim notissima est, auro potius illius quam armis hostes fuisse superatos [2].

Notatur Alexander Magnus, quod Choerilo fa-

---

[1] Plato de Republica Libr. III. p. 404. D, Epist. VII. p. 326. B, Lucianus Dial. Mort. IX., Athenaeus Libr. I. c. 19. p. 25. F, Libr. XII. c. 3. p. 518. B, Libr. XIV. c. 23. p. 661. E.

[2] Plutarchus in Vita Aemilii Paulli c. 12., Apophth. Reg. Phil. 14., Diodorus Siculus Libr. XVI. c. 54., Cicero ad Atticum Libr. I. Epist. 16., Valerius Max. Libr. VII. c. 2. ext. n. 10., Seneca Epist. XCIV. § 63.

verit, pessimo poëtae, quem, ut supra vidimus [1], pro singulis poëmatis inculti versibus Philippo aureo remuneravit. Pergit Horatius [2]:

> idem rex ille, poëma
> Qui tam ridiculum tam care prodigus emit,
> Edicto vetuit; ne quis se praeter Apellen
> Pingeret, aut alius Lysippo duceret [3] aera
> Fortis Alexandri voltum simulantia, quod si
> Iudicium subtile videndis artibus illud
> Ad libros et ad haec Musarum dona vocares;
> Boeotum in crasso iurares aëre natum.

De decreto infra videbimus, et abundant testimonia scriptorum de Boeotorum pingui ingenio [4]. Non unicus tamen Alexandro Choerilus placuit. Homerus aliique ex optimis poëtis apud eum in pretio fuere [5], et contra humiliter satis de iudicio eius in *videndis artibus*, ut ait Horatius, pronuntiavit pictor Apelles [6].

Ex Alexandri successoribus Pyrrhus, Antiochusque recensentur cum Hannibale, acerrimi hostes nominis Romani [7], Libr. III. Carm. 6. v. 33. sqq.:

---

[1] Pag. 18.

[2] Libr. II. Epist. 1. v. 237. sqq.

[3] Bentleius: *cuderet*.

[4] Pindarus Olymp. VI. v. 152. sqq., ibique Schol., Demosthenes de Pace p. 60. Edit. Reiskii, Strabo Libr. IX. p. 401., Dionysius Halicarn. in Arte Rhet. c. 5., Athenaeus Libr. V. p. 186. F, Cicero de Fato c. 4., Cornelius Nepos in Vita Alcibiadis c. 11., in Vita Epaminondae c. 5., Plutarchus de Carnium esu Orat. I. c. 6.

[5] Strabo Libr. XIII. p. 594., Plutarchus in Vita c. 8. et 26., Cicero ad Diversos Libr. V. Epist. 12., pro Archia c. 10., Plinius Nat. Hist. Libr. VII. c. 29. Sect. 30.

[6] Plinius Nat. Hist. Libr. XXXV. c. 10. Sect. 36. § 23., Aelianus Var. Hist. Libr. II. c. 3., cf. tamen Plutarchus de Discr. Adulat. et Amici c. 15., de Tranq. Animi c. 12., et Aelianus l. l. c. 2.

[7] Cf. Cicero de Amicitia c. 8.

Non bis iuventus orta parentibus
Infecit aequor sanguine Punico;
Pyrrhumque, et ingentem cecidit
Antiochum, Hannibalemque dirum.

Est ATTALUS III. Philometor, Pergami rex, quod exiguum initio, post sub Eumene II., Romanorum contra Antiochum Magnum socio, oppidis auctum est agrisque, huic a senatu post victoriam ademtis [1]. Hinc satis magnum urbium numerum significat Horatius Bullatium rogans [2]:

An venit in votum Attalicis ex urbibus una?

Attali divitiae celebrantur Libr. I. Carm. 1. v. 11. sqq.:

Gaudentem patrios findere sarculo
Agros Attalicis conditionibus
Numquam dimoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus [3] nauta secet mare.

Fuit hic Attalus, qui populum Romanum heredem reliquit regni [4], quod tamen armis occupari debuit, cum imperium invasisset Aristonicus [5]. Hunc ARISTONICUM multi Interpretes intelligunt apud Horatium Libr. II. Carm. 18. v. 1. sqq.:

---

[1] Livius Libr. XXXVII. c. 56., Strabo Libr. XIII. p. 624., Appianus de Bello Syr. c. 38.

[2] Libr. I. Epist. 11. v. 5.

[3] Egregie Cl. Peerlkampius: *impavidus.*

[4] Livius Epit. Libr. LVIII., Strabo Libr. XIII. p. 624., Velleius Libr. II. c. 4., Valerius Max. Libr. V. c. 2. ext. n. 3., Plutarchus in Vita Tib. Gracchi c. 14., Florus Libr. II. c. 20. § 2., Libr. III. c. 12. § 7., Iustinus Libr. XXXVI. c. 4., Eutropius Libr. IV. c. 20., Orosius Libr. V. c. 8.

[5] Vid. supra p. 160. n. 3.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar:
Non trabes Hymettiae
Premunt columnas ultima recisas
Africa: neque Attali
Ignotus heres regiam occupavi: cet.

ubi alii, ducibus Scholiastis Acrone et Cruquiauo, populum Romanum tangi censent, quod iniuria heres factus esset, Rodèllius autem cogitavit de iis, qui a senatu missi fuerant, ut hereditatem illam adirent [1], Mitscherlichius de impostore, qui fraude hereditatem acquisivit, itaque opes regiae Attali, i. e. quales Attalus reliquerit, invasit. Equidem censeo, Horatium tangere homines sui temporis ignotos, recens divites factos, tanta luxuria, tanta superbia, uti domum, qualis vel Attali fuerat, occupare auderent. *Heres* hoc loco simpliciter is est, qui bona alicuius post eius mortem possidet. Ita Ovidius Metamorph. Libr. XIII. v. 129.:

Non foret ambiguus tanti certaminis heres,

ubi *heres* dicitur, qui Achillis arma post eius mortem possessurus erat, etiamsi heres non esset. Ita ipse Horatius Libr. II. Epist. 2. v. 175.:

perpetuus nulli datur usus, et heres
Heredem alterius [2], velut unda, supervenit undam,

ubi non loquitur de herede scripto, sed universe de eo, qui quamvis rem, aut prece, aut pretio, aut vi, aut sorte suprema post alterum obtineat.

Ex Alexandri successoribus ultima regnavit Cleo-

[1] Quam sententiam Vanderburgius in Excursu commendavit, Tom. I. p. 380.

[2] Bentleius: *alternis*.

PATRA, Aegypti regina, quam semel iterumque perstringit Horatius. Indignatur, quod mulier peregrina praefuerit exercitui Romano [1]:

Romanus (eheu posteri negabitis)
Emancipatus feminae
Fert vallum et arma miles, et spadonibus
Servire rugosis potest:

Mortem eius, cum plerisque suae quoque aetatis scriptoribus, aspidis morsui tribuit [2], alii vero de acu venenato cogitaverunt [3]:

quae generosius
Perire quaerens, nec muliebriter
Expavit ensem, nec latentis
Classe cita reparavit oras.

Ausa et iacentem [4] visere regiam
Voltu sereno [5], fortis et asperas
tractare serpentis, ut atrum
Corpore conbiberet venenum,

Deliberata morte ferocior:
Saevis Liburnis scilicet invidens
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

Ad stropham postremam Scholiastae ex Livii Libro

---

[1] Epod. IX. v. II. sqq. cf. Virgilius Aeneid. Libr. VIII. v. 696.

[2] Libr. I. Carm. 37. v. 21. sqq., Virgilius Aeneid. Libr. VIII. v. 697., Propertius Libr. III. Eleg. 9. v. 53., Velleius Libr. II. c. 87., Suetonius in Vita Augusti c. 17., Aelianus de Anim. Libr. IX. c. 11. et 61., Eutropius Libr. VII. c. 7., Aurelius Victor de Viris illustr. c. 86., Orosius Libr. VI. c. 19.

[3] Strabo Libr. XVII. p. 795., Plutarchus in Vita Antonii c. 86., Dio Cassius Libr. LI. c. 14.

[4] Bentleius: *tacentem*.

[5] Comma post *fortis* transposuit Cl. Peerlkampius.

deperdito referunt Cleopatrae dictum: οὐ θριαμβεύσομαι, *non triumphabor.*

Fit quoque mentio regis Cappadociae Libr. I. Epist. 6. v. 40.:

Mancipiis locuples eget aeris Cappadocum rex.

Id autem temporis regnabat ARCHELAUS, post mortem Ariobarzanis a Marco Antonio rex constitutus [1]. Regnum opibus exhaustum iam fuerat sub Ariobarzane, teste Cicerone [2], et ingens mancipiorum numerus inde exportabatur [3]. Hinc summa eorum vilitas, Cappadocesque, ut Sardi, venales proverbio celebrabantur [4]. Archelaus autem, postea, a Tiberio Romam vocatus, regnoque spoliatus fuit, quod in provinciae formam redactum est [5].

Sequitur HERODES, Iudaeae rex, tum Antonio, tum Augusto gratus acceptusque [6]. Laudantur eius palmeta [7]:

alter fratrum cessare, et ludere, et ungui
Praeferat Herodis palmetis pinguibus;

---

[1] Strabo Libr. XII. p. 540., ubi quoque ingenium servile Cappadocum describit, Dio Cassius Libr. XLIX. c. 32.

[2] Cicero ad Atticum Libr. VI. Epist. 1. et 3.

[3] Strabo Libr. XIV. p. 668. sq., ubi de Cilicia Aspera agit, quae pertinet ad Cappadociam, vid. id. ibid. p. 671. et Libr. XII. p. 535.

[4] Cicero post reditum in Senatu c. 6., Persius Sat. VI. v. 76. sq., Martialis Libr. X. Epig. 76. v. 3., Demodocus in Epigr. III. Brunck. Anal. T. II. p. 56.

[5] Strabo Libr. XII. p. 534., Tacitus Annal. Libr. II. c. 42., Suetonius in Vita Tiberii c. 37. Appianum minus recte, de Bello Mithrid. c. 105., id ad Augustum referre iam vidit Lipsius ad Taciti l. l.

[6] Tacitus Histor. Libr. V. c. 9.

[7] Libr. II. Epist. 2. v. 184. sq.

nobilissimae enim Iudaeae palmae inter omnes eo tempore fuerunt [1].

Ex subditis Herodis unum arripit Horatius, quem in exemplum hominis superstitiosi credulique proponat. Apellam vocat [2], quod nomen Scholiastae ridicule ita interpretantur, ut significet hominem *sine pelle*, recutitum, cum vero nomen minime finxit Horatius sed alibi quoque invenitur [3]. Iudaei id temporis totum imperium Romanum implebant, suasque caerimonias omnibus modis vel invitis incolis obtrudebant [4].

Phraatis, regis Parthorum crudelissimi, saepius mentionem facit Horatius. Rex ille constitutus fuerat a patre Orode, post mortem fratris Pacori, de quo infra videbimus, mox vero ipsum patrem fratresque omnes, numero triginta, occidit [5], adeoque in subditos saevire coepit, uti tandem ab iis regno privatus et in exilium eiectus fuerit [6]. Successit in eius locum Tiridates quidam, qui vero, audito adventu Phraatis, Scytharum auxilio imperium repetentis, e regno profugit, seque ad Caesarem Octavianum, id temporis

---

[1] Virgilius Georg. Libr. III. v. 12., Strabo Libr. XVI. p. 763., Iosephus Antiq. Iud. Libr. XIV. c. 4., Libr. XV. c. 4., de Bello Iud. Libr. I. c. 6., Plinius Nat. Hist. Libr. V. c. 14. Sect. 15., Libr. XIII. c. 4. Sect. 6. et 9., Tacitus Histor. Libr. V. c. 6.

[2] Libr. I. Sat. 5. v. 100.

[3] Cicero ad Diversos Libr. VII. Epist. 25., Libr. X. Epist. 17.

[4] Cicero pro Flacco c. 28., Horatius Libr. I. Sat. 4. v. 142. sq., ibid Sat. 9. v. 68. sqq. Ita quoque seriores vid. Seneca Epist. XCV. § 47., Persius Sat. V. v. 184., Iuvenalis Sat. XIV. v. 96. sqq.

[5] Plutarchus in Vita Crassi c. 33., Dio Cassius Libr. XLIX. c. 23., Iustinus Libr. XLII. c. 5.

[6] Iustinus l. l.

in Syria versantem contulit a. 724 [1]. Hoc respicit Horatius Libr. II. Carm. 2. v. 17. sqq.:

> Redditum Cyri solio Phraaten,
> Dissidens plebi, numero beatorum
> Eximit virtus;

idemque cogitasse videtur Libr. I. Carm. 34. v. 14. sqq.:

> hinc apicem rapax
> Fortuna cum stridore acuto
> Sustulit, hic posuisse gaudet,

apex enim Parthorum regum insigne, ut recte observavit Buttmannus [2]. Refert eodem Frankius [3] Libr. III. Carm. 8. v. 19. sq.:

> Medus infestus sibi luctuosis [4]
> Dissidet armis

idemque Carm. 29. v. 27. sq.:

> Quid — regnata Cyro
> Bactra parent, Tanaisque discors,

quamvis utrumque ante a. 729. scriptum non fuisse contendit. Scilicet in eo deceptus fuerat Frankius, quod Phraatis restitutionem in regnum in illum annum collocaverat, non vero in a. 724., fidem habens Iustino, qui ita scribit Libr. XLII. c. 5.: «(Tiridates,) audito adventu Scytharum, cum magna amicorum manu ad Caesarem, in Hispaniam bellum tunc temporis gerentem profugit,» quum contra rectius

---

[1] Dio Cassius Libr. LI. 18., Iustinus l. l., de quo loco mox videbimus.

[2] *Mythologus* T. I. p. 321. sq.

[3] Fast. Horat. p. 160. et 197.

[4] Recepit Bentleius Nic. Heinsii coniecturam: «*Medus infestis sibi luctuosus.*»

Dio Libr. LI. c. 18. tradit, Tiridaten a. 724. in Syriam ad Caesarem profugisse, ab eoque veniam impetrasse, ut in Syria remaneret, id quod recte ostendit Lachmannus [1]. Nec necesse est, utrumvis locum Horatianum ita interpretari, ut de Parthorum inter se dissensionibus cogitemus. Recte Tanais, a. 729. uti semper, discors a Romanis dici potuit, Medusque, iisdem infestus, dissedisse, abstinuisse armis sibi luctuosis.

Phraates autem, confirmatus in regno, legatos ad Augustum misit a. 731., qui servum suum Tiridaten filiumque, quem hic secum abstulerat Augustoque tradiderat, reposcerent [2]. Tiridates, hoc audito, Romam venit, ut ipse causam suam diceret. Actum ea de re in senatu est, Phraatique filius suus, non vero Tiridates, remissus fuit. Scripsit eo tempore de se Horatius Libr. I. Carm. 26. v. 5. sq.:

> Quid Tiridaten terreat, unice
> Securus.

Phraates denique a. 734., metuens ne bellum sibi Caesar Augustus inferret, signa illi militaria ex Crassiana et Antoniana clade recepta, sponte sua remisit. Hoc significat Horatius Libr. I. Epist. 12. v. 27 sq.:

> Ius imperiumque Phraates
> Caesaris accepit genibus minor.

quo tempore Armeniam quoque subiectam tradit a Tiberio Nerone v. 25. sq.:

---

[1] Apud Frankium l. l. p. 239.

[2] Dio Cassius Libr. LIII. c. 33., Iustinus l. l.

Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit,

quod, quale fuerit, infra significabimus. Bentleius autem pro: *Phraates*, vs. 27., legendum censebat: *Tigranes*, Armeniae regem cogitans, quem Tiberius in regnum collocavit.

Ex Italiae regibus solus PORSENA occurrit, in Epodo XVI. v. 1. sqq.:

Altera iam teritur bellis civilibus aetas;
Suis et ipsa Roma viribus ruit.
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusca Porsenae manus.

Afros HANNIBALEM HASDRUBALEMque ita Horatius memoravit, ut civium suorum odium in illos, tum etiam metum verissimo expresserit. Hinc Hannibali saepius crudelitas obiecta perfidiaque [1]. Hinc illae Neronis Scipionumque laudes, qui impetum eorum represserant; CLAUDII NERONIS Libr. IV. Carm. 4. v. 37. sqq.:

Quid debeas, o Roma, Neronibus [2],
Testis Metaurum flumen, et Hasdrubal
Devictus, et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,

Qui primus alma risit adorea;
Dirus per urbis Afer ut Italas,
Ceu flamma per taedas, vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.

---

[1] Epod. XVI. v. 8., Libr. II. Carm. 12. v. 2., Libr. III. Carm. 6. v. 36., Libr. IV. Carm. 4. v. 49.

[2] De Claudiorum meritis vid. Suetonius in Vita Claudii c. 1., de Claudio Neroue, Hasdrubalis victore, Livius Libr. XXVII. c. 43. sqq., Valerius Max. Libr. IV. c. 1. n. 9., Libr. VII. c. 2. n. 6., c. 4. n. 4.

Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit, et impio
Vastata Poenorum tumultu
Fana Deos habuere rectos.

Dixitque tandem perfidus Hannibal:
Cervi, luporum praeda rapacium,
Sectamur ultro, quos opimus
Fallere et effugere est triumphus. cet.

Ita quoque Scipiones celebravit Horatius, de quorum laudibus infra videbimus.

Sequitur IUGURTHA, Numidiae rex, impius ille sceleratusque, qualem vividis coloribus depinxit Sallustius. De hoc Libr. II. Carm. 1. v. 25. sqq.:

Iuno, et Deorum quisquis amicior
Afris, Iunlta cesserat impotens
Tellure, victorum nepotes
Rettullt inferias Iugurthae:

Illam Iunonis scelestissimi Iugurthae tutelam cum mirarentur Scholiastae Acron et Cruquianus, ut se expedirent, sub Iugurtha Hannibalem quoque omnesque Afros intelligi edixerunt. Totam stropham Cl. Peerlkampius Horatio abiudicavit.

Celebratur iure suo MARIUS propter victoriam de Iugurtha. Ut efferat Caesarem Octavianum, Antonii et Cleopatrae victorem, ita de illo Horatius Epod. IX. v. 22. sqq.:

Io Triumphe; nec Iugurthino parem
Bello reportasti ducem.

Est Acronis et Scholiastae Cruquiani annotatio ad Libr. I. Sat. 6. v. 39., Iugurtham de Tarpeio monte deiectum fuisse, quod unde didicerint equidem nescio.

Historiae scriptores Livius [1], Plutarchus [2], Eutropius [3], Orosius [4], aut fame periisse in carcere aut strangulatum fuisse narrant.

Iuba praeterea memoratur, sive potius Iubae regnum Mauritania [5],

ieonum
Arida nutrix.

Significatur autem Iuba, filius maioris Iubae, qui cum Petreio perierat. Fuit ille studiorum claritate nobilior quam regno, ut ait Plinius [6].

Superest unus e barbaris Cotison [7], Dacorum rex, qui memoratur in Carmine 8. Libri III. Iubetur Maecenas vs. 17. mittere curas civiles super urbe, scilicet, quod

Occidit Daci Cotisonis agmen.

Getarum rex idem vocatur a Suetonio [8], nempe Getae Dacique saepius inter se confusi sunt [9], rectius tamen distinguuntur [10]. Daci incursionibus suis saepius fines Romanorum vastaverant, quare valde

[1] Epit. Libr. LXVII.

[2] In Vita Marii c. 12.

[3] Libr. IV. c. 27.

[4] Libr. V. c. 15.

[5] Libr. I. Carm. 22. v. 15. sq. Cf. Lucanus Pharsal. Libr. IX. v. 867. sqq.

[6] Nat. Hist. Libr. V. c. 1. Sect. 5. Ceterum de Iuba Strabo Libr. VI. p. 288., Plutarchus in Vita Caesaris c. 55., in Vita Antonii c. 87., Appianus de Bello Civili Libr. II. c. 101., Dio Cassius Libr. LI. c. 15., cl. Libr. LIII. c. 26.

[7] Baxterus: «Vernacula nostra: *God his Son.*»

[8] In Vita Augusti c. 63.

[9] Plinius Nat. Hist. Libr. IV. c. 12. Sect. 25., Appianus Rom. Hist. Praef. c. 4., Iustinus Libr. XXXII. c. 6.

[10] Strabo Libr. VII. p. 304., Dio Cassius Libr. LI. c. 22.

timebantur [1]. Antonio contra Caesarem Octavianum operam suam polliciti, parum tamen auxilio fuerunt [2], post a M. Crasso a. 724. [3], iterumque a Lentulo [4], incertum quo anno, repressi. Nam quod annum 734. Lentuli victoriae assignaverint Interpretes, id de suo finxerunt, uti recte observavit Frankius [5], qui simul ostendit, hoc loco cogitandum esse de Crassi victoria, etsi omnes Interpretes aliter statuissent.

---

[1] Horatius Libr. II. Serm. 6. v. 53., Virgilius Georg. Libr. II. v. 497. Cf. de Getis Appianus de Bello Civili Libr. III. c. 25.

[2] Plutarchus in Vita Antonii c. 63., Dio Cassius Libr. LI. c. 22., alter Dacos, alter Getas nominat. Cf. Horatius Libr. III. Carm. 6. v. 13. sqq.

[3] Dio Cassius Libr. LI. c. 23. et 25., Fast. Capit. ad a. DCCXXVI. Cf. Livius Epit. Libr. CXXXIV., Suetonius in Vita Augusti c. 21., Zonaras Annal. Libr. X. c. 32.

[4] Florus Libr. IV. c. 12. § 18.

[5] Fast. Horat. p. 155. et 158. sqq.

PARS ALTERA.

Romani.

§ 2.

Pervenimus ad locum difficillimum, de viris primariis inter Romanos. Quem si feliciter tractavero, iam omnes meae scriptionis difficultates mihi superasse videbor. Tot enim sunt viri egregii, tot facta praeclara, quae commemorat celebratque Horatius, tot tantaeque quaestiones de iis ab Interpretibus moventur, ut vix sciam, quomodo breviter et tamen lucide de omnibus sim relaturus, nedum inter varias VV. DD. sententias diiudicaturus. In recensendo ordinem chronologicum servabimus, ita tamen ut, si quos Horatius coniunxit, quamvis aetate diversos, nos quoque eos composituri simus.

Reges Romani omnes in Carminibus Horatii occurrunt, quamvis ambigitur de Tarquinio Prisco, ut infra videbimus. ROMULUM Horatius, ut poëtae solebant, celebravit. Est Mavortis Iliaeque puer [1];

> **Quid foret Iliae**
> **Mavortisque puer, si taciturnitas**
> **Obstaret meritis invida Romuli?**

ILIA autem Troïa sacerdos. Ita enim Iuno [2]:

---

[1] Libr. IV. Carm. 8. v. 22. sqq.

[2] Libr. III. Carm. 3. v. 31. sqq.

invisum nepotem,
Troia quem peperit sacerdos,
Marti redonabo.

Tiberi nupsisse traditur, hinc ille Caesaris mortem ulcisci cupiens, undas in urbem effundit [1]:

Iliae dum se niminm querenti
Iactat uitorem, vagus et sinistra
Labitur ripa, Iove non probante, u-
xorius amnis.

Ovidius Iliam Anienis fluvii uxorem factam esse tradit [2]. Acron vero et Scholiastes Cruquianus narrant, illam sepultam fuisse ad ripam Anienis, cum vero cineres eius aquis fluvii delati essent in Tiberim, dictam fuisse Tiberi nupsisse. Ennius, teste Porphyrione, (quem quoque descripsit Scholiastes Cruquianus,) et Servius, ad Virgilii Aeneid. Libr. I. v. 273., Amulii iussu in Tiberim esse praecipitatam. Plures etiam sententiae fuerunt de Iliae fato [3]. Horatium secutus est Claudianus [4]. Iliae nomen, ut nobilissimae feminae, usurpatur Libr. I. Sat. 2. v. 125. sq.:

Haec
Ilia et Egeria est: do nomen quodlibet illi.

Idem fit Libr. III. Carm. 9. v. 5. sqq., ubi Lydia, amica Horatii, queritur:

Donec non aliam magis
Arsisti; neque erat Lydia post Chloën;
Multi Lydia nominis
Romana vigui clarior Ilia.

---

[1] Libr. I. Carm. 2. v. 17. sqq.
[2] Amor. Libr. III. Eleg. 6. v. 45. sqq., cf. Fast. Libr. II. v. 596.
[3] Dionys. Hailearn. Antiq. Rom. Libr. I. c. 79.
[4] In Probini et Olybrii Cons. v. 225.

Ad parricidium Romuli, poëtice, belli civilis calamitates refert Horatius [1]:

Sic est: acerba fata Romanos agunt,
Sceiusque fraternae necis;
Ut inmerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

Remi mors, uti notum est, diverse a scriptoribus relata fuit [2]. Pietatem vero erga Deos et temperantiam Romuli laudat, ubi suis aequalibus luxuriem insanam obiicit Horatius [3]:

non ita Romuli
Praescriptum et intonsi Catonis
Auspiciis, veterumque norma.

Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum: nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton:

Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumtu iubentes, et Deorum
Templa novo decorare saxo.

Habuit procul dubio Romuli casam, id temporis adhuc superstitem, ante oculos poëta [4], tum simul, ut

[1] Epod. VII. v. 17. sqq.

[2] Livius Libr. I. c. 7., Dionys. Halic. Antiq. Rom. Libr. I. c. 87., Aurelius Victor de Orig. Gentis Rom. c. 23.

[3] Libr. II. Carm. 15. v. 15. sqq.

[4] In monte Palatino. De ea Dionysius Halic. Antiq. Rom. Libr. I. c. 76., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 43., Libr. LIII. c. 16., Libr. LIV. c. 29., Plutarchus in Vita Romuli c. 20. Cf. Ovidius Fast. Libr. I. v. 199., Libr. III. v. 183. sq., Virgilius Aeneid. Libr. VIII. v. 654., Valerius Max. Libr. IV. c. 4. n. 11. Casam Romuli diversam in Capitolio memorant Seneca Controv. Libr. II. 9. p. 119. Edit.

nonnullis visum est, Augustum laudavit, qui templa vetustate collapsa aut incendio absumta refecit, tum nova quoque statuit [1]; quod, quantopere probaverit Horatius, indicio est indignatio, quam prodit Libr. II. Sat. 2. v. 103., ubi ita homines divites sui temporis compellat:

quare
Tempia ruunt antiqua Deum? cur, inprobe, carae
Non aliquid patriae tanto emetiris acervo?

Romulus denique, nomine QUIRINI [2], in numerum Deorum receptus fuit. Libr. II. Epist. 1. v. 5. sq.:

Romulus et Liber pater, et cum Castore Pollux,
Post ingentia fata Deorum in templa recepti,

Ita Libr. III. Carm. 3. v. 15. sq.:

Qoirinus
Martis equis Acheronta fugit.

In coelo continuam sui populi curam habet, quare Romani Romula gens [3] populusque Quirini [4] vocantur, Horatio autem unice consulit favetque [5]:

Atqui ego cum Graecos facerem, natus mare citra,
Versiculos, vetuit tali me voce Quirinus
Post mediam noctem visus, cum somnia vera: cet.

Schotti, Vitruvius Libr. II. c. 1., Macrobius Saturn. Libr. I. c. 15., vid. Lipsius ad Senecae Consol. ad Helviam c. 9.

[1] Livius Libr. IV. c. 20., Velleius Libr. II. c. 99., Suetonius in Vita Augusti c. 29. et 30., Dio Cassius Libr. LIII. c. 2., Libr. LIV. c. 19.

[2] Livius Libr. I. c. 16., Dionysios Halic. Antiq. Rom. Libr. II. c. 63., Plutarchus in Vita Romuli c. 28., in Vita Numae c. 2., Aurelius Victor de Viris illustr. c. 2.

[3] Libr. IV. Carm. 5. v. 1. sq.

[4] Libr. I. Carm. 2. v. 46.

[5] Libr. I. Sat. 10. v. 31. sqq.

Memoratur tamen in terris sepulcrum Romuli Epod. XVI. v. 11. sqq.:

> Barbarus heu cineres insistet victor, et urbem
> Eques sonante verberabit ungula:
> Quaeque carent ventis et solibus ossa Quirini
> (Nefas videre) dissipabit insolens,

ubi haec Porphyrionis annotatio est, quam descripsit Scholiastes Cruquianus: «*Varro post Rostra* [Cruq.: *pro Rostris*] *fuisse sepulcrum Romuli dicit,*» addit Cruq.: «*ubi etiam in huius rei memoriam duos leones fuisse erectos constat, unde factum est, ut pro Rostris mortui laudarentur,*» quo referendus locus Festi Libr. IX.: «Niger lapis in Comitio locum funestum significat, ut alii, Romuli morti destinatum, sed non usu obv[*enit, ut ibi sepeliretur, sed Fau*]stulum nutri[*cium eius ibi sepultum fuisse et Quin*]tilium avum Ti... cet.,» et Dionysii [1], qui narrat leonem lapideum in foro prope rostra fuisse positum, in loco ubi Faustulus sepultus esset. Res autem obscura, necdum satis ab antiquitatis peritis illustrata.

Sequitur NUMA POMPILIUS, cuius regnum quietum [2] Horatius merito celebravit Libr. I. Carm. 12. v. 33. sq.:

> Romulum post hos prius, an quietum
> Pompili regnum memorem.

Meminit Saliorum, quos instituerat Numa, eorumque carmina in exemplum vetustatis et obscuritatis proponit [3]:

---

[1] Antiq. Rom. Libr. I. c. 87.

[2] Livius Libr. I. c. 21., Dionysius Halic. Antiq. Rom. Libr. II. c. 76., Plutarchus in Vita Numae c. 20.

[3] Libr. II. Epist. I. v. 86. sqq.

Iam Saliare Numae carmen qui laudat, et illud
Quod mecum ignorat, solus volt scire videri;
Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.

Unus omnino nobis notus est C. Aelius, qui horum carminum interpretationem suscepit, nec tamen expedire potuit [1]. Salios saepius memorat eorumque saltus, ancilia epulasque Horatius:

Neu morem in Salium sit requies pedum [2],

pede candido
In morem Salium ter quatient humum [3].

Indignatur, quod miles Crassi, captus a Parthis, vitam agere potuerit turpis maritus coniugis barbarae,

Anciliorum et nominis et togae
Oblitus, aeternaeque Vestae,
Incolumi Iove et urbe Roma [4].

Epulas denique Saliares, quae in proverbium apud veteres abiverant [5], laudat Horatius Libr. I. Carm. 37. v. 2. sqq.:

nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus.

Significatur quoque Numa Libr. I. Carm. 2. v. 13. sq. Tiberis dicitur voluisse,

---

[1] Varro de Lingua Latina Libr. VI. p. 80. Edit. Bip.

[2] Libr. I. Carm. 36. v. 12.

[3] Libr. IV. Carm. 1. v. 27. sq.

[4] Libr. III. Carm. 5. v. 10. sqq. De Genitivo *Anciliorum* vid. Macrobius Saturn. Libr. I. c. 4.

[5] Cicero ad Atticum Libr. V. Epist. 9., Festus Libr. XVII. in voce.

retortis
Litore Etrusco violenter undis,
Ire dejectum monumenta Regis,
Templaque Vestae:

ubi vox *templa* non est urgenda; aedes enim Vestae erat, templum non erat, uti docet Varro [1]. Hanc autem Numa condiderat, inque eius atrio domicilium habebat [2].

Egeria nympha, quam fere uxorem Numae fuisse statuunt scriptores [3], pro muliere nobilissima laudatur Libr. I. Sat. 2. v. 125. sq.:

Haec
Ilia et Egeria est: do nomen quodlibet illi,

de quo loco supra iam vidimus, eum de Ilia ageremus [4].

Componitur Numa cum nepote suo Anco Martio [5], quarto Romanorum rege Libr. I. Epist. 6. v. 25. sqq., ubi de ambitioso Horatius:

---

[1] Apud Gellium Libr. XIV. c. 7. Cf. Varro de Lingua Latina Libr. VI. p. 82. Edit. Bip., Servius ad Virg. Aeneid. Libr. VII. v. 153., apud quem pro: *conveniebant*, legendum esse: *conveniebat*, Cl. Peerlkampius docuit in Bibl. Crit. nova Vol. I. p. 119.

[2] Ovidius Fast. Libr. VI. v. 263. sq., Trist. Libr. III. Eleg. I. v. 29. sq., Dionysius Halic. Antiq. Rom. Libr. II. c. 64. sqq., Plutarchus in Vita Numae c. 14., Dio Cassius fragm. Peiresc. 20., Solinus c. I. p. 2. E. Edit. Salm. Aurelius Victor de Viris illustr. c. 3. Cf. Horatius Libr. I. Sat. 9. v. 1. et 35., Servius ad Virg. Aen. Libr. VIII. v. 363. Cf. id. ad Libr. IX. v. 4.

[3] Livius Libr. I. c. 21., Ovidius Metamorph. Libr. XV. v. 482. et 487., Fast. Libr. III. v. 262., Plutarchus in Vita Numae c. 4., Aurelius Victor l. l.

[4] Pag. 231.

[5] Livius Libr. I. c. 32., Seneca Epist. CVIII. § 30., Plutarchus in Vita Numae c. 21., Aurelius Victor. l. l. c. 5.

cum bene notum
Porticus Agrippae et via te conspexerit Appi;
Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus,

quam eandem fere sententiam exprimit Libr. IV. Carm. 7. v. 14. sqq.:

Nos ubi decidimus,
Quo pater [1] Aeneas, quo Tullus, dives et Ancus,
Pulvis et umbra sumus.

Uterque locus in memoriam revocat Ennii versum [2]:

Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit.

Tullus Hostilius, tertius Romanorum rex, non alibi occurrit in Horatii carminibus. Est autem dubitatio, utrum *dives* iungendum sit cum *Tullus*, an cum *Ancus*, prorsus eiusmodi, qualem supra [3] in locis Libr. I. Sat. 5. v. 27. sq., Sat. 10. v. 27. sqq. et v. 82. sq. significavimus.

Alii enim Tulli divitias extollunt, cuius quidem patrimonium satis amplum fuisse videtur [4]; alii, rectius, Ancum inter reges priores opibus praestitisse contendunt, qui certe rempublicam vectigalibus auxit, colonia maritimis commeatibus opportuna, navibus, moenibusque ornavit [5], populo magnam salis copiam

---

[1] Ita Bentleius pro: *pius*, quod tamen praestare videtur, vid. Vanderburgius in Edit. Horatii T. II. p. 384.

[2] In Libr. III. Ann. p. 106. Edit. Columnae. Servavit versum Festus in voce *Sos*, Libr. XVII. Legitur idem versus apud Lucretium Libr. III. v. 1038.

[3] Pag. 172.

[4] Dionysius Halic. Antiq. Rom. Libr. III. c. 1., cf. Livius Libr. I. c. 31.

[5] Livius Libr. I. c. 33., Plinius Nat. Hist. Libr. XXXI. c. 7. Sect. 41., Florus Libr. I. c. 8., Aurelius Victor l. l. c. 5.

in congiario dedit et salinas primus instruxit, adeoque apud aequales, et ita quoque in posterum divitiis celebratus fuisse potest. Est vero altera sententia Torrentii, a Vanderburgii comprobata, qui ex MSS. legendum esse censuerunt: «*dives Tullus et Ancus*,» ut uterque eorum dives fuisse dicatur, quam eandem lectionem exhibet quoque Porphyrion in scholio ad l. l. Tum denique tertia sententia est eorum, qui Tullo et Anco utrique divitias abiudicant. Ita Bentleius legere volebat: «*Tullus, pauper et Ancus*,» ut habet Claudianus de Bello Gildonico vs. 108. sq.:

> Ipsa nocet moles, utinam remeare liceret
> Ad veteres fines, et moenia *pauperis* Anci,

quocum Bentleius locum confert Iuvenalis Sat. V. v. 56. sq.:

> Flos Asiae ante ipsum, pretio maiore paratus,
> Quam fuit et Tulli census pugnacis, et Anci.

Atqui dives qui fuerat regum temporibus, is pauper fuisset Iuvenalis aetate, neque Claudianum aliud quidquam respicere credo praeter exiguitatem imperii Anci, id est urbis ipsius Romae, quam primus ille circumdedit muro, prae finibus illis latissime extentis quos Aurelianus constituerat, quum urbem denuo muniret. Withofius [1], propter eiusdem Claudiani locum, vocem *dives* apud Horatium abiecit, legitque: «*quo Tullus abivit et Ancus*,» quod comprobavit quoque Cl. Peerlkampius [2], locum conferens Phaedri Libr. IV. Fab. 19. v. 16.:

[1] *Krit. Anmerk. über Horaz*, T. II. p. 17.

[2] Bibl. Crit. nova Vol. I. p. 122.

Abiturus illuc, quo priores abierunt.

Mihi vero, quod pace Cl. Viri dixerim, nihil mutandum esse videtur. Dives Ancus esse potuit, potuit Tullus, prae aequalibus quidem suis. Divitiarum illarum fama servari potuit, vel in sermone quotidiano, ad Horatii tempora usque. Vocem autem *dives*, si quid iudico, ex Horatiana scribendi ratione, potius cum *Ancus*, quam cum *Tullus*, censeo esse coniungendam.

Tarquinii Prisci utrum mentio fiat necne, mox videbimus; fit Servii Tullii, servili genere nati, Libr. I. Sat. 6. v. 7. sqq., ubi ita Horatius ad Maecenatem:

Cum referre uegas, quali sit quisque parente
Natus, dum ingenuus: persuades hoc tibi vere,
Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum [1],
Multos saepe viros nullis maioribus ortos
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos:
Contra Laevinum, Valeri genus [2], unde superbus
Tarquinius regno pulsus fugit, unius assis
Non umquam pretio pluris licuisse, notante
Iudice, quo nosti, populo: qui stultus honores
Saepe dat indignis, et famae servit ineptus;
Qui stupet in titulis et imaginibus: quid oportet
Vos [3] facere, a volgo longe longeque remotos?
Namque esto: populus Laevino mallet bonorem
Quam Decio mandare novo: Censorque moveret
Appius: ingenuo si non essem patre natus:
Vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem.
Sed fulgente trahit constrictos gloria curru
Non minus ignotos generosis.

[1] Cf. Libr. I. Sat. 3. v. 107. sqq.

[2] Annotat Porphyrion: «*periphrasim — necessario facit, sicut Lucilius cum dicit: Valeri sententia dia. Quia, scilicet, nomen quatuor brevium syllabarum est, eo non potest in hexametrum versum recipi.*» Cf. Lucretius Libr. III. v. 372., Lambinus ad Horat. Libr. III. Carm. 5. v. 13.

[3] Ita Bentleius pro vulg. *Nos.*

Quo in loco vs. 20. pro: *Namque esto*, legendum esse: *Iamque esto*, egregia emendatio est, quam mecum communicavit Cl. Peerlkampius. Totum locum descripsi, ne, argumentationis parte praetermissa, omnis eius vis et gratia interirent. Servium autem regem serva fuisse natum, historici ad unum omnes affirmant, quamvis fuerint, qui dubitarent [1]. Mater tamen eius, nobilis femina, olim uxor fuerat principis in urbe Corniculi viri, urbe capta a Tarquinio Prisco, gravida viro occiso, Romam serva deducta fuit, ibique partum edidit [2], quin fuerint, qui Servium Vulcano natum fuisse perhibcrent [3]. Fuit quoque diversa Servii Tullii historia, ex Annalibus Etruriae petita, servata in Oratione Claudii Imperatoris de civitate Galliae incolis danda [4], de qua vero hoc loco dicere nihil attinet.

Appius ille, censor severus, quem memorat Horatius, sitne Appius Claudius Caecus, censor a. 442., an Appius Claudius Pulcher, censor cum L. Pisone a. 704., ambigitur. Cum vero alter ille neminem e senatu movcrit [5], adeoque primus libertinorum filios senatores legerit [6], hic contra, proxime antequam

---

[1] Vid. Cicero de Republ. Libr. II. c. 21., Livius Libr. I. c. 39., Dionys. Halic. Antiq. Rom. Libr. IV. c. 1., Seneca Epist. CVIII. § 30., Plutarchus Quaest. Rom. 76.

[2] Apud Porphyrionem pro: « *T. — serva captiva fornicularia fuit natus*, » legendum: « *T. — s. c. Corniculana f. n.* »

[3] Ovidius Fast. Libr. VI. v. 627. sqq. Cf. Dionysius Halic. l. l. c. 2., Plinius Nat. Hist. Libr. XXXVI. c. 27. Sect. 70.

[4] Cf. K. O. Muelier, *die Etrusker*, T. I. p. 117. sq.

[5] Diodorus Siculus Libr. XX. c. 36.

[6] Livius Libr. IX. c. 29., 30. et 46., Suetonius in Vita Claudii c. 24., Plutarchus in Vita Poplicolae c. 7., Aurellus Victor de Viris illustr. c. 34.

Satiram suam scripserit Horatius, acerrime censura functus [1], libertinorum filios omnes eiecerit e senatu [2], equidem censeo dubium non esse, quin de hocce Appio cogitaverit Horatius.

Sed ad TARQUINIUM SUPERBUM pergamus, regno pulsum tum a BRUTO, quem cogitat Horatius Libr. I. Sat. 7. v. 33. sqq., ubi ita Persius ad Brutum, Caesaris percussorem:

> Per magnos, Brute, Deos te
> Oro, qui reges consuesti tollere,

tum quoque a VALERIO POPLICOLA, quem ab Horatio laudatum esse modo vidimus. Est autem magna Interpretum dissensio, utrum Tarquinius Superbus, an vero Priscus intelligendus sit in Carmine 12. Libr. I., de quo fusius nobis disputandum erit.

§ 3.

Horatius in Carmine 12. Libri I. magnificis laudationibus Deorum, Iovis, Palladis, Liberi, Phoebi, heroumque, Alcidae, Castoris Pollucisque praemissis, dubius quemnam potissimum e mortalibus celebret, ita pergit vs. 33. sqq.:

> Romulum post hos prius, an quietum
> Pompili regnum memorem, an superbos
> Tarquini fasces, dubito, an Catonis
> Nobile letum.

---

[1] Cum L. Pisone a. 704. Satira autem scripta fuit 717. s. 718., vid. Frankius Fast. Horat. p. 100. sq. Censores quidem fuerant a. 712. L. Antonius Pietas et P. Sulpicius, lustrum vero non fecerant, vid. Pighius Annal. T. III. p. 481.

[2] Dio Cassius Libr. XL. c. 63., cl. Coelii Epist. ad Ciceronem, inter huius Epist. ad Diversos Libr. VIII. 14.

Regulum et Scauros, animaeque magnae
Prodigum, Poeno superante, Paullum
Gratus insigni referam Camena,
Fabriciumque.

Hunc [1], et incomtis Curium capillis
Utilem bello tulit, et Camillum
Sacra paupertas, et avitus apto
Cum lare fundus.

Crescit, occulto velut arbos aevo,
Fama Marcelli: micat inter omnis
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Qui locus, tum propter ambiguam Tarquinii mentionem, tum propter Catonis, importunam nonnullis visam, tum quoque Scaurorum, magnas Interpretibus turbas concitavit.

Ambigitur iam inde a Scholiastarum temporibus, utrum Tarquinii Prisci fasces sint an Superbi, qui laudentur. Intelligunt Scholiastae, Torrentius, Mitscherlichius, Vanderburgius, Iahnius, Orellius, alii, quos dicere longum est, Tarquinium Priscum, qui tum cetera magistratuum insignia Romam intulerat, tum fasces, a Tuscis sumtos [2]; negant recte cogitari de altero Tarquinio, tyranno crudelissimo superbissimoque. Hunc tamen Ianius intelligit, eaque de causa cum Catone coniunctum esse censet, quod magna sub utroque Romani imperii facta fuerit conversio. Ianio ita assentitur Buttmannus [3], ut ingenium quoque et

[1] Cf. Quintilianus Instit. Orat. Libr. IX. c. 3. § 18.

[2] Strabo Libr. V. p. 220., Edit. 1620., Florus Libr. I. c. 5. § 6., cl. tamen Livius Libr. I. c. 8. et 26., Dionysius Halic. Antiq. Rom. Libr. III. c. 61., Hieronymus Ol. XXVI. 3.

[3] *Mythologus*, T. I. p. 67.

fortitudinem Tarquinii respexisse Horatium censeat. Idem facit Duentzerus [1], post Cuningamium apposite conferens locum Virgilii Aeneid. Libr. VI. v. 818. sq.:

> Vis et Tarquinios reges, animamque superbam
> Ultoris Bruti, fascisque videre receptos?

Quorum sententiam inprimis confirmat locus Ciceronis Philipp. III. c. 4.: «Tarquinius — non crudelis, non impius, sed superbus habitus est et dictus. — Nihil humile de Tarquinio, nihil sordidum accepimus.» — Cuningamius [2] autem, quem secutus est Sanadonus: *Iunii fasces*, pro: *Tarquini fasces* legebat, Brutum cogitans, quam coniecturam vel ipsa genitivi forma in duplex *i* dissuadere videtur [3].

Bentleius, Tarquinii mentionem factam esse non mirans, nomen Catonis suo de loco exturbare conatus fuit. Multum disputat, egregie et plane, ut semper, quo laudes Catonis ab hoc loco, ubi Augustum laudaturus est Horatius, alienas esse ostendat [4], itaque aliud nomen circumspiciens, *Anne Curti* legendum esse coniecit. Significat Marcum Curtium illum, qui sese pro patria devoturus, armatus, equo vectus, prosiluit in specum, qui in medio foro natus fuerat [5]. Con-

---

[1] *Kritik u. Erklaer. d. Oden d. Horaz*, p. 67.

[2] Animadv. in Bentl. Horat. p. 126.

Vid. Madvigius *Latein. Sprachlehre*, § 37. *Anm.* 1.

Confert Suet. in Vita Aug. c. 85., Macrob. Saturn. Libr. II. c. 4. Macrobii locum pro se afferre Bentleium, turpiter non intellexit Janius.

[3] Landatur quoque a Virgilio in Culice v. 360. Historiam narrant Livius Libr. VII. c. 6., Dionysius Halic. Antiq. Rom. Libr. XIV. Exc. 20. et 21., Valerius Max. Libr. V. c. 6 n. 2., Plinius Nat. Hist Libr. XV. c. 18. Sect. 20., Suidas in voce Αἰβέρνος. Diver-

iectura merito Interpretibus displicuit; constat, Augustum aequo animo vel Bruti Cassiique laudes tulisse [1], quin ipse Horatius Catonem laudibus extollit Libr. I. Epist. 19. v. 12. sqq.:

> Quid? si quis voltu torvo ferus, et pede nudo,
> Exiguaeque togae simulet textore Catonem [2];
> Virtutemne repraesentet moresque Catonis?

ubi Catonis nomen usurpat ad virum fortem et constantem designandum, id quod vivo adhuc Catone iam factum fuisse refertur [3]. Tum praeterea Catonem respicere creditur Horatius Libr. III. Carm. 2. v. 17. sqq.:

> Virtus, repulsae nescia sordidae,
> Intaminatis fulget honoribus;
> Nec sumit aut ponit securis
> Arbitrio popularis aurae,

qui locus confestim in mentem revocat duplicem illam repulsam quam Cato passus fuit [4], cuiusque diu mul-

---

sam vero nominis lacus Curtii originem statuunt id. Livius Libr. I. c. 13., Dionysius l. l. Libr. II. c. 42. et 46., Plutarchus Quaest. Rom. c. 8. Cf. Ovidius Fast. Libr. VI. v. 401. sqq. Triplicem historiam Curtii tradit Varro de Lingua Lat. Libr. IV. p. 41. Edit. Bip.

[1] Suetonius in Vita Tiberii c. 61., Tacitus Annal. Libr. IV. c. 34., Appianus de Bello Civili Libr. V. c. 62. Cf. Plutarchus in Vita Bruti c. 53., in Vita Ciceronis c. 49., Macrobius Saturn. Libr. II. c. 4. Ambigitur de loco Virgilii Aeneid. Libr. VIII. v. 670., utrum Cato Censorius an Uticensis ibi laudetur.

[2] Cf. Plutarchus in Vita c. 44.

[3] Plutarchus l. l. c. 19., Quintilianus Instit. Orat. Libr. IX. c. 2. § 25. Cf. Valerius Max. Libr. II. c. 10. n. 8.

[4] Livius Epit. Libr. CV. et CVIII., Plutarchus in Vita c. 42., 49. et 50., Seneca Consol. ad Helviam c. 13., de Benef. Libr. V. c. 17. Cf. Plinius Nat. Hist. Praef. § 7.

tumque meminerunt scriptores. Nec obstat locus Libr. II. Carm. I. v. 21. sqq.:

> Audire [1] magnos iam videor duces
> Non indecoro pulvere sordidos,
> Et cuncta terrarum subacta,
> Praeter atrocem animum Catonis,

vocem enim *atrox* minime vituperio ducendam esse satis ostendit, quod Tydides quoque, «melior patre,» atrox dicitur Libr. I. Carm. 15. v. 27. sq., cuius tamen egregia indoles satis nota est, vel ex ipso Homeri loco Iliad. Libr. IV. v. 403. sqq., cl. v. 411. sqq., quem ibi Horatius expressit [2].

Recte igitur Cato locum suum in Carmine allato obtinebit, suumque etiam Tarquinius Superbus defendet, sed plures supersunt difficultates.

Componuntur ab Horatio, meritoque componuntur Regulus, cui fides potior quam vita fuit; Paullus, qui ignominiae Cannensi superstitem esse noluit; Fabricius, quem neque minae nec promissa Porsenae a caritate patriae avertere potuerunt; Curius, qui divitias ab hostibus sibi oblatas reiecit; Camillus, qui privatam iniuriam patriae condonavit, cives ingratos exitio eripuit; viri fortes, patriae amantes, pauperes [3], divitias spernentes omnes. Qui vero

[1] Bentleius: *Videre*, Cl. Peerlkampius: *Sudare — video —*.

[2] Iohnsonus in suo Aristarcho Anti-Benticiano P. I. p. 58. locum Silii confert Libr. XIII. v. 369. ubi *atrox virtus* dicitur. Cf. quoque Silii Libr. VI. v. 378.: *atrox* (Reguli) *fides*.

[3] De Regulo Valerius Max. Libr. IV. c. 4. n. 6., cl. Livius Epit. Libr. XVIII.; de Paullo Plutarchus in Vita c. 39.; de Fabricio Curioque abundant testimonia. Minus constat de Catone, nisi panperem fuisse colligas ex Plutarcho in Vita c. 52., deque Camillo, nisi ex Livio Libr. V. c. 32.

Scauri in hunc coetum sanctissimorum virorum irrepserint, semper mirati sunt Interpretes. Scaurus ille, princeps Senatus, quamvis teste Cicerone [1], vir sanctissimus, constantissimus, fuit autem Cicero abreptus studio optimatium, quibus semper Scaurus faverat, sed vere innotuit ex Sallustio Plinioque, homo cupidissimus potentiae et divitiarum, vitia vero sua callide occultans [2]. Filius Scauri, aedilitate magnificentissima notus [3], fuit moribus perditissimis, ab ipso Cicerone, qui tamen eius defensionem susceperat, cum esset accusatus de repetundis [4], turpissime notatus [5]. Nepos denique, Horatii aequalis, tantae perfidiae fuit, ut Sextum Pompeium, fratrem suum uterinum, cuius partes fuerat secutus, in extremo periculo destituerit, cursum, quem ille teneret, M. Antonii legato declaraverit. Quis igitur e Scauris cum Catone, cum Curio, cum Regulo erit componendus. Nec iuvat Iuvenalis locus Sat. XI. v. 90. sqq.:

> Quum tremerent autem Fabios, durumque Catonem
> Et Scauros et Fabricios, postremo severos
> Censoris mores etiam collega timeret;

---

[1] Pro Fonteio c. 7. et 13., pro Murena c. 7. et 17., de Officiis Libr. I. c. 30.

[2] Sallustius de Bello Iugurthino c. 15. Cf. Plinius Nat. Hist. Libr. XXXVI. c. 15. Sect. 24. § 13, Florus Libr. III. c. 1. § 5.

[3] Cicero de Officiis Libr. II. c. 16., Valerius Max. Libr. II. c. 4. n. 6. et 7., Plinius l. l. Libr. VIII. c. 17. Sect. 24., Libr. XXXIV. c. 7. Sect. 17., Libr. XXXVI. c. 2. Sect. 2., c. 6. Sect. 8., c. 15. Sect. 24. § 13.

[4] Cicero ad Atticum Libr. IV. Epist. 15. et 16., fragm. pro Scauro., Valerius Max. Libr. VIII. c. 1. n. 10. Post tamen de ambitu damnatus exulavit, Cicero l. l. Epist. 17., de Officiis Libr. I. c. 39., Appianus de Bello Civili Libr. II. c. 24.

[5] De Officiis l. I.

nec Valerii Maximi Libr. IV. c. 4. n. 11.: «media fortuna — Poplicolas, Aemilios, Fabricios, Curios, Scipiones, Scauros, hisque paria robora virtutis aluit,» uterque enim unum Scaurum designat, principem senatus, qui pauper a patre relictus fuerat [1], eratque singulari severitate tum in milites, tum in suos [2]; loci vero Horatiani ea ratio est, ut de pluribus Scauris cogitandum sit. Hinc Dacerius censuit, duas gentes Aemiliam et Aureliam, cui utrique Scauri fuit cognomen, esse intelligendas. Sed gentis Aureliae non magna nobilitas fuit, ut adeo prorsus sit mirandum, quid hacce Scaurorum laudatione voluerit Horatius.

Est Marcellus praeterea, de quo dissentiunt Interpretes. Cogitant alii Marcellum illum, qui tertia spolia opima Iovi Feretrio dicavit [3], Hannibalem vinci posse docuit [4], denique quintum agens consulatum in insidiis cecidit [5]; alii vero Marcellum, Octaviae sororis Augusti filium, cuius obitum praematurum pulcherrimis versibus deflevit Virgilius, notissimo illo loco Aeneid. Libr. VI. v. 870. sqq. [6]. Hi negant, recte dici,

---

[1] Valerius Max. Libr. IV. c. 4. n. 11., Plutarchus de Fortuna Roman. c. 4., Aurelius Victor de Viris illustr. c. 72.

[2] Cicero de Officiis Libr. I. c. 30., Valerius Max. Libr. V. c. 8. n. 4., Frontinus Strategem. Libr. IV. c. I. § 13., c. 3. § 13.

[3] Livius Epit. Libr. XX., Virgilius Aeneid. Libr. VI. v. 856. sqq., Valerius Max. Libr. III. c. 2. n. 5., Plutarchus in Vita Romuli c. 16., in Vita Numae c. 8., Florus Libr. II. c. 4. § 5.

[4] Livius Libr. XXIII. c. 16., Valerius Max. Libr. IV. c. 1. n. 7., Aurelius Victor de Viris illustr. c. 45.

[5] Livius Libr. XXVII. c. 27., Appianus Rom. Hist. Libr. VII. c. 50.

[6] Cf. Propertius Libr. III. Eleg. 16., qui diversam a Dione narrationem de morte Marcelli exhibet. Vid. Dio Cassius Libr. LIII. c. 30. Cf. Velleius Libr. II. c. 93., Seneca Consol. ad Polybium c. 34,

famam veteris illius Marcelli occulto crescere aevo, quae crescere id temporis amplius non posset; illi contra, orationis seriem Marcelli iunioris mentionem non admittere contendunt. Qui Marcellum veterem intelligunt, Iulium sidus vs. 47. de altero Marcello dictum esse putant [1]; qui Octaviae filium, de stella crinita cogitant, quae post necem Caesaris apparuit [2]. Sunt vero etiam, qui Marcellum eum esse credant, qui victoriam de Hannibale reportavit, Iulium tamen sidus haud diversum esse existiment ab illa stella crinita. Alii denique, utramque simul sententiam amplexi, locum ita sunt interpretati ut fama Marcelli veteris illius dicatur crescere in Marcello iuniore. Fuit praeterea Sanadonus, qui totum Carmen in huius Marcelli honorem scriptum esse contendit; Bothius, qui censuit Marcellum esse iuniorem eundemque per blanditiam Iulium sidus fuisse dictum; verbo, quot Interpretes, tot fere sententiae; nos satis habebimus significasse, quot quantaeque sint difficultates eius loci interpretandi, quas qui explanaverit, magnus sane erit Apollo. Peerlkampius autem, cum ita fieri non posse censeret, locum praeterea Horatio indignum esse iudica-

---

ad Marciam c. 2., Tacitus Annal. Libr. II. c. 41., Plinius Nat. Hist. Libr. VII. c. 45. Sect. 46.

[1] Ita Sanadonus et Ianius. Hic apte confert locum Ovidii Trist. Libr. II. v. 167., ubi Drusus et Tiberius *Sidus iuvenile* dicuntur, aliumque ex eiusdem Epist. ex Ponto Libr. III. 3. v. 2. ubi Fabius Maximus *Sidus Fabiae — gentis* vocatur.

[2] Virgilius Ecl. IX. v. 47. sqq., Ovidius Metamorph. Libr. XV. v. 745. sqq., Seneca Nat. Quaest. Libr. VII. c. 17. § 2., Plinius Nat. Hist. Libr. II. c. 25. Sect. 23., Suetonius in Vita Caesaris c. 88., Plutarchus in Vita eiusdem c. 69., Dio Cassius Libr. XLV. c. 7., Iulius Obsequens c. 182., Zonaras Annal. Libr. X. c. 13.

ret, eum spurium, manuque aliena Carmini splendidissimo insertum pronuntiavit.

Regulus, tum in Carmine, de quo modo vidimus, tum altero quoque in loco, ab Horatio celebratus est propter constantiam in servanda prisca illa et severa disciplina. Est autem locus Libr. III. Carm. 5, ubi poëta, questus quod Romani adeo degenerassent, ut vel turpem vitam in hostium potestate honestae morti praeferrent, ita pergit vs. 13. sqq.:

Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis conditionibus
Foedis [1], et exemplo trahenti
Perniciem veniens in aevum,

Si non periret inmiserabilis
Captiva pubes. signa ego Punicis
Affixa delubris, et arma
Militibus sine caede, dixit,

Derepta vidi:

sequitur autem gravissima Reguli oratio, qua senatui dissuasit, ne captivi redimerentur. Oratione habita,

Fertur pudicae coniugis [2] osculum,
Parvosque natos, ut capitis minor,
Ab se removisse, et virilem
Torvus humi posuisse vultum:

Donec labantis consilio Patres
Firmaret auctor nunquam alias dato;
Interque maerentis amicos
Egregius properaret exsul.

---

[1] Hoc loco conditiones sunt captivorum redimendorum. Perperam nonnulli de pacis conditionibus cogitaverunt. Has etiamsi ignoremus, foedas non fuisse probabile est. Cf. Silius Libr. VI. v. 485. sqq.

[2] Marcia vocatur a Silio Libr. VI. v. 403.

Atqui sciebat, quae sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimovit obstantis propinquos,
Et populum reditus morantem,

Quam si clientum longa negotia
Diiudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedaemonium Tarentum.

Vulgarem de Regulo famam in eius historia tradenda secutus est Horatius. Est autem haec: Regulum, captum a Poenis, Romam missum fuisse de pace, et si eam impetrare non potuisset, de captivis permutandis [1]. Cum Romam venit, nihil quasi civis Romanus egit [2], utpote: «capitis minor (vs. 42.,)» abalienatus iure civium, servus Carthaginiensium factus [3]. Captivi ne redimerentur auctor fuit, consilio, «numquam alias dato,» Patres firmavit. Vocem *consilium* cum dilectu posuit Horatius, sententiam enim non dixit Regulus, quod senatoris erat, consilium dedit. Discrimen est, quod omnes scriptores observasse videmus [4]. Recte quoque dicit: «numquam alias dato,» quamvis Torrentius, quem secuti sunt etiam inter recentiores, similes sententias adversum captivos fuisse

[1] Livius Epit. Libr. XVIII., Cicero de Officiis Libr. I. c. 13., Valerius Max. Libr. I. c. 1. n. 14., Appianus Rom. Hist. Exc. Libri V. II. 1., Dio Cassius fr. CXLIX. 1., Florus Libr. II. c. 2. § 24., Eutropius Libr. II. c. 24.

[2] Dio Cassius l. l. 2., Eutropius l. l. c. 25.

[3] Cf. Manlii oratio, argumenti huius Carminis simillimi, apud Livium Libr. XXII. c. 60.

[4] Livius Epit. Libr. XVIII. Cicero, Florus, Appianus ll. ll. Gellius Libr. VI. c. 4., Eutropius l. l. Suidas in voce. Zonaras solus est, ni fallor, qui discrimen illud non observavit Libr. VIII. c. 15.

narrat Appii Claudii et T. Manlii. Appius vero Claudius, pax tantummodo ne fieret cum rege Pyrrho dissuasit [1], Manlius Torquatus post pugnam Cannensem demum auctor fuit ne captivi redimerentur [2].

Fertur Regulus uxorem etiam liberosque a complexu suo dimovisse [3], Carthaginem ad hostes rediisse, quamvis sciret quae sibi barbarus pararet. Ita Horatius, quod idem quoque tradunt Cicero [4] et Appianus [5]. Ceterum ingens dissensio est auctorum de Reguli supplicio [6]. Parvi eius nati, quos Horatius memorat, sunt illi iuvenes, quorum mentionem facit Diodorus [7], narrans Reguli viduam, cum audisset mortem mariti, annum vero quo ille mortuus fuerit non significat, eamque tribueret incuriae Poenorum, duces Carthaginiensium captivos, filiis suis in custodiam traditos, suppliciis crudelissimis affecisse, donec iuvenes, moniti a magistratibus, finem eorum fecerint Poenosque exinde omni cura tractaverint. Quae diserta narratio

---

[1] Livius Epit. Libr. XIII., Cicero pro Caelio c. 14., Brut. c. 14., de Senect. c. 6., Valerius Max. Libr. VIII. c. 13. n. 5., Plutarchus in Vita Pyrrhi c. 18. et 19., an Seni Resp. cct. c. 21.

[2] Livius Libr. XXII. c. 60.

[3] Silius Libr. VI. v. 403., Dio Cassius fr. CXLIX. 2., (quem locum turpi errore Polybio tribuit Mitscherlichius,) Eutropius l. l.

[4] De Officiis Libr. I. c. 13.

[5] Libr. VIII. c. 4.

[6] Cicero in Pisonem c. 19., de Finibus Libr. II. c. 20., Libr. V. c. 27., Valerius Max. Libr. IX. c. 2. ext. n. 1., Seneca de Tranq. Animi c. 15. § 7., de Providentia c. 3. § 8., Epist. XCVIII. § 12., Florus Libr. II. c. 2. § 25., Appianus l. l. et Libr. V. Exc. II. 1., Gellius Libr. VI. c. 4., Zonaras Annal. Libr. VIII. c. 15., cl. c. 13.

[7] Exc. de Virt. et Vit. Libr. XXIV. T. II. p. 566. Edit. Wesselingii. Cf. Zonaras Annal. Libr. VIII. c. 15.

uniça fere causa fuisse videtur omnis dubitationis de Reguli supplicio adeoque de tota eius legatione.

§ 4.

Post Regulum Marcellumque, uterque memorandus est Africanus. Alterum AFRICANUM maiorem celebrat Horatius Libr. IV. Carm. 8. v. 15. sqq.:

non celeres fugae
Reiectaeque retrorsum Hannibalis minae;
Non incendia Carthaginis impiae [1],
Eius qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabrae Pierides:

quem locum supra iam ad Ennium [2] retulimus, tum praeterea Epod. IX. v. 25. sq., ubi Caesarem Octavianum celebraturus, post victoriam de Marco Antonio, negat parem illi fuisse Marium, Iugurthae victorem, parem

Africanum, cui super Carthaginem
Virtus sepulcrum condidit,

ubi tamen, prout Carthaginem devictam intelligas

[1] Incendium Carthaginis ad Africanum maiorem non pertinere iam vidit Glareanus. Bentleius versum spurium esse indicavit. Ita Ianius, Mitscherlichius aliique. Cuningamius corrigere voluit: *inpendia*, quod usu rariore pro tributis dici posse docuit aliatis locis Varronis de L. L. Libr. IV. (p. 50. Edit. Bip.,) Ciceronis in Bruto c. 4., ad Atticum Libr. VI. Epist. I., (in quibus vero pro usura seu auctario usurpatur vox *inpendium*,) et Statii Silv. Libr. III. Carm. 3. v. 88. Vanderburgius, Tom. II. p. 386., cogitavit de incendio castrorum deque classium Carthaginiensium vid. Livius Libr. XXX. c. 5., 6. et 43. Doeringius in textum recepit: *stipendia*. Cl. Peerlkampius tum versum, de quo agitur, tum tres praecedentes Horatio abiudicavit. Meineckius duos vss. excidisse post vs.: *Non incendia*, censuit.

[2] Pag. 40.

sive deletam, aut de hoc, aut de altero Africano minore cogitandum est [1]. Africanum maiorem interpretatur Acron, cuius scholion miram prorsus historiam exhibet de sepultura Scipionis illius: «*Super | Contra. Devicta enim Carthagine, virtute Scipionis Africani, cum Afri adversum Romanos denuo rebellarent, consulto oraculo responsum est, ut sepulchrum Scipioni fieret, quod Carthaginem respiceret, tunc levati cineres eius sunt de Pyramide in Vaticano constituta, et humati in sepulchro eius in portu Carthaginem respiciente.*» Nota res est Scipionem vitam extremam Literni egisse dubium vero esse, ubinam mortuus ac sepultus fuerit, cum sepulcrum eius tum Romae [2], tum Literni ostenderetur [3]. Hoc referens Scholiastes Cruquianus addit, paullum diverse ab Acrone: «*Videtur* (*Horatius*) *etiam tangere historiam, in qua scriptum est, ex oraculo, ad componendos Afros, debere sepulcrum Scipioni Africano ita constitui, ut Africam intueretur, hoc autem monitu Deorum positum est inter Hostia et portum.*» Scholion Acronis in causa fuit, quod antiquitatum periti diu pyramidem quamdam in monte Vaticano, sepulcrum Scipionis fuisse censuerint [4].

Alterum SCIPIONEM AFRICANUM minorem, qui tum Carthaginem delevit, tum «longa ferae bella Numan-

---

[1] Cf. Bentleius ad l. l.

[2] Livius Libr. XXXVIII. c. 53., 55. et 56., Libr. XLV. c. 30., cf. Plinius Nat. Hist. Libr. VII. c. 30. Sect. 31.

[3] Strabo Libr. V. p. 243.

[4] Ita Fam. Nardinus et Ol. Borrichius in Graevii Thes. T. IV. p. 1426. et 1612. sq., cf. Ge. Fabricius ibid. T. III. p. 463. et Lucius Faunus de Ant. Urbis Romae Libr. V. c. 12. p. 127. Ed. 1549. Pyramis illa subiata fuit iussu P. M. Alexandri VI.

tiae [1],» confecit, commemorat Horatius in Libr. II. Sat. 1., de quo loco iam vidimus [2]. Amicitiam eius cum LAELIO meminit vs. 71. sqq.:

> Quin ubi se a volgo et scena in secreta remorant
> Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli [3], ect.

Laelio cognomen Sapientis fuisse, notissimum est, quamvis de causa dissentiant Cicero [4] et Plutarchus [5].

CATONEM Censorium componi cum Romulo vidimus Libr. II. Carm. 15. v. 10. sqq.:

> Non ita Romuli
> Praescriptum et intonsi Catonis
> Auspiciis.

Intonsus, procul dubio, recte dicitur Cato, ut quoquo Curius Libr. I. Carm. 12. v. 41 [6]., etiamsi tonsores Romam iam venerint a. 454. [7], neque enim verisimile est, Curium Catonemque ita cito sua capita iis permisisse.

Sunt duo loci, in quibus ambigitur, utrum de Catone Censorio an de Uticensi sit sermo. Alter est Libr. I. Sat. 2. v. 31. sqq.:

---

[1] Libr. II. Carm. 12. v. 1.

[2] Pag. 77., 78. et 81.

[3] Versum a Lucilio desumtum fuisse suspicor. Hic primus usus est forma *Scipiades*, pro *Scipionides*, ut observat Priscianus Libr. II. p. 582. Edit. Putschii. Cf. Lucilius apud Festum Libr. XVII. in voce *Scurrae*, et Gellium Libr. IV. c. 17. Post ita fecerunt Lucretius Libr. III. v. 1047. et Virgilius Georg. Libr. II. v. 170.

[4] De Amicitia c. 1., de Officiis Libr. II. c. 11., Libr. III. c. 4.

[5] In Vita Ti. Gracchi c. 8.

[6] Cf. Persius Sat. IV. v. 1., Cicero pro Sestio c. 8., pro Coelio c. 14., Livius Libr. V. c. 41.

[7] Varro de Re Rustica Libr. II. c. 11. § 10., ex eo Plinius Nat. Hist. Libr. VII. c. 59. § 59.

Quidam notus [1] homo cum exiret forniee; Macte
Virtute esto, inquit sententia dia Catonis [2].
Nam simul ac venas inflavit tetra libido,
Huc iuvenes aequum est descendere, non alienas
Permolere uxores,

ubi libidinis explendae eandem rationem, atque Socrates aliique philosophi [3], commendat Horatius. Facete autem Wielandus, praeter Horatium, Acronis quoque scholion inspiciendum esse observat, quod sic se habet: «*Catone transeunte, quidam exiit de fornice, quem, cum fugeret, laudavit et revocavit; postea cum frequentius eum exeuntem de eodem lupanari vidisset, dixisse fertur: Adolescens, ego te laudavi, tanquam huc interdum venires, non tanquam hic habitares.*» Recte Catonem Censorium intelligunt Scholiastae. Sunt, qui cogitent de Uticensi, sed color loci totius, tum illa: *Macte virtute esto*, et: *Sententia dia Catonis*, veterem Catonem Censorium, senem, potius in memoriam revocant [4], quam alterum Uticensem. Pro: *sententia* vero legendum esse videtur: *sapientia dia Catonis. Sententia* enim *Catonis* non totum Catonem ostendit, ut facit *sapientia*, sed est particula totius. Recte quidem Lucilius dixit: «*Valeri sententia dia,*» teste Por-

[1] *Notus Catoni.* Alii nobilem explicant. Perperam. Pudebat hominem conspici a Catone, cui notus erat, egredientem e loco inhonesto.

[2] Cf. supra p. 239. n. 2., Horatium imitata est Sulpicia Sat. v. 48.

[3] Xenophon Memorab. Libr. I. c. 3. § 14., Libr. II. c. 1. § 5., Lucretius Libr. IV. v. 1056., Cicero pro Coelio c. 20., Sextus Empiricus Hypotyp. Libr. III. p. 168: 31. Edit. Imm. Bekkeri, Diogenes Laërt. Libr. II. § 69. Cf. quoque Plautus Curcul. Act. I. Sc. 1. v. 35., Terentius Adelph. Act. I. Sc. 1. v. 21. sq.

[4] Cf. Plutarchus in Vita c. 24., Comparat. Arist. cum Cat. c. 6.

phyrione ad Libr. I. Sat. 6. v. 12., sed alio modo, cum γνώμην Valerii significaret.

Maior dubitatio est in loco Libr. III. Carm. 21. v. 11. sqq.:

> Narratur et prisci Catonis
> Saepe mero caluisse virtus.

Priscus enim proprie de vetere illo Catone dicturus fuit Horatius [1], sed recte quoque de altero, moribus severis priscorum Romanorum vitam referente. Ita Catullus in Epithalamio v. 159.:

> Saeva quod horrebas *prisci* praecepta parentis,

ita Cicero pro Coelio c. 14.: «Severe et graviter et *prisce* agere.» Constat praeterea, Catonem minorem vino valde deditum fuisse [2], quem Seneca [3] ridicule magis quam feliciter ab ebrietatis crimine defendit; abstemius contra fuit Cato maior [4]. Cum vero illud: *narratur*, vix cadat in hominem non ita diu mortuum, tum praeterea Cato Censorius, rure lautius coenare solitus fuerit, teste Plutarcho [5], vinoque interdum animum laxaverit, uti Seneca tradit de Tranquillitate Animi c. 15. § 11., quo in loco subsequens Scipionum mentio, de Catone minore ut cogitemus non

---

[1] Locus Plutarchi de Catonis cognomine *Prisco*, in Vita c. 1., huc non facit.

[2] Plutarchus in Vita c. 6. Cf. c. 44., Plinius Libr. III. Epist. 12., Martialis Libr. II. Epig. 89.

[3] De Tranq. Animi c. 15. § 15.

[4] Plinius Nat. Hist. Libr. XIV. c. 13. Sect. 14., Plutarchus in Vita c. 1. et 4., Comparat. Arist. cum Cat. c. 4.

[5] In Vita c. 25. Cf. Cicero de Senectute c. 14.

sinit, equidem in loco quoque Horatiano Catonem maiorem intelligendum esse censeo.

Haec de regibus, consulibus, ducibusque Romanorum, ad tempora usque belli Punici secundi, apud Horatium leguntur. Magno inde intervallo nobis transeundum est ad tempora bellorum civilium; nemo enim ex iis, qui pertinent ad interpositam aetatem, in Carminibus Horatianis occurrit.

§ 5.

Principes in republica Romana viri, bellorum civilium temporibus, ab Horatio in Carminibus celebrati, alii, iique longe plurimi, aequales eius fuerunt, alii, qui aetate illi antecesserunt, obiter tantummodo commemorantur. Sunt autem hi, praeter Marium, Iugurthino bello victorem, de quo iam vidimus [1]: Tullus, Torquatus, Metellus, Bibulus, quorum consulatus designantur, Roscius, auctor legis theatralis, Lucullus, Crassus et Caesar.

Fit saepius mentio apud Horatium legis Rosciae theatralis, quam in tribunatu [2] tulit L. Roscius Otho, a. 687., qua sancitum est, ne quis in quatuordecim gradibus, orchestrae, in qua senatores sedebant, proximis sederet, nisi qui eques et equestri censu esset [3].

---

[1] Pag. 227. sq.

[2] In praetura secundum Plutarchum in Vita Ciceronis c. 19. Cf. Cicero ad Atticum Libr. II. Epist. 1., pro Cornelio Orat. 1., Plinius Nat. Hist. Libr. VII. c. 30. Sect. 31.

[3] Equitibus veterem locum suum restituisse videtur Otho. Vid. Cicero pro Murena c. 19., Velleius Libr. II. c. 32. Ceterum cf. Livius Epit. Libr. XCIX., Dio Cassius Libr. XXXVI. c. 25. Legem denuo restituit Domitianus, Suetonius in Vita c. 8., Martialis Libr. V.

Census autem quadringentorum sestertium erat, ut ipse Horatius tradit [1]:

> Est animus tibi, sunt mores, sunt lingua fidesque:

sive potius, ut me monuit Cl. Peerlkampius:

> *Esto* animus tibi, *sint* mores, *sint* lingua fidesque:
> Sed quadringentis sex septem millia desint;
> Plebs eris. at pueri ludentes, Rex eris, aiunt,
> Si recte facies. Hic murus aëneus esto,
> Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
> Roscia, die sodes, melior lex, an puerorum est
> Naenia, quae regnum recte facientibus offert,
> Et maribus Curiis et decantata Camillis?
> Isne tibi melius suadet, qui, Rem facias, rem,
> Si possis, recte; si non, quocumque modo rem;
> Ut propius spectes lacrimosa poëmata Pupi [2]:
> An qui, fortunae te responsare superbae
> Liberum et erectum, praesens hortatur et aptat?

Imperare mihi non potui, quin pulcherrimum locum e pulcherrima Horatii epistola integrum describerem. Censu autem ipse Horatius eques erat, praedio Sabino a Maecenate donatus, itaque annulum, eo tempore insigne omnium equitum, gestabat, ut ipse tradit Libr. II. Sat. 7. v. 53. sq., ubi a servo suo Davo ita corripitur:

> Tu, cum proiectis insignibus, annulo equestri
> Romanoque habitu, prodis ex indice [3] Dama
> Turpis.

Epigr. 8. et 23. De lege Roscia vid. Tacitus Annal. Libr. XV. c. 32., Invenalis Satira III. v. 153. sqq., XIV. v. 323. sq.

[1] Libr. I. Epist. 1. v. 57. sqq. De censu Martialis Libr. IV. Epigr. 67., Libr. V. Epigr. 23., 25. et 38., Invenalis Sat. I. v. 105. sq., Sat. V. v. 132. sq., Plinius Libr. I. Epist. 19.

[2] Cf. Martialis Libr. V. Epigr. 27.

[3] Lege Aurelia et lege Iulia iudicia, quae Sulla senatoribus re-

Ius autem illud annulum gestandi, Tiberio imperante, iis ademtum fuit, qui censu tantummodo equites erant, iussumque, ne quis annulum gestaret, nisi cui ingenuo ipsi, patre avoque paterno, quadringentorum census esset[1]. Perperam vero Wielandus eiusdem dignitatis indicium habuit, quod ludos una cum Maecenate spectaverit Horatius, Libr. II. Sat. 6. v. 48. Ludi enim eo in loco, propter praegressam Thracis Gallinae Syrique, vs. 44., mentionem, recte gladiatorii cogitantur, qui dabantur in amphithreatro; Roscia autem lex et Iulia theatralis, quae post Rosciam secuta est, de scena tantum caverant, ut in ea equites seorsim a plebe ludos spectarent[2].

Othonis praeterea mentio fit in Epodo IV., ubi Horatius invehitur in hominem quendam, Vedium Rufum dictum, ut Vanderburgius docuit, quum olim Menam, S. Pompeii libertum, eo Carmine perstringi putarent Interpretes, ut infra videbimus. Ibi Horatius multa questus de Vedii illius insolentia addit vs. 15. sq.:

Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contempto sedet!

ubi magnus eques est ita interpretandus, quemadmodum magnus centurio Libr. I. Sat. 6. v. 73.:

---

stituerat, ad equites quoque translata fuerant, vid. Asconius ad Ciceronis Divinat. c. 3., Velleius Libr. II. c. 32., Suetonius in Vita Caesaris c. 41.

[1] Plinius Nat. Hist. Libr. XXXIII. c. 2. Sect. 8.

[2] Tacitus Annal. Libr. XV. c. 32. In circo ut seorsim spectarent iussit Augustus a. 758., vid. Dio Cassius Libr. LV. c. 22., certam in eo sedem iis tribuit Nero, vid. Plinius Nat. Hist. Libr. VIII. c. 7. Sect. 7., Suetonius in Vita Neronis c. 11., Tacitus l. l.

pueri magnis e centurionibus orti,

Mitscherlichius autem de equite splendido, illustri cogitavit, non solum censu, sed natalibus etiam ad ordinem suum pertinente [1]. Est vero Invenalis locus, qui docet, vel infimo loco natos in quatuordecim sedisse, Sat. III. v. 153. sqq.:

> Exeat, inquit,
> Si pudor est, et de pulvino surgat equestri,
> Cuius res legi non sufficit, et sedeant hic
> Lenonum pueri quocumque in fornice nati.
> Hic plaudat nitidi praeconis filius inter
> Pinnirapi cultos iuvenes iuvenesque lanistae.
> Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othuni.

Sedilibus — in primis, ut expedirent Scholiastae, de duobus primis istorum quatuordecim graduum explicant, quos Acron et Scholiastes Cruquianus tribuniciis, Porphyrion tribunis reservatos fuisse tradunt; equidem de quatuordecim universis, omnium in theatro graduum primis, cogitandum esse censeo [2]. Contemtum Othonis in eo positum fuisse iidem putant Scholiastae, Acron, quod servus, Cruquianus, accuratius, quod libertus (S. Pompeii) in iis sederet. Locum autem Bentleius rectissime ita interpretatus est, ut homo ille, de quo agitur, Roscium suamque legem, qua hic equestri ordini dignitatem restituere voluisset, cum supra quadringentorum censum esset,

---

[1] Hi proprie splendidi, illustres vocabantur, vid. Tacitus Annal. Libr. II. c. 59., Libr. IV. c. 58., Libr. XI. c. 4., Plinius Libr. VI. Epist. 15. et 25.

[2] Tribuni in quatuordecim sedebant, vid. Martialis Libr. III. Epigr. 95., an in duobus primis gradibus, aliunde non constat. Horatio tamen, ut facile intelligitur, suus in Bruti Cassiique exercitu tribunatus locum inter equites dare non potuit.

parum curaret, quemadmodum idem *contemnere* Iuvenalis usurpat, loquens de Cicerone Sat. X. v. 123. sq.:

> Antoni gladios potuit contemnere, si sic
> Omnia dixisset.

De TULLO ambigitur, utrum intelligendus sit L. Volcatius Tullus cs. a. 688., an vero alter eiusdem nominis cs. a. 721. Fit eius mentio in Libr. III. Carm. 8., quod, cum omnes Interpretes ad annum 734. retulissent, Frankius [1] contendit a. 729. fuisse scriptum. In eo Horatius, anno proximo, prope funeratus arboris ictu [2], Kalendis Martiis epulas votivas celebrat, Maecenatem ad eas invitat, vs. 9. sqq.:

> Hic dies, anno redeunte, festus
> Corticem adstrictum pice dimovebit
> Amphorae, fumum bibere institutae
> Consule Tullo.
>
> Sume Maecenas, cyathos amici
> Sospitis centum; cet.

Iam quaeritur fueritne vinum annorum 8, an vero 41; vetustum an recens. Interpretes inter se dissentiunt, vetustum autem plures intelligunt. Cum vero vina eo consilio reponerentur in fumario, ut praecocem traherent maturitatem [3], equidem potius cogitandum esse censeo de vino annorum 8, quam de 41, quod illius artificii commendatione non eguisset, itaque designari Tullum consulem a. 721. Si Sabinum iterum fuit, quod promittit Horatius Maecenati, ut alia

---

[1] Fast. Horat. p. 158. sqq. Cf. supra p. 224.

[2] Libr. II. Carm. 13.

[3] Columella de Re Rustica Libr. I. c. 6. § 20. Cf. Plinius Nat. Hist. Libr. XXIII. c. 1. Sect. 22.

occasione fecit [1], tum profecto non fuit annorum 41; illud enim post annum 25. non amplius potui aptum erat [2].

Certius constat de L. MANLIO TORQUATO, quo consule, a. 689., cum L. Aurelio Cotta, natus fuit Horatius, ut ipse tradit Epod. XIII. v. 6., suadens amico:

> Tu vina Torquato move consule pressa meo.

Eundem commemorat Libr. III. Carm. 21. v. 1. sqq.:

> O nata mecum consule Manlio,
> Seu tu querelas, sive geris iocos,
> Seu rixam et insanos amores,
> Seu facilem, pia testa, somnum: cet.,

quibuscum locis consentit aetatis significatio, quam fecit Libr. I. Epist. 20., librum suum ita alloquens vs. 26. sqq.:

> Forte meum si quis te percontabitur aevum:
> Me quater undenos sciat inplevisse Decembris,
> Collegam Lepidum quo duxit Lollius, anno.

Q. autem AEMILIUS LEPIDUS consul fuit cum M. Lollio a. 733. Fuerat Lollius, ineunte anno, solus consul, exspectato sibi collega Augusto, qui tum in Sicilia aberat; hoc recusante honorem, ortae sunt turbae per competitores Lepidum et Silanum, adeo ut vix sero consul creatus fuerit Lepidus [3]; quo factum est, ut Augustus in posterum iure magistratuum creandorum populum privaverit. Vocem itaque *duxit*

---

[1] Libr. I. Carm. 20. v. 1.

[2] Athenaeus Libr. I. c. 21. p. 27. B.

[3] Dio Cassius Libr. LIV. c. 6.

cum consilio Horatius posuit. De Lollio infra fusius videbimus.

Lucilli mentio fit Libr. II. Epist. 2. v. 26. sqq. Inducitur unus ex illius militibus:

> Luculli miles collecta viatica multis
> Aerumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem
> Perdiderat: post hoc vehemens lupus, et sibi et hosti
> Iratus pariter, ieiunis dentibus acer,
> Praesidium regale loco deiecit, ut aiunt,
> Summe munito, et multorum divite rerum:
> Clarus ob id factum, donis ornatur honestis,
> Accipit et bis dena super sestertia nummum [1].
> Forte sub hoc tempus castellum evertere praetor
> Nescio quod cupiens, hortari coepit eundem
> Verbis, quae timido quoque possent addere mentem:
> I, bone, quo virtus tua te vocat: i, pede fausto,
> Grandia laturus meritorum praemia: quid stas?
> Post haec ille catus, quantumvis rusticus, ibit,
> Ibit eo quo vis, qui zonam perdidit, inquit [2].

Factum hoc in expeditione Luculli contra Mithridatem et Tigranem, in qua multas res memorabiles gessit [3]. Bellum confecturus fuerat, nisi milites, ingenti pecunia locupletati [4], eum sequi noluissent. Porphyrionis scholion ad vs. 26: «*Luculli miles, Valerianus Servilianus praefectus exercitus,*» corruptum sine dubio est. Legendum esse puto: «*L. miles Valerianus, Servilius.*» Praefectus castrorum fuisse vide-

---

[1] Cf. Caesar de Bello Civili Libr. III. c. 53.

[2] Dacerius confert fabulam apud Plutarchum in Vita Pelopidae c. 1.

[3] Cicero pro Lege Manilia c. 8. sqq., Acad. Quaest. prior. Libr. II. c. 1., Livius Epit. Libr. XCIV., XCV., XCVII. et XCVIII., Velleius Libr. II. c. 33., Plutarchus in Vita Luculli. Appianus de Bello Mithridatico c. 72. sqq., Dio Cassius Libr. XXXV.

[4] Plutarchus in Vita c. 29. et 37.

tur, ut censet Orellius [1]. Valeriani enim fuerant, qui inprimis moverant seditionem in exercitu Luculli, ita dicti a L. Valerio Flacco, quem consulem a. 668., in Asia, instigante Fimbria, interfecerant [2].

Exemplum opulentiae Luculli, quod alibi non legimus, tradidit Horatius Libr. I. Epist. 6. v. 40. sqq. [3]:

> chlamydes Lucullus, ut aiunt,
> Si posset centum scenae praebere rogatus,
> Qui possum tot? ait: tamen et quaeram, et quot habebo,
> Mittam. post paullo scribit, sibi millia quinque
> Esse domi chlamydum: partem, vel tolleret omnis.

Insigni fuit luxuria Lucullus, qua Romanis, exemplo pernicioso, praeivit [4]. Creditur Horatius ad magnificam eius villam Tusculanam respexisse [5] Epod. I. v. 29. sq.:

---

[1] Idem corrigit: « *Valerium Servilianum*, » vel: « *Valerianum vel Servilianum.* »

[2] Vid. Livius Epit. Libr. LXXXII., Velleius Libr. II. c. 24., (a quo Valerius consularis dicitur, qui praetor a Caesare de Bello Civili Libr. III. c. 53.), Strabo Libr. XIII. p. 594., Appianus l. l. c. 52., Plutarchus l. l. c. 34. Hi, instigante Clodio, missionem a Lucullo postulabant, vid. Livius Epit. Libr. XCVIII., Plutarchus l. l. c. 34. et 35., Dio Cassius l. l. c. 14. sqq. Fimbriani vocantur a Plutarcho. Post sub Pompeio stipendia fecerunt vid. Dio Cassius l. l. c. 16., Libr. XXXVI. c. 29., deinde sub Caesare, vid. Caesar l. l. c. 48.

[3] Ab Horatio idem mutuatus est Plutarchus in Vita Luculli c. 39., qui tamen pro *millibus quinque chlamydum*, quas Horatius exhibet, ducentas tantummodo posuit.

[4] Scriptorum testimonia vid. apud Cortium ad Sallustii Bellum Catil. c. 13., Cl. Bakium ad Ciceronis de Legibus Libr. III. c. 13.

[5] De ea Cicero pro Sestio c. 43., de Legibus Libr. III. c. 13., de Finibus Libr. II. c. 33., Varro de Re Rustica Libr. III. c. 4. § 3., c. 5. § 8., Plutarchus in Vita Luculli c. 39. Cf. Cicero de Officiis Libr. I. c. 39., Varro l. l. Libr. I. c. 2. § 10., c. 13. § 7., Libr. III. c. 17. § 9., Columella de Re Rustica Libr. I. c. 4. § 6.

Neque ut supini [1] villa candens Tusculi
Circaea tangat moenia,

sed rectius locum interpretatus est Orellius, ut universe Horatius significet villam marmoream, prope Tusculum, situ amoenissimo, exstructam.

Q. Caecilium Metellum Celerem, cs. a. u. 694. cum L. Afranio, omnes Interpretes intelligunt Libr. II. Carm. 1. v. 1. sqq.:

Motum ex Metello consule civicum,
Bellique causas, et vitia, et modos
Ludumque Fortunae, gravisque
Principum amicitias, et arma

Nondum expiatis tincta cruoribus,
Periculosae plenum opus aleae,
Tractas, et incedis per ignis
Suppositos cineri doloso.

— — —

Insigne maestis praesidium reis,
Et consulenti Pollio curiae: cet.

Solus Torrentius cogitavit Q. Caecilium Metellum Pium Scipionem, cs. a. 702. cum genero Cn. Pompeio Magno. Metellus autem Celer vir fortissimus fuit et praestantissimus [2], quo consule, potentiae societas illa inita fuit inter Caesarem, Pompeium et Crassum, quae tum suos auctores tum rempublicam perdidit [3].

[1] Ita Bentleius pro: »*Nec ut superni.*«

[2] Cicero ad Atticum Libr. I. Epist. 18., 19. et 20., Libr. II. Epist. 1., de Harusp. respons. c. 21., pro Sestio c. 62, pro Caelio c. 24., Dio Cassius Libr. XXVII. c. 50. et 51.

[3] Livius Epit. Libr. CIII., Velleius Libr. II. c. 44., Suetonius in Vita Caesaris c. 19., Florus Libr. IV. c. 2. § 8. et 11., Plutarchus in Vita Antonii c. 19., Appianus de Bello Civili Libr. II. c. 9., Dio Cassius Libr. XXXVII. c. 54. sqq.

Pompeii mentio non fit in Carminibus Horatii, memorantur obiter Crassus et Caesar. Crassi nomen in memoriam revocat SPARTACUM, de quo Libr. III. Carm. 14. v. 17. sqq., ubi Horatius:

> I pete unguentum, puer, et coronas,
> Et cadum Marsi memorem duelli [1]:
> Spartacum si qua potuit vagantem
> Fallere testa.

Quod Carmen ad a. 730. referendum est, quo Augustus, Roma profectus a. 727. [2], postquam Tarracone octavum et nonum consulatum inierat [3], Romam rediit [4], decimo suo consulatu. Bellum autem sociale cum gestum sit ab a. 663. s. 664. [5], ad a. 672. [6], vinum, quod petit Horatius, fuerit annorum sexaginta vel amplius necesse est. Memorantur vina maioris etiam vetustatis a Cicerone [7] et a Plinio [8], sed tamen mirum est, uti observat Cl. Peerlkampius, Horatium eiusmodi ita cito requirere. Spartacus inter acerrimos hostes Romanos recensetur. Romam, Horatius inquit Epod. XVI. v. 3. sqq.:

> neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
> Minacis aut Etrusca Porsenae manus,
> Aemula nec virtus Capuae, nec Spartacus acer, cet.

magnum enim terrorem cum suo exercitu servili Ro-

---

[1] Apposite confert Mitscherlichius Iuvenalis Sat. V. v. 30. sq.

[2] Dio Cassius Libr. LIII. c. 22.

[3] Suetonius In Vita Augusti c. 26.

[4] Dio Cassius l. l. c. 28.

[5] Velleius Libr. II. c. 15., Florus Libr. III. c. 18. § 8., Appianus de Bello Civili Libr. I. c. 40.

[6] Livius Epit. Libr. LXXXVIII.

[7] In Bruto c. 83.

[8] Nat. Hist. Libr. XIV. c. 4. Sect. 6.

manis iniecerat, donec victus fuerit a Crasso a. 683., quamvis eius victoriae gloriam Pompeius ei eripuerit[1].

Significatur clades, quam CRASSUS acceperat a Parthis Libr. III. Carm. 5. v. 5. sqq.:

> Milesne Crassi coniuge barbara
> Turpis maritus vixit? et hostium
> (Proh curia, inversique mores!)
> Consenuit socerorum in arvis
>
> Sub rege Medo Marsus et Appulus.

Vs. 8. in omnibus codicibus, uno Ianii excepto, legebatur: *armis*. *Arvis* autem legendum esse censuit Faber, quem secuti sunt Heinsius, Bentleius aliique. Codicum lectionem inter recentiores tuetur Orellius [2], provocans ad locum Iustini Libr. XLI. c. 2.: (« Parthi) exercitum non, ut aliae gentes, liberorum, sed maiorem partem servitiorum habent, » Velleiique Libr. II. c. 82.: (Antonius, in expeditione contra Parthos, fuit) captivi cuiusdam, sed Romani, consilio ac fide servatus, qui clade Crassiani exercitus captus, cum fortunam non animum mutasset, accessit nocte ad stationem Romanam, praedixitque, ne destinatum iter peterent, sed diverso silvestrique pervaderent. » Idem Florus tradit Libr. IV. c. 10. § 4. [3], tum praeterea conferri potest locus Caesaris de Bello

[1] Livius Epit. Libr. XCVII., Velleius Libr. II. c. 30., Florus Libr. III. c. 20. § 12., Plutarchus in Vita Crassi c. 11., in Vita Pompeii c. 21., Appianus de Bello Civili Libr. I. c. 120. et 121.

[2] Cf. excursus Vanderburgii Tom. II. p. 327. sqq.

[3] Apud Plutarchum in Vita Antonii c. 46. et 48. bis ita facit Mithridates, Iussu avunculi sui Monesis, qui olim benigne ab Antonio exceptus fuerat. Plutarchi locum descripsit Auctor Parthicorum Appiani, ut vulgo feruntur.

Civili Libr. III. c. 110., ubi de militibus, quos Gabinius ex Pompeii exercitu acceperat, Alexandriamque traduxerat, ut Ptolemaeum restitueret, quique, bello confecto, apud regem relicti fuerant, nunc etiam in eius exercitu militabant, ita traditur: «iam in consuetudinem Alexandrinae vitae ac licentiae venerant, et nomen disciplinamque Populi Romani dedicerant, uxoresque duxerant, ex quibus plerique liberos habebant [1].» In loco tamen Horatiano propter coniugum mentionem, propterque illud *consenescere* cum soceris hostibus, unice mihi placet lectio: *arvis*, quam in suis libris iam invenerant Scholiastae, qui haec annotant; Acron: «*Uxores a victoribus acceperunt, ut vitam mererentur, et velut propriis in sedibus omnem iam aetatem agerent*,» eademque Cruquianus, Porphyrion: «— *eos, qui sub Crasso militaverant, oblitos Romanae virtutis, apud Parthos resedisse.*» Est praeterea locus Dionis Cassii, Libr. LIV. c. 8., ubi de Romanis captivis apud Parthos: «κατὰ χώραν λαθόντες ἔμειναν,» quo *arvis* recte tuebimur.

Notatur Crassus, quod, spretis ominibus, bellum susceperit contra Parthos, cuius vero impietatis gravissimas poenas dedit victus atque occisus ab hostibus [2], Libr. III. Carm. 6. v. 9. sqq.:

---

[1] Cf. l. l. Cap. 103.

[2] Cicero de Divinat. Libr. I. c. 16., Libr. II. c. 40., Livius Epit. Libr. CVI., Dionysius Halicarn. Ant. Rom. Libr. II. c. 6., Strabo Libr. XVI. p. 747. sq., Velleius Libr. II. c. 46., Valerius Max. Libr. I. c. 6. n. 11., Plutarchus in Vita Crassi c. 16., 18., 19., 21. et 23., (quem descripsit Auctor Parthicorum vulgo Appiano attributorum,) Florus Libr. III. c. 11., Iustinus Libr. XLII. c. 4., Dio Cassius Libr. XL. c. 16. sqq., ut plures taceam.

Iam bis Moneses, et Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros, et adiecisse praedam
Torquibus exiguis renidet,

ubi haec annotant Scholiastae; Acron: «*Monaeses et Pacorus reges Persarum fuerunt, adversus quos Romani contra numinum voluntatem pugnaverunt infeliciter. Bis autem Parthos victoriam retulisse ob hoc dixit, quia et ante Crassum et post Decium Sextum*[1] *cum suis occiderunt,*» Porphyrion: «*Hi Parthorum reges fuerunt. Bis autem Parthos retulisse de nobis victoriam dixit, quia et Crassum antea, et tum Decium Sextum cum exercitibus occiderant,*» Cruquianus; «*Hi Parthorum reges fuerunt, — Parthi bis de Romanis victoriam retulerunt: prius enim Crassum, post Didium Saxam, legatum Antonii, cum exercitu ceciderunt,*» ut adeo victoriam de Crasso Monesi adscribant, quam historiarum scriptores ad unum omnes Surenae attribuerunt. Scholiastis fidem habuerunt Interpretes, eosque ut in concordiam redigerent cum historia, Surenam dignitatis, Monesem nomen proprium esse statuerunt; unus Cl. Peerlkampius stropham ob malam latinitatem suspectam habuit Horatioque indignam iudicavit. Equidem miror, quum stropha allata narrationem exhibeat vero prorsus repugnantem, nondum vidisse

[1] Legendum est, et ita quoque apud Porphyrionem et Scholiastam Cruquianum, *Decidium Saxam*. Vid. Ruhnkenius ad Velleii Libr. II. c. 78. De morte Saxae vid. Livius Epit. Libr. CXXVII., Velleius l. l., Florus Libr. IV. c. 9. § 5., (qui Saxae mortem paullum diverse a ceteris tradit,) Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 24. sq. Ceterum de Saxa cf. Caesar de Bello Civili Libr. I. c. 66., Cicero in Philippicis, (vid. Orellii Onomast. Tull.) Dio Cassius Libr. XLVII. c. 35 sq.

VV. DD. eam ab alio quovis, quam ab Horatio aequalive poëta profectam esse. Ut enim taceam, Surenae nomen tamquam proprium, non dignitatis, usurpari a Livio, a Strabone, a Plutarcho, ab omnibus recentioribus [1], ex quibus ne Ammianum quidem excipio, ad quem saepius provocatum fuit [2], — unus Zosimus [3], res sui temporis referens, «Σουρήνας,» inquit, «ἀρχῆς δὲ τοῦτο παρὰ Πέρσαις ὄνομα,» sed aliter veteres, — ut adeo necesse sit, Horatium peritiorem fuisse rerum Parthicarum, quam ullum alium sui temporis scriptorem, itaque vitasse errorem, quo decepti fuerint omnes, sed hoc ut taceam, quinam tandem fuit impetus ille inauspicatus Romanorum in Pacorum, Parthorum ducem, quae Pacori eorum ultio. Relatum legimus, Bruto Cassioque devictis, Parthos, duce Pacoro, initium belli contra Romanos fecisse, Saxam cecidisse, longe lateque in Asia grassatos esse; donec tandem Pacorus victus fuerit caesusque a P. Ventidio, M. Antonii legato, idque, divino numine, eodem die, quo Crassus antea a Surena occisus fuerat [4]. Ita

---

[1] Livius Epit. Libr. CVI., Strabo Libr. XVI. p. 747., Plutarchus in Vita Antonii c. 21., (e quo loco prae ceteris apparet Surenae nomen proprium fuisse, cf. Taciti Annal. Libr. VI. c. 42.,) Dio Cassius Libr. XL. c. 16., Eutropius Libr. IV. c. 18., Sextus Rufus Breviar. c. 17., Orosius Libr. VI. c. 13. Surena post victoriam de Crasso iussu regis interfectus fuit, vid. Plutarchus in Vita Crassi c. 33.

[2] Libr. XXIV. c. 2., 3 et 6., Libr. XXX. c. 2. Dicit nihil amplius Ammianus, nisi Surenam id temporis promeritae dignitatis post regem Persarum fuisse.

[3] Libr. III. c. 15.

[4] Vellcius Libr. II. c. 78., Plutarchus in Vita Antonii c. 33. sq., Florus Libr. IV. c. 9., Iustinus Libr. XLII. c. 4., Dio Cassius Libr.

Strabo [1]: «οἱ δὲ Παρθυαῖοι καὶ πρότερον μὲν ἐφρόντιζον τῆς πρὸς Ῥωμαίους φιλίας, τὸν δὲ ἄρξαντα πολέμου Κράσσον ἠμύναντο· καὶ αὐτοὶ ἄρξαντες τῆς μάχης τῶν ἴσων ἔτυχον, ἡνίκα ἔπεμψαν ἐπὶ τὴν Ἀσίαν Πάκορον.» Ita Plutarchus [2]: «Τοῦτο τὸ ἔργον,» victoriam Ventidii dicit, «ἐν τοῖς ἀοιδιμωτάτοις γενόμενον, Ῥωμαίοις τε τῶν κατὰ Κράσσον ἀτυχημάτων ἔκπλεω ποινὴν παρέσχε, καὶ Πάρθους αὖθις εἴσω Μηδίας καὶ Μεσοποταμίας συνέστειλεν.» Estne hic Romanorum impetus inauspicatus, haec Pacori victoria? Fecerunt Romani, post Crassum, alterum impetum inauspicatum in Parthos, fecerunt pari infortunio, verum ita demum post Pacori mortem, cum M. Antonius, quamvis foedere icto cum Parthis, sine causa, sine consilio, ne bello quidem indicto, expeditionem suscepit contra Phraatem, infelicissime vero dimicavit, multa millia militum, signa etiam militaria amisit, vix tandem ex hostibus evasit, seque Alexandriam recepit [3]. Haec altera clades fuit, Antoniana, saepius a scriptoribus composita cum illa Crassiana [4]. Hanc legerat, quisquis fuit, auctor strophae illius, Carmini Horatiano insertae, et cum hostili Pacori impetu inauspicato confudit, nec satis hoc habuit sed

---

XLIX. c. 20. sq., Eutropius Libr. VI. c. 5., Orosius Libr. VI. c. 18. De Ventidio cf. Iuvenalis Sat. VII. v. 199. sqq. Gellius Libr XV. c. 4.

[1] Libr. XVI. p. 748.

[2] In Vita Antonii c. 34.

[3] Livius Epit. Libr. CXXX. et CXXXI., Strabo Libr. XVI. p. 524. et 532., Velleius Libr. II. c. 82., Plutarchus in Vita Antonii c. 39. sqq., Florus Libr. IV. c. 10., Iustinus Libr. XLII. c. 4., Dio Cassius Libr. XLIX. c. 25. sqq.

[4] Velleius Libr. II. c. 91., Suetonius in Vita Augusti c. 21., Iustinus Libr. XLII. c. 5., Dio Cassius Libr. LIII. c. 33.

Monesi, homini prorsus alieno [1], victoriam de Crasso tribuit, quam Surena Sillacesque reportarant, ut adeo victoriam nominarit, quae fuerit clades, nominaque ducum Parthicorum, quae memoria teneret, turpissime inter se permutarit. Itaque stropha haec, quae nimium diu Interpretes decepit, exulabit, me iudice, ex Carmine Horatiano.

Caius Iulius Caesar saepius, sed obiter tantummodo, commemoratur. In Epistola ad Torquatum, Libr. I. 5., ita Horatius vs. 9. sqq.:

> Cras nato Caesare festus
> Dat veniam somnumque dies. inpune licebit
> Aestivam sermone benigno tendere noctem,

ubi alii Iulii Caesaris diem natalem, alii Caesaris Augusti cogitant [2]. Qui hunc intelligunt, negant Iulium Caesarem usquam ab Horatio solo Caesaris nomine designari [3], quod uti verum esse potest, hoc tamen in loco, ubi dubium esse non poterat, uter Caesar significaretur, recte ita facere potuit Horatius. Qui Iulium Caesarem interpretantur, aestivae noctis mentionem, vs. 11., obstare dicunt, quominus Augusti dies natalis, IX. a. Kal. Oct. [4],

---

[1] De Monese vid. Plutarchus in Vita Antonii c. 37., 46. et 48., Dio Cassius Libr. XLIX. c. 23. sq. Cf. supra p. 267. n. 3.

[2] Torrentius, Rodellius et Sanadonus interpretati sunt festum ob Caium Caesarem, Agrippae ex Iulia natum a. 734., vid. Dio Cassius Libr. LIV. c. 8. Is vero ante suam adoptionem Caesaris nomen non habebat.

[3] Iidem tamen Interpretes in Libr. I. Carm. 2. v. 44. et 52. Caesarem modo Iulium Caesarem, modo Augustum interpretantur.

[4] Suetonius in Vita c. 5., Gellius Libr. XV. c. 7., Fogginius Fast. anni Rom. Reliq. p. 113. Cf. de eo Tacitus Annal. Libr. I. c. 15.,

intelligatur, sed confutati fuerunt ab adversariis, loco Virgilii Georg. Libr. I. v. 311. sqq.:

> Quid tempestates auctumni et sidera dicam?
> Atque ubi iam breviorque dies et mollior aestas,
> Quae vigilanda viris;

et Calpurnii Ecl. I. v. 1. sqq.:

> Nondum Solis equos declivis mitigat aestas,
> Quamvis et madidis incumbant praela racemis
> Et spument rauco ferventia musta susurro:

ubi aestas similiter pro auctumno usurpatur. Iulii Caesaris dies natalis celebrabatur a. d. IV. Id. Iul.[1], quamvis natus erat a. d. III. Triumviri enim, cum constituissent, ut ille dies publice celebraretur, simul, quod incideret in ludos Apollinares [2], ut ita fieret pridie eius diei quo natus esset, statuerunt [3]. Uter dies natalis

---

Suetonius l. l. c. 57., Dio Cassius Libr. LI. c. 19., Libr. LIV. c. 8. et 26. Diversus festus ille erat ab Augustalibus, quae a. 735. instituta fuerunt, vid. Dio Cassius Libr. LIV. c. 10. et 34., Libr. LVI. c. 46., quamvis ipse Augustalia cum die natali Augusti confundat Libr. LVI. c. 29. Augustalia autem celebrabantur a. d. IV. Id. Oct. vid. Kalendar. Maff. et Amit. apud Fogginium l. l. Utrum Augusti dies natalis in d. IX. a. Kal. Oct. incidat ex ratione Kalendarii Pompiliani an Iuliani dubium est, qua de re cf. Burmannus ad Suetonius l. l. c. 5., Idelerus *Handb. der Chronol.*, T. II. p. 112. sqq., Korbius in Orellii Onomastico Tulliano P. I. p. 138. et Weichertus Imp. Caesaris Aug. Reliq. T. I. p. 3. sqq.

[1] Macrobius Saturn. Libr. I. c. 12., Kalendar. Amit. et Antiat. apud Fogginium l. l. Conferatur tamen infra n. 3. Perperam Porphyrion Idus Iulias designat, cui fidem habere non debuerat Weichertus de Vario et Cassio p. 313. sqq.

[2] Livius Libr. XXVII. c. 23.

[3] Dio Cassius Libr. XLVII. c. 18. Cf. Libr. XLIV. c. 4. Fogginius l. l. p. 123. ex Dione colligit Iulii Caesaris natalitia non pridie eius diei natalis, sed pridie ludorum Apollinarium a. d. III. Non. Iul. fuisse celebrata.

sit praeferendus vix dicas, hoc vero satis mirari nequeo, Weichertum, Orellium, Obbarium, alios, qui Augusti diem natalem interpretati sint, gratam quandam huius commemorationem in Horatii verbis reperisse. Cuius diem natalem somno, usitato longiorem, destines, eiusne ut blandam gratamque commemorationem facias! Nihil aliud, si quid iudico, dicit Horatius, quam iustitium futurum esse, quod otium esset daturum Torquato, alias in causis agendis quam maxime occupato.

Societatis potentiae, quam Caesar iniit cum Pompeio et Crasso, de quo Horatius Libr. II. Carm. 1. v. 3. sq., mentionem iam fecimus [1]; infra videbimus de necessitudine, quae illi intercessit cum Tigellio Sardo, vid. Libr. I. Sat. 3. v. 3. sqq.

Mortis Caesaris prodigiorumque, quae eam secuta fuerunt [2], mentio fit Libr. I. Carm. 2. v. 1. sqq.:

> Iam satis terris nivis atque dirae
> Grandinis misit Pater, et rubente
> Dextera sacras iaculatus arces
> Terruit Urbem:

et paullo post vs. 13.:

> Vidimus flavum Tiberim, retortis
> Litore Etrusco violenter undis,
> Ire dejectum monumenta Regis,
> Templaque Vestae:

---

[1] Pag. 265.

[2] Virg. Georg. Libr. I. v. 466. sqq., Ovidius Metamorph. Libr. XV. v. 782. sqq., Tibullus Libr. II. Eleg. 5. vs. 71. sqq., Plinius Nat. Hist. Libr. II. c. 30. Sect. 30., Plutarchus in Vita c. 69., Dio Cassius Libr. XLV. c. 17., Libr. XLVI. c. 33., Iulius Obsequens c. 128. De stella crinita, quae post necem Caesaris apparuit iam vidimus p. 248. n. 2.

ubi tamen alii non illa prodigia interpretantur, sed quae postea a. 727. vel 732. fuerunt; alii denique prodigia [1] omnino non esse, quae ab Horatio designantur, sed poenas ob mortem Caesaris bellaque civilia, quas Dii a Romanis repetiverunt. Prodigia post mortem Caesaris respici negant, quod in his Tiberis exundatio non commemoretur a scriptoribus. Dubito tamen an recte statuamus Tiberim, ut saepius [2], ita quoque id temporis suum alveum excessisse. Narrat Dio Cassius Libr. XLV. c. 17., inter prodigia a. 711.: «ἰχθῦς ἐκ τῆς θαλάσσης ἀμύθητοι κατὰ τὰς τοῦ Τιβέριδος ἐκβολὰς ἐς τὴν ἤπειρον ἐξέπεσον,» pisces autem in terra exponi non possunt, nisi mare, vi tempestatis longius usitato in littus progressum, post denuo recesserit, pisces in arena relinquens. Observat Seneca, laudante Mitscherlichio, Nat. Quaest. Libr. III. c. 26. § 1., fluvios subito excrescere «si crebrioribus ventis ostium caeditur, et reverberatus fluctu amnis restitit: qui crescere videtur, quia non effunditur.» Quae si comparamus cum Horatii loco, fit verisimile, id temporis quoque Tiberis aquas retortas fuisse a mari Etrusco, ventorum vehementia contra suum ostium adacto, itaque in sinistram ripam, dextra depressiorem, aquas effudisse. Tiberim enim a dextra, sive Etrusca, in sinistram ripam, contorsisse aquas suas, ea naturae rerum con-

---

[1] Festus Libr. XIV.: «*Prodigia*, quae praedicunt futura.» Cicero de Natura Deorum Libr. II. c. 3., de Divinat. Libr. I. c. 42.

[2] A. 727., vid. Dio Cassius Libr. LIII. c. 20., a. 731., id. ibid. c. 33., a. 732., id. Libr. LIV. c. 1., a. 741., id. ibid. c. 25. Vid. Frankius Fast. Horat. p. 140. n. 2.

traria interpretatio est [1]. Sed diverse quoque sentiunt VV. DD. de Carminis aetate, proque vario tempore, quo illud compositum fuisse putant, variam eius interpretandi rationem inierunt. Rodellius, nuper etiam Fuerstenavius [2], Carmen scriptum esse putavit cum recens memoria esset mortis Caesaris, prodigiorumque, quae secuta erant; Weberus ad a. 723. ineuntem retulit [3], Frankius ad a. 725. [4], Sanadonus adscripsit a. 727. [5], Massonus, quem plurimi secuti fuerunt, a. 732. [6]. Ut vere dicam, nullum mihi idoneum tempus esse videtur, in quod apte hoc Carmen

[1] Hanc tamen Tiberis inundationem, si quidem mortem Caesaris secuta fuerit, ne hoc loco intelligamus, obstare dicunt Interpretes, quod Horatius eam videre non potuerit, dicit autem vs. 13. sqq.: «*Vidimus* flavum Tiberim, cet.» An iidem Interpretes statuunt Virgilium vidisse montis Aetnae eruptionem, quam descripsit Georg. Libr. I. vs. 471. sqq.:

Quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam, cet.,

quem potius Eridani exundationem, quam quoque inter prodigia mortem Caesaris secuta, eodem loco describit, vs. 480. sqq., suis oculis vidisse statuamus, quam montis Aetnae eruptionem?

[2] De Carminum aliquot Horat. Chronol. p. 1., 7. sqq. Idem facturi fuerant Faber et Dacerius, nisi quod statuebant, propter vs. 50., Carmen scriptum non esse ante VI. Coosulatum Augusti, quo Princeps Senatus dictus fuit, vid. Dio Cassius Libr. LIII. c. 1. Longe vero alia ratione hoc in Carmine *Pater atque Princeps* dicitur Caesar, ut infra videbimus.

[3] In *Neue Jahrb. f. Philol. u. Paedag.* IX. *Suppl. Bd.* p. 289. sqq.

[4] Fast. Horat. p. 136., 144. sqq.

[5] Cogitabat de inundatione Tiberis cum Caesar Octavianus Augusti cognomen acceperat, vid. Dio Cassius Libr. LIII. c. 20. Ea vero pro fausto omine habita fuit.

[6] In Vita Horatii p. 41., 233. sqq. Eo anno Tiberis alveum excessit, multaque monumenta fulmine tacta fuerunt, vid. Dio Cassius Libr. LIV. c. 1.

collocemus. Numquam Horatius, per totam vitam, recte Caesarem Octavianum ita alloqui potuit, ut facit vs. 40.:

> mutata iuvenem figura
> Ales in terris imitaris, almae
> Filius Maiae, patiens vocari
> Caesaris ultor.

Laudare potuit Augustum Crassi ultorem, Dacorum Aethiopumque victorem, morum legumque restitutorem, nuuquam recte laudare potuit ultorem Caesaris. Hoc si fecit, ut alii statuunt, paulo post reditum in patriam, tum profecto incoustantiae, ingeniique servilis egregium uobis documeutum reliquit; siu decennio post vel amplius, ut alii, tum non modo adulator turpissimus, verum etiam iueptissimus est habendus, qui, quum tot interea bella externa atque interna, suis quaeque prodigiis comitata, tot Caesaris victoriae argumeuta Carminis conscribeudi praebuissent, id potissimum sibi sumserit argumentum, quod recte celebrare non posset. Ingenue fateor, hoc uuo Carmine omnes meas notiones de Horatii ingeuio, indole vitaeque rationibus, ex assidua lectione eius Carminum susceptas, confundi atque turbari, meque, quamvis legerim, diligeutissime etiam legerim, multas de eo doctasque Commeutationes, uunquam eius causam, consilium, ratiouem capere potuisse. Unum hoc addo: pro illo invidioso: *Caesaris ultor*, aliud quoddam, velut: *Crassi ultor* [1], substituere liceret, fore, ut multo facilior esset ratio interpretandi.

---

[1] Signis a Phraate receptis Augustus templum statuit Ἄρεος Τιμωροῦ, vid. Dio Cassius Libr. LIV. c. 8.

Verbo addam, hortorum Caesaris, quos populo legaverat [1], mentionem fieri Libr. I. Sat. 9. v. 18.:

> Trans Tiberim longe cubat is, prope Caesaris hortos.

Solus Iulius Obsequens, quod sciam, eos collocat ad portam Collinam, c. 131, quae cis Tiberim erat. Perperam quoque Cruquius ad portam Portuensem, cum essent extra Septimianam.

Bibulum, Caesaris collegam in consulatu a. 695., commemorat Horatius Libr. III. Carm. 28. v. 7. sq., ubi ita ad Lydiam:

> Parcis deripere horreo
> Cessantem Bibuli consulis amphoram.

Sunt qui putent, Horatium in voce *cessantem* inertiam et impotentiam Bibuli adversus collegae sui consilia respexisse [2], rectius vero Mitscherlichius provocavit ad versum Virgilii Aeneid. Libr. VI. 210. sq.:

> Conripit Aeneas extemplo, avidusque refringit
> Cunctantem.

Bibulus morbo periit, confectus laboribus, in bello civili contra Caesarem a. 706. [3]. De filio eius, qui

---

[1] Cicero Phil. II. c. 42., Tacitus Annal. Libr. II. c. 41., Suetonius in Vita Caesaris c. 83., Plutarchus in Vita Bruti c. 20., Quaest. Rom. 5., Appianus de Bello Civili Libr. II. c. 143., Dio Cassius Libr. XLIV. c. 35.

[2] Cicero ad Atticum Libr. II. Epist. 14., 15., 16., 19., 20., 21. et 24., pro Domo c. 15., de Harusp. resp. c. 23., in Vatinium c. 9. et 10., Livius Epit. Libr. CIII., Velleius Libr. II. c. 44., Suetonius in Vita Caesaris c. 10., 19. et 20., Appianus de Bello Civili Libr. II. c. 9.—12., Dio Cassius Libr. XXXVIII. c. 4., 6. et 8.

[3] Caesar de Bello Civili Libr. III. c. 18., Cicero Brut. c. 77., Dio Cassius Libr. XLI. c. 48., Orosius Libr. VI. c. 15.

memoratur Libr. I. Sat. 10. v. 86., infra videbimus.

Mamurra, una cum Caesare a Catullo infamiae traditus [1], hic quoque cum illo est memorandus. Perstringit Horatius vanitatem hominis, qui, cum Formiis infimo loco natus esset, Caesaris favore ad summum gradum honoris pervenit:

In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,

ita loquens, Libr. I. Sat. 5. v. 37., quasi alteram Lamiarum familiam, Formiis quoque oriundam, significaret. Mamurra autem, quas divitias congesserat, eas luxuria consumpsisse videtur [2].

Sed pergendum est ad M. Brutum, *τυραννοκτόνον*, cum suis, de quibus singulari Sectione videbimus.

§ 6.

Est hoc constantiae Horatii ingeniique liberalis magnum documentum, quod in Carminibu ssaepius Bruti, quo duce tribunus militum fuit, mentionem faciat, obiter quidem, sed tamen honorifice, neque suam cum illo necessitudinem infitietur. Socios vero suos, eiusdem causae participes: Pompeium Varum, Torquatum, Septimium, Messallam, Pisonem, semper in numero amicorum habuit et effusa amoris significatione amplexus fuit. Est profecto egregia haec praestantissimi viri commendatio, quam si quis detrectet, dolendumne sit, an indignandum dubium mihi videtur.

[1] In Carm. XXIX., XLI., XLIII. et LVII., cf. Suetonius in Vita Caesaris c. 73.

[2] Cicero ad Atticum Libr. VII. Epist. 7., Plinius Nat. Hist. Libr. XXXVI. c. 6. Sect. 7.

Fuit itaque Horatius tribunus militum in exercitu Bruti, quamvis incertum sit, qua ratione ad illum honorem pervenerit. Quam gratum vero illi fuerit probari a Bruto, testatur locus in Epistola 20. Libr. I. ubi ita ad Librum suum vs. 20. sqq.:

> Me libertino natum patre, et in tenui re,
> Maiores pennas nido extendisse loqueris;
> Ut, quantum generi demas, virtutibus addas:
> Me primis Urbis belli placuisse domique:

haec cum annum ageret quadragesimum quartum, (vid. vs. 27. sq.,) tum etiam illam Bruti amicitiam honori sibi ducebat palamque praedicabat. Et ita facere poterat, salvo Augusti favore, uti testantur exemplа, quae supra [1] contulimus. Pulcherrimam autem pugnae Philippensis commemorationem facit in Carmine ad Pompeium Varum, Libr. II. 7. v. 9. sqq.:

> Tecum Philippos et celerem fugam
> Sensi, relicta non bene parmula;
> Cum fracta virtus et minaces,
> Turpe [2] solum tetigere mento,

Bruti, Cassii, aliorum, fractam virtutem deplorans, suam ipsius ceterorumque indignans ignaviam fugamque; quae mihi certe sententia loci videtur. Quo tan-

---

[1] Vid. p. 244. n. 1. Cf. quoque infra de L. Sestio.

[2] Ita Cl. Peerlkamplus, quem vide, comprobante Mosero in Epistola crit. de Horatio Peerlkampii. Pugnae Philippensis meminit quoque Libr. III. Carm. 4. v. 26. sqq.:

> Non me Philippis versa acies retro,
> Devota non exstinxit arbor,
> Nec Sicula Palinurus unda,

de cuius aetate cf. Frankius Fast. Horat. p. 188. sq.

dem vultu idem ille Horatius Pompeium, Messallam ceterosque superstites socios Bruti, quo vultu eos adspicere potuit, cum illud Carmen 2. Libr. I. composuisset in honorem ultoris Caesaris, aut certe, nam de Carminis consilio ambigitur, cum ultorem illum divinitus in terras delatum finxisset [1]. Vellem, iterum dico, vellem nova interpretandi ratio, sive insperata emendatio difficillimi loci mihi hunc scrupulum eximeret, qui nunc me vexat, quoties cogitem de Horatii indole, ingenio rationibusque vitae. Scripsit ad Pompeium Varum circa a. 724., aetatis XXXV. [2], postea, provectiore aetate, cum scriberet ad Iulium Florum, Libr. II. Epist. 2. vs. 41. sqq., eiusdem rei, aequo animo, mentionem fecit, cum quadam commiseratione imperitiae iuvenilis et temeritatis, qua arma susceperat in bello civili, tristissimique eventus, quem pugna Philippensis cum sibi, tum ceteris, habuerat:

> Romae nutriri mihi contigit, atque doceri
> Iratus Graiis quantum nocuisset Achilles.
> Adiecere bonae paullo plus artis Athenae:
> Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum [3],
> Atque inter silvas Academi quaerere verum.
> Dura sed emovere loco me tempora grato;
> Civilisque rudem belli tulit aestus in arma,
> Caesaris Augusti non responsura lacertis.

---

[1] Quid cogitavit Frankius, vir diligentissimus, cum in sua Tabula Chronologica, Fast. Horat. p. 232., haec duo Carmina iuxta se collocaret? Dubitanter quidem, adscripsit enim signum interrogationis, sed tamen composuit.

[2] Prorsus enim assentior egregiae sententiae Grotefendi de Carminis huius aetate, de qua post videbimus.

[3] Vid. p. 123. n. 2.

Unde simul primum me dimisere Philippi
Decisis humilem pennis, inopemque paterni
Et laris et fundi, paupertas impulit audax,
Ut versus facerem.

Se iuvenem ita fecisse non miratur, neque improbat, aetate vero ingravescente aliis oculis atque olim rerum rationes inspiciebat. — Vox *audax*, me iudice, iungatur verbo *facerem*, itaque comma, quod eam sequitur, post *impulit* transponatur, eritque haec facillima interpretatio loci: Paupertas me impulit, paupertas causa fuit, ut audax versus facerem, securus reprehensionum, conviciorum, simultatumque, quae mihi inde oritura essent.

Libr. I. Sat. 7. lepidam Persii cuiusdam et Rupilii Regis historiunculam tradit Horatius, quam, uti mihi videtur, ea de causa divulgavit, ut Rupilium, quocum in castris Bruti dissenserat, testibus Scholiastis, cum ab eodem Romae quoque peteretur, risui exponeret traduceretque. Satira autem haec omnium prima scripta fuisse videtur, itaque statuerunt omnes Interpretes, Frankio excepto, qui retulit ad a. 718. [1]. Accidit res, quae in ea narratur, ut ait ipse Horatius vs. 18.: «Bruto praetore tenente Ditem Asiam.» Brutus praetor urbem egressus fuerat [2], fuerantque illi cum Macedonia, tum etiam Bithynia provinciae decretae [3]. Invasit praeterea Lyciam, eamque subie-

[1] Fast. Horat. p. 103. Idem sibi ironiam, sive apathiam quandam Horatii deprehendere visus est in Bruti mentione vs. 23. sqq. et 33. sqq.

[2] Appianus de Bello Civili Libr. III. c. 6., Libr. IV. c. 57., Dio Cassius Libr. XLVII. c. 20.

[3] Appianus l. l. Libr. III. c. 8., Dio Cassius l. l. c. 21.

cit, quo tempore conventum illum Clazomenis habere potuit, de quo Horatius vs. 5., cl. 18. Dicitur praetor ab Horatio, quamvis proprie dicendus fuerat propraetor. Idem proconsul a Cicerone [1] et in nummis [2] vocatur, quum contra P. Servilius Isauricus et M. Bibulus, qui proconsules erant, alter propraetor [3], alter praetor [4] ab eodem Cicerone dicantur. Nomina praetoris, propraetoris et proconsulis sine discrimine interdum usurpata fuerunt [5]. Rupilii autem historiam ita tradit Horatius:

> Proscripti Regis Rupili pus atque venenum
> Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
> Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.
> Persius hic permagna negotia dives habebat
> Clazomenis, etiam litis cum Rege molestas;
> Durus homo, atque odio qui posset vincere Regem;
> Confidens, tumidusque; adeo sermonis amari,
> Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.

RUPILIUM REGEM hominem non obscurum fuisse apparet ex eo, quod a triumviris proscriptus fuerit. Mirati fuerunt Interpretes, quid Horatius, partes easdem atque Rupilius secutus, huic pro ridiculo imputaverit, quod esset proscriptus. Ego vero in voce *Proscripti* nihil ridiculi latere puto; Horatium lusisse censeo in ambiguo vocum *Proscripti Regis*, quas, si quis

---

[1] Philipp. II. c. 38. Ita quoque Cassius Libr. XII. Epist. ad Div. II. et 12.

[2] Fulv. Ursinus Fam. Rom. p. 128.

[3] Cicero ad Div. Libr. XIII. Epist. 67., cl. Epist. 68.

[4] Id. ibid. Libr. II. Epist. 17.

[5] Graevius ad Cic. pro lege Manilia c. 21., Perizonius Animadv. Hist. p. 308. sqq., Ernestius in Clavi Cic. in vocibus *Proconsul* et *Praetor*, Cl. Bakius ad Cic. de Legibus Libr. I. c. 20.

legisset, cogitaturus erat de proscripto rege Tarquinio, sequebatur autem *Rupilii* nomen; quem nisi statuimus eo tempore, quo Satiram suam edidit Horatius, Romae bene notum fuisse civibusque invisum, omnis gratia Satirae omnisque opportunitas interibunt. Rectius etiam statueremus, Horatium eam in castris Bruti scripsisse eiusque comitibus recitasse, nisi minus probabile esset Horatium, qui non ita facile sua carmina fundebat, inter armorum strepitum versibus componendis vacasse. Exstant de Rupilio bonae notae scholia; Porphyrionis: «*Rupilius cognomine Rex, Praenestinus, post exilium* [1], *in quod damnatus fuerat, militavit in Attica sub Actio Varo. Deinde, cum praeturam gereret, proscriptus a Triumviris confugit ad Brutum et inter comites habitus est. Ibi militantem Horatium Flaccum iurgio lacessivit, propter quod amaritudinem stili poëta in eum strinxit,*» et Cruquiani: «*Publius* [2] *Rupilius Rex, Praenestinus, postquam a Praenestinis in exilium missus esset, in Attica militavit sub Actio; deinde, cum praeturam gereret, in triumviratu proscriptus ab Augusto confugit ad Brutum, in cuius castris cum Horatio commilito, tulit aegre tribunum eum esse militum, generis ignobilitatem ei saepius exprobrans.*» Couiecit Spohnius [3], hunc esse P. Rupilium P. F. Men., publicanum, magistrum societatis Bithynicae, quem Crassipedi, Bithyniae quaestori, commendat Cicero Libr. XIII. Epist. ad Div. 9., quam idem Spohnius a. 702. tribuit. Pro: «*in Attica sub Actio Varo*,»

[1] *Post exilium* habet quoque Acron, cuius scholion ad hunc locum minoris momenti est quam aut Porphyrionis aut Cruquiani.

[2] Ita quoque ab Acrone vocatur.

[3] In Iahnii Horat. Edit. sec. p. 257.

in utroque scholio legendum esse: «*in Africa sub Attio Varo*,» idem rectissime observavit. Fuit autem P. Attius Varus, Pompeianus, qui, Caesare adventante, in Africam, quam pro praetore a Pompeio obtinuerat, traiecit [1], provinciam occupavit, Tuberonem Africa expulit, Curionem ad internecionem snperavit [2], tandem vero ab ipso Caesare victus in Hispaniam ad Cn. Pompeinm profugit [3]. Snb hoc igitur militaverat Rupilius, postea veniam impetrasse a Caesare, praeturaque decoratus fuisse videtnr, deni que, Caesare occiso, proscriptus a triumviris, ad Brutum profectus est. Post pugnam Philippensem Romam, ut multi alii, redire potuit, neqne enim ex eo, quod proscriptus fuerit, illum in numerum percussorum, qnos omnes tollendos decreverat Caesar Octavianus, referamus necesse est. Pergit antem Horatius vs. 18. sq.:

Bruto praetore teuente
Ditem Asiam, Rupili et Persi par pugnat, uti non
Coupositi melius cum Bitho Bacchius. in ius
Acres procurruut; maguum spectaculum uterque.
Persius exponit causam: ridetur ab omni
Couventu: laudat Brutum, laudatque cobortem:

---

[1] Cicero ad Atticum Libr. VII. Epist. 13., 15. et 20., pro Ligario c. I. et 2., Caesar de Bello Civili Libr. I. c. 13. et 31., Plutarchus in Vita Catonis minoris c. 56. et 57.

[2] Caesar l. l. Libr. II. c. 23—44., Appianus de Bello Civili Libr. II. c. 44—46., Dio Cassius Libr. XLI. c. 41. sq., Orosius Libr. VI. c. 15.

[3] Hirtius de Bello Africano c. 44., 62., 63. et 90., de Bello Hispan. c. 27., Dio Cassius Libr. XLII. c. 56. sq., Libr. XLIII. c. 31., Eutropius Libr. VI. c. 23., (ubi male legitur Q. Varus, qui prorsus diversus fuit homo, vid. supra pag. 118. et 204.) In pugna ad Mundam cecidit, vid. Auctor de Bello Hispan. c. 31., Velleius Libr. II. c. 55., Appianus l. l. c. 105., Orosius l. l. c. 16.

Solem Asiae Brutum adpellat, stellasque salubris
Adpellat comites, excepto Rege: Canem illum,
Iuvisum agricolis sidus, venisse [1]: ruebat
Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.
Tum Praenestinus salso multoque fluenti
Expressa arbusto regerit conuicia; durus
Vindemiator, et inuictus, cui saepe uiator
Cessisset magna conpellans uoce cuculum.

Illud *Praenestinus, — durus Vindemiator, et invictus*, si comparamus cum Scholiastarum, Acronis et Cruquiani testimonio, Rupilium saepius Horatio in castris Bruti ignobilitatem generis obiecisse, nescio an recte statuamus, ipsum Rupilium humili genere, patre rustico natum fuisse, quod cum ipse oblitus esse videretur, illi in memoriam revocavit Horatius. Persius quis fuerit, incertum est. Hybrida, testibus Scholiastis, dicebatur, quod patre Graeco, matre Romana natus esset. Ita proprie vocabantur sues ex apris porcisque nati, teste Plinio [2], vel canes ex venaticis gregariisque, quod testantur Acron et Porphyrion; hinc appellatio transiit in eos, quibus obscurum ius civitatis erat [3], quive, patre Romano et matre peregrina, vel contra, nati fuerant [4]. Persius autem, vs. 33. sqq.:

postquam est Italo perfusus aceto,
Persius exclamat: Per magnos, Brute, Deos te

[1] Egregie Acron: « *Rupilius Rex comes fuit Bruti, solem ergo dicebat Brutum, et comites, stellas salubris, Rupilium vero caniculārem stellam, hoc est, Syrium.* »

[2] Nat. Hist. Libr. VIII. c. 53. Sect. 79., Martialis Libr. VIII. Epigr. 22.

[3] Valerius Max. Libr. VIII. c. 6. u. 4.

[4] Suetonius in Vita Augusti c. 19., Martialis Libr. VI. Epigr. 39. Cf. Livius Libr. XLIII. c. 3., Hirtius de Bello Africano c. 19.

Oro, qui reges consuesti tollere, cur non
Hunc Regem [1] iugulas? operum hoc, mihi crede, tuorum est.

Originem Bruti respiciens ex illo Bruto, qui regem Tarquinium Superbum Roma expulerat, quam, uti alii negarunt [2], alii contra de ea prorsus non dubitaverunt [3].

Observandum restat, pulcherrimam Oden 14. Libr. 1.:

O navis, referent in mare te novi
Fluctus? o quid agis? fortiter occupa
Portum. cet.,

quam Quintilianus [4] ita interpretatus fuerat, ut navis esset respublica; fluctuum tempestates, bella civilia; portus, pax atque concordia, ad Brutum retulisse Scholiastas, Acronem, (altero in scholio, in altero enim de S. Pompeio cogitat,) Porphyrionem et Cruquianum; ut illum hortatus fuerit Horatius,

---

[1] Confert Grotefendus in Erschii et Gruberi *Allg. Encyclop.* Sect. X. T. II. p. 459. Ciceronem ad Atticum Libr I. Epist. 16.: « Quousque, inquit (Clodius), hunc regem (Ciceronem) feremus? regem appellas, inquam, cum (Q. Marcius) Rex tui mentionem nullam fecerit? ille autem Regis hereditatem spe devorarat. »

[2] Dionysius Halic. Antiq. Rom. Libr V. c. 18., (cf. Libr. VI. c. 70.,) inprimis eo usus argumento quod L. Brutus esset patricio genere, Marcus contra plebeio. Potuit autem unus e posteris L. Bruti transire ad plebem, cf. Cicero in Bruto c. 16., Livius Libr. IV. c. 16. Dubitat quoque Dio Cassius Libr. XLIV. c. 12.

[3] Cicero in Bruto c. 14., Tuscul. Quaest. Libr. IV. c. 1., Philip. I. c. 6., II. c. 11., X. c. 6., (cf. quoque Nepos in Vita Attici c. 18.,) Appianus de Bello Civili Libr. II. c. 112., (cf. Plutarchus in Vita M. Bruti c. 9. et 11., Dio Cassius l. l.,) Plutarchus l. l. c. 1., in Vita Poplicolae c. 3., in Vita Caesaris c. 62., Eutropius Libr. VI c. 35. Iam ante M. Brutum genus suum a L. Bruto repetebant Bruti, vid. Cicero de Orat. Libr. II. c. 55., cf. in Bruto c. 34.

[4] Instit. Orat. Libr. VIII. c. 6. § 44.

ne susciperet bellum civile. Muretus [1] vero, quem secuti fuerunt Faber, Dacorius et Bentleius, allegoriam Carmini inesse negavit, censuit Horatium alloqui navim, qua post proelium Philippense vectus fuerit in Italiam. Torrentius putabat, Horatium versibus exprimere voluisse pulcherrimam Maecenatis comparationem reipnblicae cum navi, in ea oratione, qua Augusto persuasit, ne imperium abdicaret [2]. Post Acronem denuo ad S. Pompeium retulit Buttmannus [3]. Equidem, quare Quintilianum, elegantissimi iudicii virum, audire noluerint Interpretes non intelligo.

Socios Bruti: Pompeium Varum, Torquatum et Bibulum inter Horatii familiares, Plancum et Dellium inter Antonii comites recensebimus, de Messalla supra iam egimus inter Oratores. Supersunt autem Sestius et Piso, de quibus mentionem hoc loco faciamus.

Erat L. Sestius filius P. Sestii L. F., qui defensus fuerat a Cicerone [4]. In castris Bruti pro quaestore militaverat [5], veniam vero impetravit ab Augusto, cui tam acceptus fuit, nt in eius locum consul suffectus fuerit a. 731., quamvis semper adhuc Bruti memoriam coleret eiusque imagines magno honore haberet [6]. Huic Horatius Libr. I. Carm. 4. inscripsit, illum brevitatis vitae admonens vs. 14. sq.:

---

[1] Var. Lect. Libr. I. c. 14.

[2] Dio Cassius Libr. LII. c. 14.—41.

[3] *Mythologus* T. I. p. 344.

[4] Cicero ad Diversos Libr. XIII. Epist. 8.

[5] Ursinus Fam. Rom. p. 244. Havercampius ad Morellii Thes. T. II. p. 230. et 393.

[6] Dio Cassius Libr. LIII. c. 32., Appianus de Bello Civili Libr. IV.

o beate Sesti,
Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.

Magna varietas est in titulo huius Carminis. Porphyrion habet: *Ad P. Sextium Consularem;* Cruquianus: *Ad L. Sextium Consularem;* MSS. Vanderburgii [1]: SESTIO QUIRINO, *qui et* FESTUS *dictus est*, tribuitur autem illi in scholiis praenomen PUBLII et dignitas *Consularis*. In Fastis vero legitur: L. SESTIUS P. F. VIBI N. A Sanadono, nescio qua auctoritate, dicitur L. Sestius Nepos. In tanta Codicum dissensione a scriptura L. Sestii, quod consulis a. 731. nomen fuit, haud iniuria dubitemus, utrum hic, an alius quidam e gente Sestia, ab Horatio Carmine donatus fuerat [2]. Ceterum LYCIDAS qui prodit vs. 19. sq.:

Nec tenerum Lycidam mirabere, quo calet inventus
Nunc omnis, et mox virgines tepebunt.

quis ille puer fuerit, nusquam apparet.

PISONEM, cui Horatius filiisque Artem Poëticam, sive potius Epist. Libr. II. 3. inscripsit, ad Bruti socios cum Reenenio [3] referre non dubito. Hic enim, invictis argumentis, Pisonem diversum non esse proba-

---

c. 51., ubi pro Πούπλιος, legendum esse Λεύκιος Σέξστιος iam vidit Ursinus l. l.

[1] In Edit. Carm. Horat. T. I. p. 413.

[2] Plures Sestii hoc tempore fuerunt. Fuit P. Sestius P. F. quaestor a. 696., propinquus P. Sestii L. F., qui a Cicerone defensus fuerat. De illo Cicero ad Diversos Libr. V. Epist. 17. Fuit Sestius Naso, inter Caesaris percussores ab Appiano relatus, de Bello Civili Libr. II. c. 113., de quo vero apud Horatium cogitandum non est. Fuit T. Sestius, Cassianarum partium dux, a Cornificio in Africa victus, vid. Livius Epit. Libr. CXXIII. Fuit T. Sestius Gallus, de quo Cicero pro Milone c. 31.

[3] Disput. de Epist. ad Pisones. Amst. 1806.

vit ab illo, quem significat Tacitus Annal. Libr. III. c. 16., qui bello civili resurgentes in Africa Pompeii partes acerrimo ministerio adversus Caesarem adiuvit [1], mox Brutum Cassiumque secutus, concesso reditu, petitione honorum abstinuit, donec ultro delatum sibi ab Augusto consulatum accepcrit, quem gessit a. 731. cum ipso Augusto consule XI [2]. Hinc Cascellii Messallaeque, qui easdem partes olim fuerant secuti, in ea Epistola laudationes [3], irrisio contra Licini tonsoris [4], Caesariani, utraque, id quod rectissime suspicatus est Reenenius, Pisoni gratissima futura.

Cogitabant Interprctes ante Reenenium de altero Pisone, Horatii aequali, Lucio dicto, qui postea sub Tiberio urbi praefectus fuit, Porphyrionem ea in re secuti, cuius scholion est: «*Hunc librum, qui inscribitur de arte poëtica, ad L. Pisonem, qui postea urbis custos fuit, misit. Nam et ipse Piso poëta fuit, et studiorum liberalium antistes.*» Fuit ille L. Piso consul a. 739. [5], post consulatum Bessos, Thraciae populum, triennio subiecit [6], denique per annos decem [7] urbis praefectura egregie functus, publico funere ex decreto senatus elatus est a. 785 [8]. Quod poëticam ei facul-

---

[1] Hirtius de Bello Africano c. 4. et 18.

[2] Dio Cassius Libr. LIII. c. 30.

[3] Art. Poët. v. 369. sqq.

[4] Ibid v. 300. sq.

[5] Dio Cassius Libr. LIV. c. 21.

[6] Livius Epit. Libr. CXXXVIII., Velleius Libr. II. c. 98., Seneca Epist. LXXXIII. § 12., Tacitus Annal. Libr. VI. c. 10., Florus Libr. IV. c. 12. § 17., Dio Cassius Libr. LIV. c. 34., Orosius Libr. VI. c. 21.

[7] Vid. Lipsius ad Taciti l. l.

[8] Velleius l. l., Tacitus l. l., Dio Cassius Libr. LVIII. c. 19.

tatem tribuit Porphyrion, id, uti censuit Wielandus, unice fecit propter ultimum versum Epigrammatis, quod ei Antipater Thessalonicensis inscripsit [1]:

τίς ἐς Μούσας οὖτος ἀσχολίη.

Erat autem Piso vino epulisque non minus deditus quam Musis [2], quin ob eam potissimum causam Tiberio gratus acceptusque, urbi ab eo praepositus fuit [3]; quamvis aliter ea de re iudicavit Wielandus, locum conferens Art. Poët. v. 434. sqq.:

> Reges dicuntur multis urguere culullis,
> Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
> An sit amicitia dignus.

Sed acute Reenenius probavit, Horatium Artem Poëticam Pisoni, praefecto urbis, inscribere non potuisse. Natus enim ille a. 705. [4], filios iuvenes, uti ille Horatianus habebat:

> pater et iuvenes patre digni [5],

nondum habere potuit, quo tempore Horatius Carmen

---

[1] Brunck. Anal. XIV. T. II. p. 112. (In Anthol. Planud. Libr. I. Tit. 26. Epigr. 5.) Legitur ibid. X. p. 111. eiusdem Epigr. de victoria Pisonis in Thraece, de quo vid. Hier. de Bosch in Edit. Anthol. Graecae T. IV. p. 137 sq. De Pisonis studiis poëticis cf. quoque Saleii Bassi Protrept. ad Pisonem, (quem fere statuunt VV. DD. praefectum urbis fuisse), v. 150. sqq. (In Wernsdorfii Poët. Lat. Min. T. IV. p. 236.)

[2] Antipater Thessalonicensis Epigr. XVI. Brunck. Anal. T. II. p. 112. (In Anthol. Planud. Libr. IV. Tit. 12. Epigr. 32.)

[3] Seneca l. l., Plinius Nat. Hist. Libr. XIV. c. 28. Sect. 22., Suetonius in Vita Tiberii c. 42.

[4] Tacitus l. l.

[5] Art. Poët. v. 24.

suum componebat. Hoc enim scriptum fuisse ante Virgilii mortem, i. e. ante a. 735., sequitur ex vs. 53. sqq.:

> Quid autem
> Caecilio Plautoque dabit Romanus, ademtum
> Virgilio Varioque,

quo in loco Virgilius Variusque vivi Caecilio Plautoque mortuis opponuntur, uti in proximo vs. 56. ipsi Horatio Cato et Ennius. Neque enim audiendus est Streuberus [1], qui putat ex loco allato aeque bene colligi, Caecilium Plautumque adhuc inter vivos fuisse, atque Virgilium Variumque. Hos, e vivis, mortuis Caecilio Plautoque opponi, prorsus non vidit Streuberus. Nec satis mirari possum, fuisse, post Reenenium, Interpretes, Orellium, Hilgersium, alios, qui Pisonem Horatianum non diversum esse censerent ab illo urbis praefecto [2]. Alii vero, Hochederus, Obbarius, Baehrius [3], Gonodus [4], meliora secuti, eundem ab hoc loco quam alienissimum esse censuerunt. Accedit, uti quoque ostendit Reenenius, quod prorsus incertum sit, utrum omnino filios habuerit L. Piso,

---

[1] *Ueber die Chronol. d. Horaz. Dichtungen*, p. 190. sq.

[2] Haud tamen Reenenium poenituit sententiae suae, quam olim proposuerat, quippe qui duabus Disputationibus, quas habuit a. 1841. et 1843. in Classe tertia Instituti Regii Neerlandici, ineditis, mecum vero, post mortem Clarissimi Viri, communicatis, recentiorum Interpretum Germanorum et Francorum cum nova commenta, tum veterum denuo receptos errores coarguit et refutavit.

[3] *Gesch. d. Roem. Litt.*, L. II. c. 7. § 107. n. 18. Ed. sec.

[4] In Edit. Epist. ad Pis. Clermont-Ferrand, a. 1841. Prol. p. XLIX. sqq. Idem p. LIII. recenset I. H. M. Ernestium inter eos, qui Reenenii sententiam sunt secuti, in Parergis Horat. p. LIII. Aliter idem Ernestius in Clavi Horatiana.

certe nusquam commemorantur; Cnaei contra duo filii fuerunt, alter Cnaeus quoque dictus, consul cum Tiberio a. 747. [1], inimicitia cum Germanico famosus, qui mortem ipse sibi conscivit a. 773. [2], alter Lucius consul a. 753. [3]. Ille, qui a. 728. obsequium iam praestabat Augusto, uti ipse praedicat apud Tacitum [4], ante a. 735. carmina certe componere potuit. Nam hac una in re consentiunt VV. DD., qui Epistolam ad Pisones interpretati fuerunt, quod maiorem Pisonis filium poëticen, nec satis prospere, tentasse putent. Hinc Horatius vs. 366. sqq.:

> O maior iuvenum, quamvis et voce paterna
> Fingeris ad rectum, et per te sapis; hoc tibi dictum
> Tolle memor: certis medium et tolerabile rebus
> Recte concedi: consultus iuris et actor
> Causarum mediocris, abest virtute diserti
> Messallae, nec scit quantum Cascellius Aulus;
> Sed tamen in pretio est: mediocribus esse poëtis
> Non homines, non Di, non concessere columnae.

Tum quoque vs. 385. sq.:

> Tu nihil invita dices faciesve Minerva:
> Id tibi iudicium est, ea mens.

ut adeo ad Cnaeum praesertim respexerit poëta vs. 291. sqq.:

> vos, o
> Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
> Multa dies et multa litura coërcuit.

---

[1] Dio Cassius Libr. LV. c. 8.

[2] Tacitus Annal. Libr. III. c. 12. et 16., Dio Cassius Libr. LVII. c. 18.

[3] Tacitus Annal. Libr. II. c. 34., Libr. III. c. 11., Libr. IV. c. 21. Index Css. ante Dion. Cass. Libr. LV.

[4] L. l. Libr. III. c. 16.

quo in loco Pompilium sanguinem nuncupat Calpurnium Pisonem, quippe qui a Calpo, Numae regis filio, originem deduceret [1].

Singularis opinatio Boschii [2] fuit, Pisones nullos fuisse, quibus inscripta fuerit Epistola, quae dicitur ad Pisones; Pisonum vero nomen ab Horatio adhibitum esse, per *προςωποποιΐαν*, uti oratores et poëtae facere solent, quum sermonem, in ipsius orationis tenore, nunc ad hunc, nunc ad illum, nunc ad unum, nunc ad plures convertunt. Sed Boschium refutavit Eichstaedtius, cuius vero Disputationem [3] frustra undique arcessivi.

Ceterum de consilio deque ratione Horatii Epistolae ad Pisones, quae iam apud veteres nomine Artis Poëticae dicebatur [4], mirum in modum inter se dissentiunt Interpretes. Constituit eorum pro variis sententiis tres classes Reenenius, quarum prima complectitur eos, qui Horatium in hoc opere nil nisi praecepta quaedam, ad poësin pertinentia, quasi per saturam congerere voluisse existimant; altera eos, qui in eo artis poëticae institutionem, omnibus suis nume-

---

[1] Plutarchus in Vita Numae c. 21., Festus Libr. III. in voce *Calpurnii*.

[2] In Edit. Anthologiae Graecae T. IV. in Observat. ad Proleg. Hugonis Grotii p. 137. sqq.

[3] Scripsit I. H. A. Eichstaedt Censuram novissimarum Observatt. in Anthol. Graecam, Ienae, 1811., et Disput. de Horatii Epist. ad Pisones, ibid., anno eodem, proximo anno Curas secundas in Horatii Epist. ad Pisones, ibid.

[4] Quintilianus Iustit. Orat. Epist. ad Tryphon., et Libr. VIII. c. 3. § 60., Symmachus Libr. I. Epist. 4., Sidonius Apollinaris Carm. IX. v. 225., Charisius p. 182. et 188., Diomedes Libr. III. p. 484., Priscianus p. 1149. Edit. Putschii.

ris absolutam, agnoscunt; tertia denique, qui praecepta tantummodo quaedam ea de arte in eo contineri, connexa tamen inter sese et ad unum omnia finem spectantia censent. Pertinent ad primam: Porphyrion, qui annotavit: «*in hunc librum* (*Horatius*) *congessit praecepta Neoptolemi de Arte Poëtica; non quidem omnia sed eminentissima*,» (fuit autem Neoptolemus, insula Paro oriundus, grammaticus et poëta, qui de Epigrammatibus deque Linguis scripsit Carmenque condidit Dionysidem [1]), I. Fabricius, I. C. Scaliger, G. I. Vossius, Dacerius. Ad alteram D. Heinsius, Michelsenius, Regelsbergerus, Bouhierius. Ad tertiam, in qua summa rursus sententiarum inter se diversitas, Cruquius, Lambinus, Sanadonus, Baxterus, Wielandus, Haberfeldtus, denique ipse Reenenius. Ex iis autem, qui post Reenenium Epistolam interpretati fuerunt, Hohlerus in secundam, ceteri fere Doeringius, Orellius, Dillenburgerus, Gonodus in tertiam classem sunt describendi; singularis Lilii sententia fuit, opus adumbratum tantummodo ab ipso Horatio, post eius mortem ab heredibus publici iuris fuisse factum. Sed haec omnia fusius persequi huius loci non erat. Nec necesse est, ut moneam, quemadmodum versuum Epistolae ordinem, ex turbato, uti nunc est [2], in genuinum restituere olim Heinsius,

---

[1] Athenaeus Libr. III. c. 7. p. 82. D, Libr. X. c. 20. p. 454. F, Libr. XI. c. 7. p. 476. F. Schol. Villoisoni ad Hom. Iliad. Libr. XXIV. v. 235. p. 225. Cf. Villoison. in Prol. XXX.

[2] Cl. Reenenius in priori Disputatione, a. 1841., hanc affert causam, quare in Epistola ad Pisones argumentum adeo siue ordine sit dispositum et distributum, quum versuum ordinem a librariis esse turbatum non agnoscat: «Quodsi una ex primis epistolis satiricis

Bouhierius aliique tentaverint, nec quo successu nuper Cl. Peerlkampius idem sit conatus.

§ 7.

Designatur Sextus Pompeius, filius natu minor Pompeii Magni, Epod. IX. v. 7. sq. quod Carmen Horatius scripsit a. 723., cum primus nuntius victoriae Actiacae Romam venisset, «victore laetus Caesare,» inquit, vs. 2.:

Ut nuper, actus cum freto Neptunius
Dux fugit ustis navibus.

Pompeius autem, profugus e pugna apud Mundam [1], post mortem Caesaris inter eius percussores relatus et proscriptus [2], classe, cui praepositus erat [3], Siciliam occupaverat, mare infestare, raptoque vivere

---

fuerit (ea ad Pisones,) non amplius miramur, Commentatores, praesertim antiquiores, multum disceptasse de titulo operis et genere carminum, ad quod referendum sit. Pars postrema quidem vere est epistolaris, in priori parte vero dubites, num Horatius sibi Artem Poëticam conscribere proposuerit, an vero alterius cuiusdam generis carmen condere voluerit. Novum genus scribendi Horatius in epistolis suis invenit, quoniam autem, ut in proverbio est, fabricando fabri fimus, ita etiam Horatius hoc genus scriptionum paulatim perfecit. Epistolae, quas circa annum 740. scriptas constat, in hoc genere scribendi multum praecellunt illis, quae a. 730. et sequenti scriptae sunt. De Libri secundi carminibus nemo umquam dubitavit, fuerint epistolae necne. De Arte Poëtica diu et multis disputatum est, ad quod genus poëmatum pertineat; ita quidem, ut et hodie multi, quamvis epistolam esse concedant, eam explicent, quasi esset carmen didacticum, non satira epistolaris.»

[1] Livius Epit. CXV., Dio Cassius Libr. XLIII. c. 40.

[2] Dio Cassius Libr. XLVI. c. 48., Libr. XLVIII. c. 17.

[3] Cicero Phil. V. c. 14., Appianus de Bello Civili Libr. III. c. 4., Libr. IV. c. 84. Cf. Dio Cassius Libr. XLV. c. 10.

coeperat [1]. Confluxerunt ad eum proscripti a triumviris [2], profugi e caede Perusina [3], magnus denique latronum servorumque numerus [4], quem Horatius designat Epod. IV. v. 17. sqq.:

> Quid attinet tot ora navium gravi
> Rostrata duci pondere
> Contra latrones atque servilem manum,

qui versus indicium simul continent, Carmen scriptum fuisse a. 716., quum Caesar Octavianus bellum pararet contra S. Pompeium [5], postquam breve foedus, Miseni ictum [6], inter eos fuisset. Anno enim 717. ipse Caesar, re male gesta [7], viginti millia servorum manumisit et ad remum dedit [8]. Quo facto, Horatius invehi non amplius potuerat in *manum servilem* S. Pompeii. Hic autem, successu elatus, Neptuni filium se vocari voluit [9], qua de causa *Neptunius Dux*

---

[1] Plinius Nat. Hist. Libr. XVI. c. 4. Sect. 3., Florus Libr. IV. c. 8. § 2.

[2] Livius Epit. Libr. CXXIII., Velleius Libr. II. c. 72. et 77., Appianus l. l. Libr. IV. c. 36., Dio Cassius Libr. XLVII. c. 12. et 49.

[3] Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 15.

[4] Velleius Libr. II. c. 73., Appianus l. l. c. 85. Cf. Libr. V. c. 72. et 131., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 19., Libr. XLIX. c. 3., cl. Libr. XLVIII. c. 36., Libr. XLIX. c. 12., Libr. L. c. 19., Aurelius Victor de Viris illustr. c. 84., Orosius Libr. VI. c. 20.

[5] Velleius Libr. II. c. 79., Appianus l. l. Libr. V. c. 77., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 45.

[6] Livius Epit. Libr. CXXVII., Velleius Libr. II. c. 77., Plutarchus in Vita Antonii c. 32., Appianus l. l. c. 70. sqq., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 36.

[7] Livius Epit. Libr. CXXVIII., Appianus l. l. c. 81. sqq., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 46. sqq.

[8] Suetonius in Vita Augusti c. 16., Plinius Nat. Hist. Libr. IX. c. 16. Sect. 22., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 49., Libr. XLIX. c. 1.

[9] Livius, teste Schol. Cruq., Appianus l. l. c. 100., Dio Cassius

dictus fuit ab Horatio, ut supra vidimus. Biennio vero post, superatus ab Agrippa, in Asiam ad Antonium profugit, eiusque iussu occisus est [1].

Fuerat hoc Sexti Pompeii vitium, quod, spretis ingenuis, inprimis confideret libertis suis: Menae [2], Menecrati, Demochari, Apollophani, Papiae, aliis, inter quos MENA inprimis, turpissime vero, innotuit. Hac de causa Horatius Epod. IX. v. 7. sqq.:

> Neptunius
> Dux fugit ustis navibus,
> Minatus urbi vincla, quae detraxerat
> Servis amicus perfidis.

Menas autem a. 716. Sardiniae, classi, copiis a Pompeio praefectus cum esset, omnia Caesari prodidit, ab eoque benigne exceptus, in ingenuitatem assertus, annulo aureo donatus, coenae etiam adhibitus fuit [3]. Cum vero ferre non posset, Sabinum in classis imperio sibi esse praelatum, a. 718. rursus ad Pompeium rediit [4], quem eodem anno iterum deseruit seque denuo ad Caesarem contulit [5]. Ad hunc Menam respexisse

---

Libr. XLVIII. c. 48., cl. 31., Aurelius Victor de Viris illustr. c. 84.

[1] Livius Epit. Libr. CXXIX. et CXXXI., Velleius Libr. II. c. 79. et 87., Appianus l. l. c. 118. sqq., 134. sqq., Dio Cassius Libr. XLIX. c. 9. sq., c. 17. sq.

[2] Mena a Velleio, Libr. II. c. 73., paternus Pompeii libertus vocatur. De nomine Menae vid. p. 170. n. 4. Dicitur ab Appiano Μηνόδωρος. Cf. de eo Plinius Nat. Hist. Libr. XXXV. c. 18. Sect. 68.

[3] Suetonius in Vita Augusti c. 74., Appianus l. l. c. 78. sqq., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 45.

[4] Appianus l. l. c. 96., Dio Cassius l. l. c. 54.

[5] Appianus l. l. c. 100. sqq., Dio Cassius Libr. XLIX. c. 1.

Horatium Libr. III. Carm. 16. v. 15. sq. Torrentius censuit:

> muncra navium
> Saevos inlaqueant duces.

quod, utrum revera fecerit Horatius necne, quis dicat. Ita quoque Virgilius Aeneid. Libr. VI. v. 612. sqq.:

> quique arma secuti
> Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,
> Inclusi poenam exspectant.

teste Servio, Menam notavit. Maior autem consensus fuit Interpretum, Horatium in Menam fuisse invectum Epod. IV.:

> Lupis et agnis quanta sortito obtigit,
> Tecum mihi discordia est,
> Hibericis peruste funibus latus,
> Et crura dura compede.

quae opinio a Scholiastarum aetate iam invaluerat, cum a Massono [1] et Sanadono confutata fuit. Sanadonus rectissime observavit in Menam, qui a. 716., quo hunc Epodum scriptum fuisse iam vidimus, breve tantummodo tempus Romae versari potuit [2], non recte cadere vs. 7. sqq.:

> Videsne sacram metiente te viam
> Cum bis trium ulnarum toga,
> Ut ora vertat huc et huc cuntium
> Liberrima indignatio?
> Sectus flagellis hic triumviralibus
> Praeconis ad fastidium,
> Arat Falerni mille fundi iugera,
> Et Appiam mannis terit?

[1] In Vita Horatii p. 119. sqq.

[2] Appianus l. l. c. 78. sqq., 81. sqq., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 45. sq.

Quod vero Massonus neget, versus sequentes:

> Sedilibusque magnus in primis eques,
> Othone contemto, sedet

ad Menam, cui propter censum locus inter equites esse potuit, recte referri, in eo falsus fuit, ut supra vidimus [1]. Recte autem cum Massonus, tum quoque Sanadonus viderunt tribunatum militarem, quo fungebatur ille, quem notare voluit Horatius, ita enim vs. 17. sqq.:

> Quid attinet tot ora navium gravi
> Rostrata duci pondere
> Contra latrones atque servilem manum?
> Hoc, hoc tribuno militum.

tribunatum, inquam, non satis amplum fuisse honorem, quo Menam, iam antea Sardiniae, classi, exercituique praefectum a S. Pompeio, Caesar Octavianus affecturus fuisset.

Massoni Sanadonique sententiae maior etiam auctoritas accessit ex titulo huius Carminis in uno Codice Vanderburgii [2]: « *In Sextum Menam, libertinum,* [*vel in*] *Vedium Rufum,* » cum hac annotatione in altero: « *Vedium Rufum, ex servitute miratur usurpasse equestrem dignitatem, usque ad tribunatum,* » quod nomen cum Scholiastae excogitaturi non fuerunt, ut rectissime Orellius observat, VEDIUS RUFUS, pro Mena, suum locum habeat inter eos, quorum superbia atque insolentia ab Horatio castigata fuit.

---

[1] Pag. 259. sqq.

[2] In Edit. Horat. T. III. p. 602.

§ 8.

Marci Antonii semel tantummodo, idque obiter, mentionem facit Horatius, Libr. I. Sat. 5. v. 5., ubi de Fonteio Capitone:

> Antoni, non ut magis alter, amicus.

Neque invectus est in illum, quum nuntio victoriae Actiacae accepto, suam civiumque laetitiam Epodo IX. vividissimis coloribus expressit. In Cleopatram potius civium indignationem movet, Antonium tacet. Ita vs. 11. sqq.:

> Romanus (eheu posteri negabitis)
> Emancipatus feminae
> Fert valium et arma miles, et spadonibus
> Servire rugosis potest [1]:
> Interque signa turpe militaria
> Sol aspicit conopium [2].
> Ad hoc [3] frementis verterunt bis mille equos
> Galli, canentes Caesarem:

Amyntas autem et Deiotarus, Galatiae Reges ab Antonio defecerunt, teste Plutarcho [4]. Sunt itaquo Galli vs. 18. Galatiae, sive Gallograeciae, incolae, posteri eorum, qui duce Leonorio partem Asiae occupaverant [5]. Versus sequentes:

---

[1] Cf. Plutarchus in Vita Antonii c. 60., Dio Cassius Libr. L. c. 25.

[2] Cf. Propertius Libr. III. Eleg. 9. v. 45.

[3] De variis huius loci lectionibus: *Ad hunc, At huc, Adhuc, Ad hoc, Ab hoc*, vid. inprimis Bentleius, Vanderburgius et Orellius.

[4] In Vita Antonii c. 63., cl. c. 61., Velleius Libr. II. c. 84., Dio Cassius Libr. L. c. 13.

[5] Livius Libr. XXXVIII. c 16., Strabo Libr. XII. p. 566., Plinius Nat. Hist. Libr. V. c. 32. Sect. 42., Iustinus Libr. XXV. c. 2.

Hostiliumque navium portu latent
Puppes sinistrorsum citae,

egregie illustrat Dionis narratio Libro L., ubi legimus c. 14., Antonium, cum Caesariani, duce Agrippa, iam bis suos navali proelio vicissent, c. 13. et 14., Cleopatra autem variis prodigiis territa esset, pugnandi consilium abiecisse. Itaque occasione data ex improviso erat erupturus ex freto Actiaco Aegyptumque petiturus, cum illud consilium Caesar comperit per Dellium aliosque, c. 23., et irritum fecit, c. 31. Quamdiu vero illud consilium agitabat Antonius, puppes, id est naves, eius recte dici potuerunt latere in portu hostili, seu *Hostilium navium*, sinistrorsum citae, quippe quae in litore meridionali freti Actiaci iacentes, ad laevam convertere deberent, ut in mare Adriaticum pervenirent.

Fuerant Daci, sive Getae, in exercitu Antonii [1]; respicit ad eos Horatius Libr. III. Carm. 6. v. 13. sqq.:

Paene occupatam seditionibus
Delevit urbem Dacus et Aethiops;
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.

ubi Aethiopes, ut poëta, pro Aegyptiis, eorum vicinis, posuit, neque enim ex Aethiopia auxilia Antonius habebat [2]. Daci autem valde timebantur a Romanis. Itaque Antonius, ut sibi exercitus committeretur, post Caesaris mortem, Romae rumorem disseminabat, Dacos Macedoniam esse aggressos [3].

[1] Vid. supra p. 228. sq.

[2] Plutarchus in Vita c. 61.

[3] Appianus de Bello Civili Libr. III. c. 25.

Bellum contra eos suscepturus iam fuerat Iulius Caesar [1]. Antonio devicto hostilia continuasse videntur. Hinc Horatium rogabant curiosi, Libr. II. Sat. 6. v. 53.:

numquid de Dacis audisti?

audisse enim poterat ex Maecenate. Satira haec scripta fuit a. 723. [2]. Anno proximo M. Crassus contra Dacos, Bastarnasque missus fuit eosque magno quidem labore, sed brevi tempore, devicit [3].

Scripserat Epodon IX. Horatius in fine a. 723.; anno proximo, cum de capta Alexandria, deque Cleopatrae morte nuntius Romam allatus esset [4] Libr. I. Carm. 37. composuit, in quo iterum Antonio parcit,

---

[1] Appianus de Bello Civili Libr. II. c. 110.

[2] Vid. supra p. 124. n. 2. Zumptius nuper in nova Horatii Satirarum Editione Heindorfiana, quam curavit Wuestemannus, p. 38., eam retulit ad a. 34. a. C., (720. Varr.) neque enim a. 723. de Dacis, sed de Antonio Horatium rogaturi erant otiosi. Credo etiam de Dacis, si forte nuntius de eorum incursionibus Romam perveniisset.

[3] Vid. supra p. 229.

[4] Nuntius ille ipsis Id. Sept. Romam venit. Illo enim die senatus Caesarem Octavianum corona obsidionali ornavit, M. Cicerone M. F. consule, teste Plinio Nat. Hist. Libr. XXII. c. 6. Sect. 6. Litteras, quibus Caesar victoriam suam significavit, idem Cicero consul populo recitavit, teste Appiano de Bello Civili Libr. IV. c. 51. Cicero autem a. 724. ex Id. Sept. consul fuit, vid. Inscript. apud Gruterum p. CCXCIX. 2. et Pighium in Annal. Libr. XVII. T. III. p. 495. Cf. quoque Plutarchus in Vita Ciceronis c. 49. et Dio Cassius Libr. LI. c. 19. Apud Appianum l. l.: «*τὴν Ἀντωνίου περὶ Ἄκτιον συμφορὰν, ἱστορηθεῖσαν ὑπὸ τοῦ Καίσαρος, ὁ Κικέρων ὧδε, ὑπατεύων, ἀνέγνω τῷ δήμῳ*,» delenda esse verba: *περὶ Ἄκτιον*, nemo non videt. Miror ea in contextu reliquisse Schweighaeusernm.

superbiam vero atque impotentiam Cleopatrae Reginae exponit, cuius tamen constantiam fortitudinemque in morte obeunda debitis laudibus effert vs. 21. sqq.:

> generosius
> Perire quaerens, nec muliebriter
> Expavit ensem, nec latentes
> Classe cita reparavit oras;

ut supra iam vidimus [1]. Verbo addendum est Carm. 15. Libr. I. Nerei vaticinium de excidio Troiae continens:

> Pastor cum traheret per freta navibus
> Idaeis Helenen perfidus hospitam;
> Ingrato celeris obruit otio
> Ventos, ut caneret fera
>
> Nereus fata. Mala ducis avi domum,
> Quam multo repetet Graecia milite, cet.,

quo Horatius, testibus Scholiastis, Bacchylidem imitatus fuit, a Christoph. Landino ita fuisse explicatum, ut Paris Antonium, Helena Cleopatram significaret. Quam Landini sententiam Sanadonus postea et Vanderburgius novis rationibus probare studuerunt.

Cum M. Antonio commemorabo SISYPHUM pumilionem, qui una cum illo fuit in comitatu Cleopatrae, testibus Scholiastis, quippe cui magis idoneum locum, utpote unico in genere suo, prorsus non habeam. Horatius Libr. I. Sat. 3. v. 43. sqq. veri amici officium describens:

> At, pater ut gnati, sic nos debemus, amici
> Si quod sit vitium, non fastidire. strabonem
> Adpellat Paetum pater; et Pullum, male parvus
> Si cui filius est, ut abortivus fuit olim
> Sisyphus:

[1] Pag. 221. sqq.

ad quem locum Acronis scholion exstat, quo nihil umquam corruptius vidi: «*Sisyphus*) *Filii Antonii, nepos Mariti Cleopatrae fuit pedalis. alii dicunt fuisse intra bipedalem staturam, ingenii ignei. Antonius triumvir, frater Antonii Cleopatrae habuit filium prodigiosae brevitatis: istum Sisyphum appellat, qui erat ardentissimi ingenii.*» Rectius se habet Porphyrionis scholion: «*Sisyphus M. Antonii triumviri pumilio fuisse dicitur, intra bipedalem staturam, ingenio tamen vivax,*» et Scholiastae Cruquiani: «*M. Antonio triumviro pumilio fuisse dicitur, intra bipedalem staturam, quem ipse Sisyphum appellabat ob ingenii calliditatem: hic aliquando in Alexandrino mari, cum, inspectantibus Antonio et Cleopatra, in scapha velificaretur cum aequalibus, tanta dexteritate antevertit alios, ut eis quidem esset delectamento, aliis vero admirationi.*» Sisyphum hunc diversum non esse credo ab illo pumilione, de quo Suetonius in Vita Octavii c. 43.: «Adolescentulum Lucium, honeste natum, exhibuit: tantum ut ostenderet, quod erat bipedali minor, librarum septendecim ac vocis immensae,» ubi Torrentius: *L. Itium*, Casaubonus: *Lycium*, i. e. Lycia ortum corrigebat, ego *Sisyphum* substituam. Ceterum nota res est, eo tempore, Romanos divites, adeoque puellas, nanos, ludibrii causa, secum habuisse [1].

Antonium excipiat eius filius Iulus Antonius, quem susceperat ex Fulvia, tertia uxore. Rogaverat is Horatium, ut Augusti reditum ex Gallia, quo a. 738. profectus fuerat, Carmine Pindarico celebraret. Hora-

[1] Propertius Libr. IV. El. 8. v. 48. sq., Suetonius in Vita Tiberii c. 62., in Vita Domitiani c. 4.

tius autem, materiem viribus aequam sumere solitus, laudationem recusat (Libr. IV. Carm. 2.), quam vix cuiquam bene successuram fore sperabat:

Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

Persequitur vs. 25. sqq.:

Multa Dircaeum levat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quotiens in altos
Nubium tractus: ego, apis Matinae
More modoque

Grata carpentis thyma per laborem,
Plurimum circa nemus uvidique
Tiburis rivos operosa parvus
Carmina fingo.

Ipsi Antonio autem munus laudandi Augusti defert Horatius:

Concines maiore poëta plectro
Caesarem, quandoque trahet ferocis
Per sacrum clivum merita decorus
Fronde Sygambros:

et paullo post vs. 41. sqq.:

Concines laetosque dies, et Urbis
Publicum ludum super impetrato
Fortis Augusti reditu, forumque
Litibus orbum.

Tum meae (si quid loquor audiendum)
Vocis accedet bona pars, cet.

De Antonio haec annotant Scholiastae; Acron ad vs. 33.: «*Iulius Antonius heroico metro Diomedeas* [1]

[1] De Diomedeae argumento vid. Heynius in Exc. ad Aeneid. Libr. X.

XII *libros scripsit egregios, praeterea et prosa aliqua,*» Cruquianus: «*Antonius heroico metro Diomedeas scripsit duodecim libris, et nonnulla alia oratione soluta.*» Vanderburgii (T. II. p. 224.): «*Iulius Antonius rogaverat Horatium, ut scripta Pindari graeca in laudem Caesaris transferret, ut Virgilius scripta Homeri in laudem Aeneae; inde excusat se Horatius, dicens, se tanto operi non sufficere, cum ille summus poëta fuerit.*» Iulium Antonium sive Antonium Iulium vitiose pro Iulo Antonio omnes, cum hoc loco, tum alibi scripserunt, quod fecit quoque Porphyrion. Vanderburgius autem in suis MSS. titulos invenit: *ad Antonium Iullum*, et: *ad Antonium Iulum* [1]. Fuerat Iulus Antonius discipulus Lucii Crassitii, grammatici nobilis, qui commentario in Cinnae Zmyrnam inclaruit [2], de ipsius vero poëtica facultate, nisi ex Scholiastis, nihil compertum habemus. Eam ob causam, tum praeterea, quod consuetudinis Horatii non est, eundem hominem bis, diverso nomine, alloqui, uti hic facit vs. 2. et 26., Cl. Peerlkampius hoc loco de Iulo Antonio non esse cogitandum censuit, spreto Acronis testimonio ad vs. 2.: «*Haec Ode ad Antonium Iulium, M. Antonii triumviri filium, scribitur.*» Itaque pro: *Iulè*, legit: *Ille* [3], intelligitque Antonium Rufum, poëtam, de quo Scholiastae ad Art. Poët. v. 288.; Acron:

---

v. 243. Minus recte Welckerus V. Cl., in libro suo *der Epische Cyclus* p. 109., Iulium [*sic scribit*] Antonium, *testibus Scholiastis*, Antimachum imitatum fuisse dicit.

[1] T. III. p. 595.

[2] Suetonius de illustr. Grammat. c. 18.

[3] Idem fecerat Eichstaedtius Paradox. Horat. I. p. 9. Comprobavit Duentzerus *Kritik u. Erklaerung d. Oden d. Horaz*, p. 314.

«*Praetextatam quidam autem dicunt tragoediam, comoediam autem togatam, et togatas scripserunt Aelius Lamia, Antonius Rufus, Cn. Melissus*, [leg. *C.* vid. Suet. de illustr. Gramm. c. 21.,] *Afranius, Pomponius*,» Porphyrion: «*Togatas Aelius Lamia, Antonius Rufus, Cn.* [*C.*] *Melissus, Afranius, Pomponius scripserunt*,» et Cruquianus mendose: «*Praetextatas et togatas scripserunt Elius* [*Aelius*] *Lamia, Antonius Rufus, Cn.* [*C.*] *Melissus, Afranius, Africanus* [?], *Pomponius.*» Rufum haud diversum esse censet ab illo Rufo, de quo Ovidius ex Ponto Libr. IV. Epist. 16. v. 27. sq.:

Et qui Maeoniam Phaeacida vertit; et una
Pindaricae fidicen tu quoque, Rufe, lyrae:

neque ab illo de quo Apuleius de Orthographia: «Cornelius Rufus — in Pindarica aemulatione,» ubi *Cornelius* pro *Antonius* a librariis scribi potuit. Contra Peerlkampii sententiam disputavit Weichertus in libro de Vario et Cassio p. 364. sqq.

Iulus autem Antonius, triumviri filius, praenomine Iúli a patre appellatus fuisse videtur, quod per aviam Iuliam, ad gentem Iuliam pertinebat [1]. Tempore belli Actiaci valde iuvenis adhuc fuerit, necesse est, mater enim eius Fulvia, quae primum nupta fuerat P. Clodio, post C. Curioni, ante a. 706., quo hic, a Iuba oppressus, in Africa interiit [2], M. An-

---

[1] Vid. Perizonius Animadv. Hist. p. 151. Abnegat id., ibid. p. 149. sq., Iulo Antonio cognomen Africani, quod illi datur in Fastis Siculis et in Anonym. Fast. a Norisio editis, (Graevii Thes. T. XI. p. 351.) idque Fabio Maximo, Iuli Antonii collegae in consulatu a. 744. vindicavit.

[2] Caesar de Bello Civili Libr. II. c. 42.

tonio nubere non potuit. Erat autem alter Antonii ex Fulvia filius. Maior, Antyllus dictus, post pugnam Actiacum, a Caesare Octaviano occisus fuit [1], Iulus vero servatus, sacerdotio etiam, praetura, consulatu a. 744., et matrimonio Marcellae maioris honoratus [2]. Periit a. 752., adulterio cum Iulia commisso, consiliis etiam de principatu occupando agitatis, seu iussu Augusti occisus, seu sua ipsius manu mortem sibi consciverit [3].

C. Fonteius Capito, quem Horatius commemorat loco supra allato, Libr. I. Sat. 5. v. 31. sqq.:

> interea Maecenas advenit, atque
> Cocceius, Capitoque simul Fonteius, ad unguem [4]
> Factus homo; Antoni, non ut magis alter, amicus,

parum notus est. Apud Horatium cum Maecenate, Caesaris Octaviani amico et Cocceio Nerva, qui cum Caesari tum Antonio gratus erat, teste Scholiasta Cruquiano, de dissensione inter Caesarem et Antonium componenda agit. Altera eius mentio fit apud Plutarchum in Vita Antonii c. 36., ubi tradit, Capitonem ab Antonio, reduce in Syriam, post pacem Tarentinam a. 717., missum fuisse, ut Cleopatram ex Aegypto arcesseret. A. 720. inter consules suffectos fuit. Mirum sane est, Heindorfium cogitasse de illo

---

[1] Suetonius in Vita Augusti c. 17., Plutarchus in Vita Antonii c. 81., Dio Cassius Libr. LI. c. 15., Orosius Libr. VI. c. 19.

[2] Velleius Libr. II. c. 100., Plutarchus in Vita Antonii c. 87., Dio Cassius Libr. LIV. c. 26. et 36. Marcella maior antea Agrippae nupta fuerat, quem perperam Weichertus statuit l. l. p. 357. sq., Marcellam minorem in matrimonio habuisse, vid. Plutarchus l. l.

[3] Velleius l. l., Seneca de Brevit. Vitae c. 5. § 4., Tacitus Annal. Libr. I. c. 10., Libr. IV. c. 44., Dio Cassius Libr. LV. c. 10.

[4] Cf. Horatius Libr. II. Sat. 7. v. 87., Persius Sat. I. v. 64.

C. Fonteio Capitone, qui anno demum 765. consulatu functus est [1].

VOLUMNIUM EUTRAPELUM inter Antonii sodales recensebimus, quamvis haud eo nomine ab Horatio commemoratum. De eo Libr. I. Epist. 18. v. 31. sqq.:

> Eutrapelus, cuicumque nocere volebat,
> Vestimenta dabat pretiosa. beatus enim iam
> Cum pulchris tunicis sumet nova consilia et spes;
> Dormiet in lucem; scorto postponet honestum
> Officium; nummos alienos pascet; ad imum
> Threx erit, aut olitoris aget mercede caballum.

Illud: Eutrapelus vestimenta dabat pretiosa, recte Dacerius interpretatus est: danda esse aiebat; scilicet Eutrapelus, si cui erat infensus, non illi exitium precabatur, sed, iocans, vestimenta pretiosa, mox perniciem illi allatura.

Est Epistola Ciceronis [2] ad Volumnium quendam, quae sic incipit: «Quod sine praenomine, familiariter, ut debebas, ad me epistolam misisti, primum addubitavi, num a Volumnio Senatore [3] esset, quocum mihi est magnus usus: deinde *εὐτραπελία* litterarum fecit, ut intelligerem tuas esse.» Respicit profecto Cicero ad cognomen hominis Eutrapeli, *εὐτράπελος* ipse, si umquam fuit, tum certe hoc loco. Vox enim *εὐτραπελία*, quamvis in bonam partem accipi potest, interdum tamen protervitatem significat, ut docet Aristoteles, quem apposite confert Victorius ad l. l., Rhetor. Libr. II. c. 12.: «*οἱ νέοι φιλογέλωτες· διὸ*

[1] Dio Cassius Libr. LVI. c. 26.

[2] Ad Diversos Libr. VII. Epist. 32.

[3] *Senator* cognomen esse credo propter locum Varronis de Re Rustica Libr. II. c. 4. § 11., ubi nominatur quidam L. Volumnius Senator.

καὶ εὐτράπελος· ἡ γὰρ εὐτραπελία πεπαιδευμένη ὕβρις ἐστί.» Cicero enim, Eutrapelum, quem laudare se simulat propter urbanitatem, lepidissime, si quid iudico, deridet. Pergit autem: «Quibus in litteris omnia mihi periucunda fuerunt, praeter illud, quod parum diligenter possessio salinarum mearum a te procuratore defenditur.» *Salinas* a Cicerone, ἀμφιβολίας amatore, dictas esse *sales*, *facetias*, vix necesse est, ut moneamus. «Ais enim, ut ego discesserim, omnia omnium dicta, in his etiam Sestiana [1], in me conferri. Quid, tu id pateris? nonne defendis? non resistis? equidem sperabam, ita notata me reliquisse genera dictorum meorum, ut cognosci sua sponte possent. — Urbanitatis possessionem, amabo, quibusvis interdictis defendamus: in qua te unum metuo, contemno ceteros. Derideri te putas. Nunc demum intelligo te sapere. Sed mehercules, extra iocum, valde mihi tuae litterae facetae elegantesque visae sunt. — Tu, mi Volumni, quum instituisti, et mihi vides esse gratum, scribe ad me quam saepissime de rebus urbanis, de republica Iucundus est mihi sermo litterarum tuarum.» Ita Cicero a. 703. cum proconsul Ciliciae esset. In Epistola sequenti, quam scripsit cum Caesar rerum potitus iam esset, ad eundem: «Quod declamationibus nostris cares, damni nihil facis. Quod Hirtio invideres, nisi eum amares, non erat causa invidendi: nisi forte ipsius eloquentiae magis quam quod me audiret, invideres. Nos enim plane, mi suavissime Volumni, aut nihil

[1] Ad Atticum Libr. VII. Epist. 17.: «accusavi mecum ipse Pompeium, qui, cum scriptor luculentus esset, tantas res, atque eas, quae in omnium manus venturae essent, Sestio nostro scribendas dederit. itaque nihil umquam legi σηριωδίστερον.»

sumus aut nobis quidem ipsis displicemus, gregalibus illis, quibus te plaudente vigebamus, amissis. — Opus est huc limatulo et polito iudicio tuo et illis interioribus litteris [meis[1].» Eodem circiter tempore Paeto scribit, se coenasse apud Volumnium Eutrapelum [1]. Caesare occiso, ad Atticum [2]: «Quod aditus ad Antonium difficilior esse dicitur, scripsi ad Eutrapelum, ut is ei meas litteras redderet.» Eutrapelus autem cum Antonio ex urbe egressus est, uti patet e Philipp. XIII. c. 2., ubi inter collusores et sodales Antonii recensetur. Iam si cogitamus, hominem, de quo nunc agimus, čum a Cicerone, tum ab Horatio Eutrapelum dici, non vero Volumnium, nisi ubi ipsum Cicero appellat, tum praeterea ad rationem attendamus qua hic in Epistolis eum tractaverit, aut fallor, aut admodum fit probabile, Volumnium Eutrapelum non fuisse ex illa antiquissima gente patricia Volumniorum [3], sed potius libertinae conditionis hominem, quem si statuimus libertum fuisse eius Volumnii Senatoris, quocum magnus Ciceroni usus erat, tum profecto dubitatio illa in initio Libr. VII. Epist. 32. festiva quam maxime et tempestiva fuit. Neque obstat, quod Cicero apud eum coenaverit, scimus enim quantum idem observaverit Phameam, praepotentem quoque libertinum [4]. Volumnius autem Senator, quem Cicero significat, esse potuit P. Volumnius, amicus ille

---

[1] Ad Diversos Libr. IX. Epist. 26.

[2] Libr. XV. Epist. 8.

[3] Orellius P. Volumnium Eutrapelum inter equites recenset, qua auctoritate nescio.

[4] Cicero ad Diversos Libr. VII. Epist. 24., ad Atticum Libr. XIII. Epist. 49. et 50.

Antonii, eiusque praefectus fabrorum, de quo Nepos in Vita Attici c. 9., 10. et 12. [1]. Refert ad Eutrapelum Victorius, in annotationibus ad Ciceronis Epistolam allatam, locum Plutarchi in Vita M. Bruti, ubi, post praegressam narrationem mortis Cassii, ita legitur c. 45.: «Ἦν δέ τις Βολούμνιος μῖμος καὶ Σακουλίων γελωτοποιὸς [2] ἡλωκότες, οὓς ἐν οὐδενὶ λόγῳ τιθεμένου τοῦ Βρούτου, προσάγοντες οἱ φίλοι κατηγόρουν, ὡς οὐδὲ νῦν τοῦ λέγειν καὶ σκώπτειν πρὸς ὕβριν αὐτῶν ἀπεχομένους,» qualis profecto petulantia in indolem εὐτραπέλου egregie cadit. Fuit autem Messalla Corvinus auctor, ut caesi verberibus, ἐπὶ σκηνῆς, hostibus remitterentur, ὅπως εἰδῶσιν, οἵων δέονται στρατευόμενοι συμποτῶν καὶ συνήθων. Vicit vero Publii Cascae sententia, amboque ultimo supplicio affecti fuerunt. Mimus si fuit Eutrapelus, tum verisimile est, servam eius Cytheridem, quam postea manumisit, mimam illam nobilissimam, ab ipso institutam fuisse [3], quemadmodum Roscius instituit servum Panurgum. Erat illa in comitatu M. Antonii, eamque nomine Volumniae, nobilissimo illo, quod olim uxoris Coriolani fuerat [4], salutari, indignatur Cicero Philipp. II. c. 24.

[1] Diversus procul dubio ab illo P. Volumnio, iudice in causa A. Cluentii a. 688., et ab altero Volumnio, duce Caesariano, de quo Iosephus Antiq. Iud. Libr. XVI. c. 9. et de Bello Iud. Libr. I. c. 27.

[2] Drumannus *Geschichte Roms* T. I. p. 516. coniecit legendum esse: «Βολ. — γελωτ. (εὐτράπελος) κ. Σακ. μῖμος.»

[3] De illa Cicero ad Diversos Libr. IX. Epist. 26., ad Atticum Libr. X. Epist. 10., Plinius Nat. Hist. Libr. VIII. c. 16. Sect. 20., Aurelius Victor de Viris illustr. c. 82. Cytheridem a Virgilii Lycoride non esse diversam statuunt Servius ad Ecl. VI. v. 7. et 11., X. v. 1. et Philargyrius ad X. v. 22.

[4] Livius Libr. II. c. 40., Plutarchus in Vita c. 33.

Q. Dellium et L. Munatium Plancum, ab Interpretibus fere significatos ad Libr. II. Carm. 3. et Libr. I. Carm. 7., quamvis modo in Brutorum, modo in Antonii, modo in Caesaris castris militaverint, potissimum tamen impuro M. Antonii gregi adscribemus. Miror autem, cum dudum sit, quod Ommerenus nostras, in libello, quo egit de Horatio Homine ac Cive [1], Horatium pudendo adulationis eorum nebulonum crimine liberaverit, miror inquam, omnes, quos equidem viderim, Interpretes recentiores Carmina laudata ad eosdem homines turpissimos retulisse. Innotuit tamen disputatio Ommereni apud exteros etiam, cum Eichstaedtius eam germanice sit interpretatus, suis ipsius annotationibus adiectis, quam vero interpretationem frustra iterum iterumque e Germania arcessivi.

Q. Dellius autem, olim inter M. Antonii delicias [2], post Dolabellae partes amplexus, hinc ad Cassium, post vero a Cassio ad Antonium [3] transiit, cuius mox omnis turpitudinis minister factus fuit [4]. Opera eius Antonius usus est ad arcessendam Cleopatram, quae Cassio auxilium tulerat, ut Tarsi, coram Antonio, causam suam diceret. Dellius autem Cleopatrae auctor sive adiutor fuit consilii, ut potius Antonium sibi, quam se Antonio subiiceret [5], quod quam bene ei successerit, utrique vero exitio tandem fuerit,

---

[1] Q. H. F. *als Mensch en Burger beschouwd. Amsterdam*, 1789.

[2] Dio Cassius Libr. XLIX. c. 39.

[3] Velleius Libr. II. c. 84., Seneca Suasor. I. p. 7. Edit. Schotti, 1649.

[4] Iosephus Antiq. Iud. Libr. XV. c. 2.

[5] Plutarchus in Vita Antonii c. 25.

notissima res est. Missus quoque Dellius ab Antonio fuit, ut Artavasdem, regem Armeniae, simulato filiae eius cum Alexandro, Antonii filio, matrimonio, Alexandriam perduceret [1]. Quo cum venisset Artavasdes, iussu Cleopatrae occisus fuit [2], Armenia vero ab Antonio subacta, cuius victoriae triumphum Alexandriae egit [3]. Hanc, puto, expeditionem Dellius conscripsit, quamvis Strabo dicit, illum Antonii contra Parthos expeditionem, quae vero infelicissima fuit, conscripsisse [4]. Dellius autem, non ita diu ante pugnam Actiacam, dissensione cum Cleopatra orta, quacum ceteroquin coniunctissime vixisse videtur [5], ab Antonio ad Caesarem transfugit, ab eoque benigne exceptus fuit [6]. Hunc virum ab Horatio donatum fuisse Carmine illo Libr. II. 3.:

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus ac bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia, moriture Delli,

Seu maestus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni.

[1] Dio Cassius Libr. XLIX. c. 39. A Iosepho Antiq. Iud. Libr. XV. c. 4. vocatur Artabazes, ab Orosio Libr. VI. c. 18. Artabanes.

[2] Dio Cassius Libr. LI. c. 5., cf. Strabo Libr. XI. p. 532., Tacitus Annal. Libr. II. c. 3.

[3] Dio Cassius Libr. XLIX. c. 40., Plutarchus in Vita c. 50.

[4] Strabo Libr. XI. p. 532. Cf. Plutarchus in Vita Antonii c. 59. Torrentius, Ianius et Vanderburgius, Dellium Historicum a Dellio, partium desultore, diversum fuisse statuerunt. Aliter Ruhnkenius ad Velleii Libr. II. c. 84.

[5] Seneca l. l.

[6] Velleius l. l., Seneca de Clementia Libr. I. c. 10., Plutarchus l. l., Dio Cassius Libr. L. c. 23. cl. 13.

quamvis, quod fere docent Interpretes, adulationis in eo ne vestigium quidem sit, sed tamen credibile omnino non esse, probavit Ommerenus. Dubito vero, an minus recte in auxilium vocaverit vs. 13. sqq.:

> Huc vina, et unguenta, et nimium brevis
> Flores amoenae ferre iube rosae:
> Dum res, et aetas, et sororum
> Fila trium patiuntur atra.

ubi *aetatem* bene, uti mihi videtur, explicat Acron *iuventam*. Dellium enim, cum Horatius hoc Carmen scripserit, iam aetatis provectioris fuisse, id quare censuerit Ommerenus, non video; hoc certe constat ex Dionis testimonio supra allato Libr. XLIX. c. 39. Dellium Antonio fuisse iuniorem. Quis autem fuerit Dellius Horatianus, prorsus non apparet. Scholiastes Cruquianus ubique pro *Dellio*, *Gellium* habet, quem Cruquius interpretatur L. Gellium Poplicolam, fratrem Messallae, consulem a. 718., de quo supra [1] iam vidimus.

Plancus simillimi Dellio ingenii, D. Brutum, quocum in a. 712. consul designatus erat, turpiter deseruit, mox insidiis petivit [2], tum partes triumvirorum amplexus, pro pretio defectionis, fratris sui Plotii proscriptionem impetravit [3]. Consul deinde factus fuit

---

[1] Pag. 174. et 176. Addam, Drumannum, *Geschichte Roms*, T. III. p. 66. n. 87. Messallam Gellinmque fratres habere uterinos, non ut Pighius facit, adoptivos.

[2] Cicero ad Diversos Libr. X. Epist. 1.—24., Velleius Libr. II. c. 63. et 64.

[3] Velleius l. l. c. 67., Orosius Libr. VI. c. 18., cl. Valerius Max. Libr. VI. c. 8. n. 5., Plinius Nat. Hist. Libr. XIII. c. 3. Sect. 5., Solinus c. 46.

a. 712., quo respicit Horatius Libr. III. Carm. 14. v. 27. sq.:

Non ego hoc ferrem calidus inventa,
Consule Planco.

Antonium postea in Orientem secutus, fuit inter humillimos Cleopatrae assentatores, artifex turpissimae adulationis, cuius adeo praecepta reliquit [1], arbiter luxuriae et profusionis [2], scurra vilis, qui, vir consularis, Glaucum [3] in convivio, genibus innixus et caudam trahens, saltavit. Neque interea Antonium pecunia fraudare neglexit, eaque de causa suspectus illi, paullo ante bellum Actiacum ad Caesarem profugit, cui, quaecumque ipsi Antonius commisisset, rationes, consilia, secreta, omnia prodidit [4]. Caesari autem minus probatus cum esset, ad veterem suam adulandi artem confugit, inventaque Augusti appellatione, qua Caesar honoraretur [5], usque adeo eius gratiam captavit, ut etiam censurae honoribus fuerit decoratus. Turpiter tamen ea functus est, cum timere deberet, ut ait Velleius [6], ne quidquam obiicere posset adolescentibus, aut obiicientes audire, quod non agnos-

[1] Seneca Nat. Quaest. Libr. IV. c. 1. § 5.: «Plancus — aiebat, non esse occulte, nec ex dissimulato blandiendum. Perit, luquit, procari, si latet.» Ibid. § 6.: «Plurimum adulator, quum deprehensus est, proficit: plus etiam nunc, si obiurgatus est, si erubuit.»

[2] Plinius Nat. Hist. Libr. IX. c. 35. Sect. 58., Macrobius Saturn. Lib. II. c. 13.

[3] Velleius Libr. II. c. 83., ibique Ruhnkenius, cf. tamen Welckerus, *die Aeschylische Trilogie Prometheus*, p. 474.

[4] Velleius l. l., Plutarchus in Vita Antonii c. 58., Dio Cassius Libr. L. c. 3.

[5] Velleius Libr. II. c. 91., Suetonius in Vita Augusti c. 7., Censorinus c. 21.

[6] Velleius Libr. II. c. 95.

ceret senex. Huic tamen turpissimo viro Horatium Carmen illud Libr. I. 7. inscripsisse, Interpretes statuunt, idque unice propter Planci nomen, ita positum vs. 19. sine ulla aetatis, indolis, dignitatisve significatione:

> Albus ut obscuro deterget nubila caelo
> Saepe Notus, neque parturit imbris
> Perpetuo: sic tu sapiens finire memento
> Tristitiam vitaeque labores
> Molli, Plance [1], mero; seu te fulgentia signis
> Castra tenent, seu densa tenebit
> Tiburis umbra tui.

cum tamen alii fuerint Planci, quos honorifice compellare potuit Horatius, neque illud: «seu te fulgentia signis Castra tenent,» recte in Plancum cadat, ut egregie ostendit Ommerenus. Seu enim Carmen a. 734. [2], seu 728. [3], sive iam a. 722. scriptum fuisse statuamus [4], Plancus profecto, qui triumphaverat a. 711., consulque fuerat a. 712. [5], aut non amplius militabat, aut inter belli duces, neque eius nomen tacituri fuissent historiarum scriptores. Sed alium nos Plancum cogitamus, huius filium fortasse, consulem a. 766. [6], ab Horatio, Libr. I. Epist. 3. v. 30.,

---

[1] Cod. Franeq., teste Cl. Peerlkampio: «*molli plange mero.*» Altera manus correxit: «*Plance.*»

[2] Fuersteuavius de Carm. aliquot Horat. Chronol. p. 17. 20.

[3] Grotefendus in Erschii et Gruberi *Allg. Encycl.* Sect. II. T. X. p. 471. Idem censuit versus 14 priores integrum carmen esse, ab altero, quod incipit vs. 15., separatum.

[4] Massonus in Vita Horatii p. 139.

[5] Bis consul fuit, teste Plinio Nat. Hist. Libr. XIII. c. 3. Sect. 5., sed de anno alterius consulatus non constat.

[6] Suetonius in Vita Augusti c. 101. Tacitus Annal. Libr. I. c. 39., Dio Cassius Libr. LVI. c. 28.

nomine Munatii designatum, de quo infra fusius inter Horatii familiares.

§ 9.

Antequam ab Antonio ad Caesarem ciusque socios transeamus hac Sectione de Pollione, deque Cocceio Nerva videbimus. Fuit hic teste Appiano, cum Caesaris, tum Antonii amicus; ille, suis verbis, neutrius partes amplexus, praeda futura victoris [1].

Fuerat POLLIO inter duces Caesaris, cum hic Rubiconem transisset [2], in pugna Pharsalica quoque [3], post in Africa cum eodem [4]. Caesare occiso, ex Hispania ulteriore, cui praefectus fuerat, in Galliam est profectus, seque cum M. Antonio coniunxit. In obsidione Perusina eiusdem partes est secutus, apud Actium vero, ut modo diximus, neque Antonium adiuvit, neque Caesari contra illum auxilium ferre voluit. Huic adeo, omni tempore, nisi suspectus, minus gratus certe acceptusque fuisse videtur [5]. Fit autem duplex eius mentio in Carminibus Horatianis, Libr. I. Sat. 10., ubi ab Horatio inter fautores suos amicosque recensetur vs. 84. sq.:

---

[1] Velleius Libr. II. c. 86.

[2] Plutarchus in Vita Caesaris c. 32. De necessitudine inter Pollionem et Caesarem cf. Cicero ad Divérsos Libr. X. Epist. 31., Velleius Libr. II. c. 63.

[3] Plutarchus in Vita Pompeii c. 72., cf. id. in Vita Caesaris c. 46., Appianus de Bello Civili Libr. II. c. 82., cf. Suetonius in Vita Caesaris c. 30.

[4] Plutarchus in Vita Caesaris c. 52.

[5] M. A. Seneca Excerpt. Controv. Libr. IV. Praef. p. 360. sq., L. A. Seneca de Ira Libr. III. c. 23., Macrobius Saturn. Libr. II. c. 4., cf. Tacitus Annal. Libr. I. c. 12., Dio Cassius Libr. LVII. c. 2.

Ambitione relegata, te dicere possum,
Pollio;

tum Libr. II. Carm. 1., quod illi Horatius inscripsit:

Motum ex Metello consule civicum,
Bellique causas, et vitia et modos,
Ludumque Fortunae, gravisque
Principum amicitias, et arma

Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosae plenum opus aleae,
Tractas, et incedis per ignis
Subpositos cineri doloso.

unde apparet, Pollionem, quo tempore Horatius hoc Carmen composuit, cuius vero aetatem Interpretes diverse constituerunt [1], historiis scribendis operam dedisse, quas, multa cum laude, auctores historiae Romanae commemoraverunt; nos vero vix unum alterumque ex iis fragmentum superstes habemus [2]. Pergit Horatius vs. 9. sqq.:

Paullum severae Musa tragoediae
Desit theatris; mox, ubi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,

quam stropham Cl. Peerlkampius expunxit; Dacerius, cum ceteris, ad idem Pollionis historiarum opus retulit, tragoediam dictam, uti censet, propter argumenti gravitatem et nobilitatem; reliqui vero

[1] Wielandus retulit ad a. 717., alii ad alium annum, vid. p. 97. n. 2.

[2] Vid. Cl. Thorbeckii Disp. de C. Asinio Pollione P. II. c. 2. p. 108. *de Asinio Pollione Historico et Poeta.* Insigne earum fragmentum servavit Seneca Suas. VII. p. 38. Septendecim fuisse libris conscriptas testatur Suidas in voce Ἀσσίννιος.

Interpretes hoc consilium esse Horatii opinati fuerunt, ut Pollio tragoediis componendis tamdiu abstineret, donec historias suas, quas Horatius avidissime exspectabat, absolvisset. Pollionis tragoedias respicit quoque Horatius Libr. I. Sat. 10. v. 42. sq.:

> Pollio regum
> Facta canit pede ter percusso:

ubi recte Scholiastae; Aeron: «*Pollio tragoediam scripsit trimetro*,» Porphyrion: «*Solum illis temporibus Pollionem dicit bene scribere tragoediam*,» et Cruquianus: «*Pollio est optimus Tragoediographus.*» Laudantur Pollionis tragoediae a Virgilio Ecl. VIII. v. 6. sqq.:

> Tu mihi, seu magni superas iam saxa Timavi,
> Sive oram Illyrici legis aequoris; en erit umquam
> Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?
> En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
> Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?

sunt enim Carmina Sophocleo digna cothurno, ea, quae ad Sophocleam gravitatem et maiestatem accedunt. Male Scholiastae interpretantur; Servius: «*Quamquam impar sit ingenium, quia tu dignus es stilo Sophocleo*,» Pseudo-Servius: «*Ideo hoc de Pollione dictum volunt, quod et ipse utriusque linguae scriptor fuit*,» Philargyrius: «*Asinium Pollionem intelligit tragoediarum scriptorem; aut Varium, cuius extat Thyestes Tragoedia, omnibus Tragicis praeferenda.*» Ita quoque Ecl. III. v. 84. sqq.:

> Damoetas. Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam:
> Pierides, vitulam lectori pascite vestro.

MENALCAS. Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,
Iam cornu petat et pedibus qui spargat arenam.
DAMOETAS. Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet [1].

Carmina enim illa Pollionis *nova*, eadem sunt, quae Ecl. VIII. v. 10. *Sophocleo digna cothurno* dicuntur, ut recte Cl. Thorbeckius Weichertusque [2] censuerunt. *Nova* Servius interpretatur, *magna*, *miranda*, idque Cl. Thorbeckius comprobavit [3]; I. H. Vossius, quocum facit Weichertus, novitatis gratiam voce *nova* iis conciliari putabat; Heynius Carmina intelligit, qualia nunquam ante Pollio fecerat, appositeque confert Horatii locum Libr. I. Carm. 26. v. 10. sqq.:

hunc fidibus novis,
Hunc Lesbio sacrare plectro
Teque tuasque decet sorores.

Ceterum ne nomina quidem Pollionis tragoediarum supersunt. Sententia vero de iis, quam tulit Auctor Dialogi de Oratoribus c. 21. est valde severa: «Asinius quoque quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe et Accium, non solum tragoediis, sed etiam orationibus suis expressit, adeo durus et siccus est.» Negat Weichertus tragoedias Pollionis umquam in scena editas fuisse; Horatii vs. 9. sq.:

Paullum severae Musa tragoediae
Desit theatris:

interpretandos esse censet: Omitte studium scriben-

[1] «Quod primum occurrit, est, ut suppleas: *pervenisse*.» HEYNIUS.
[2] De Vario et Cassio, Exc. III. *de C. Asinio Pollione, tragoediarum scriptore*, p. 148. sqq. cl. p. 51. sqq.
[3] L. l. p. 125.

darum tragoediarum, quae in theatris agantur, tantisper, dum, quod inchoasti, historicum de bellis civilibus opus pertexueris. Scripsit Epigrammata quoque Pollio, quorum unus Plinius Secundus meminit Libr. V. Epist. 3. [1]. Maior autem laus illi fuit oratoriae facultatis, itaque Horatius verissime vs. 13. sqq.:

Insigne moestis praesidium reis,
Et consulenti Pollio curiae:
Cui laurus aeternas honores
Dalmatico peperit triumpho.

Tum denuo suam illius historiarum exspectationem disertissime exponit:

Iam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures: iam litui strepunt:
Iam fulgor armorum fugacis
Terret equos, equitumque vultus.

Videre magnos iam videor duces [2]
Non indecoro pulvere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta,
Praeter atrocem animum Catonis.

«Insigne moestis praesidium reis» iure dicitur Pollio, qui Lamiae, Apollodori, Nonii Asprenatis, Moschi, Scauri aliorumque causas egregie est tuitus, cuiusque eloquentia ab utroque Seneca [3], a Plinio [4], a Tacito [5] et Quintiliano [6] laudibus praedicata fuit, quamvis

[1] Cl. Libr. VII. Epist. 4.

[2] Cl. Peerlkampius: «*Sudare — iam video, cet.*»

[3] A Rhetore Exc. Controv. Libr. IV. praef. p. 361. sq., a Philosopho de Tranquillitate Animi c. 15. § 13.

[4] Nat. Hist. Libr. VII. c. 30. Sect. 31.

[5] Annal. Libr. XI. c. 6.

[6] Instit. Orat. Libr. X. c. 1. § 113., Libr. XII. c. 10. § 11. Cf. Auctor Dial. de Orat. c. 25.

simul notaverint eius duritiem et ieiunitatem [1], qua tantum a nitore et iucunditate Ciceronis abfuit, ut videri possit seculo prior vixisse, iudice Quintiliano [2]. Sententiam Pollionis, omnem orationis facilitatem verborumque copiam ex rerum demum cognitione redundare, nobis Scholiastes Cruquianus servavit ad Art. Poët. v. 309. sqq.:

> Scribendi recte, sapere est principium et fons.
> Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae:
> Verbaque provisam rem non invita sequentur.

ubi annotavit: «*Hoc est, tunc verba non desunt, cum habueris quod dicas, et Pollio idem dixit: Male, hercle, eveniat verbis, nisi rem sequantur.*»

Versum sequentem: «Et consulenti, Pollio, curiae,» bene illustravit Orellius loco Sallustii Catil. c. 52., ubi Cato veteribus Romanis animum in consulendo, i. e. in deliberando, liberum tribuit. Perperam alii voce *te* sententiam suppleverunt, ut esset *consulere* pro *sententiam rogare*. Hoc enim consulis, non vero senatus erat [3].

Dalmaticus Pollionis triumphus ab Horatio vocatur, et ita quoque Florus [4] tradit, Pollionem Dalmatas

---

[1] Seneca Exc. Controv. l. l.

[2] L. l. Libr. X. c. 1. § 113., c. 2. § 17. Cf. Auctor Dial. de Orat. c. 21.

[3] Inde *Consules* dicti secundum Varronem de Lingua Latina Libr. IV. p. 24. Ed. Bip. Alii a *consulere*, pro *curam habere*, vocem *Consul* derivaverunt. Ita Accius apud Varronem l. l., Varro apud Nonium de Propr. Serm. in voce *Consul*, Florus Libr. I. c. 9. § 2. Cf. Cicero de Legibus Libr. III. c. 3., Quintilianus Instit. Orat. Libr. I. c. 6. § 32.

[4] Libr. IV. c. 12. § 10. et 11.

gregibus, armis, agris multasse, quamvis proprie Parthinos, gentem Illyriae [1], quae regio Dalmatiam adiacebat, subiecisset [2]. Pollio autem, consulatu functus a. 714., ab Antonio missus fuerat contra Parthinos, quod Bruto Cassioque auxilium tulissent [3], triumphavit de iis a. d. VIII. Kal. Nov. a. 715. Post triumphum in vitam privatam concessit, unice deditus studio literarum, quamvis haud defuit accusandi defendendique officio, nec senatoriae dignitati, donec mortem obierit a. aetatis LXXX. p. U. C. 756. s. 757 [4].

Addamus de Pollione ita legi in Vita quadam Horatii, quam edidit Vanderburgius [5]: «Maecenatis vero et Pollionis interventu (Horatius) in gratiam Augusti receptus est,» quod unde rescierit scriptor Vitae illius non constat, suum tamen auctorem in eo habuisse videtur.

Alter, cum Caesaris Octaviani tum quoque Antonii amicus, de quo hoc loco videbimus, est L. Cocceius Nerva. Horatius iter suum Brundisinum describens, Libr. I. Sat. 5. v. 27. sqq.:

---

[1] Strabo Libr. VII. p. 326., Stephanus Byzantinus in voce Πάρθος. Cf. Plinius Nat. Hist. Libr. III. c. 23. Sect. 26., Pomponius Mela Libr. II. c. 3.

[2] Appianus de Bello Civili Libr. V. c. 75., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 41. Salonam tamen, Dalmatiae oppidum, (vid. Strabo l. l. p. 315., Plinius l. l. c. 22. Sect. 26., Appianus de rebus Illyr. c. 11.,) Pollio quoque ceperat in eadem expeditione, vid. Servius ad Virgilii Ecl. III. v. 88., IV. v. 1., VIII. v. 12., Acron, Porphyrion et Schol. Cruq. ad Horatii Libr. II. Carm. I. v. 15. Cf. Cl. Thorbeckius l. l. p. 32.

[3] Appianus de Bello Civili Libr. IV. c. 88., Libr. V. c. 75.

[4] Hieronymus ad Ol. CXCV. 3.

[5] T. I. p. liv.

Maecenas, optimus atque
Cocceius, missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos soliti conponere amicos.

Qua ratione Cocceius amicos aversos composuerit, docet Appianus. Cum, scilicet, dissensione orta inter Caesarem et Antonium, a. 714., hic Italiam classe petiisset, Brundisiumque aggressus esset, Caesar autem cum exercitu eodem venisset, adeoque omnia ad bellum spectarent, eo tempore narrat Appianus [1]: «Λεύκιος ἦν Κοκκήϊος, ἑκατέρῳ φίλος, καὶ ὑπὸ Καίσαρος ἐς Φοινίκην τοῦ προτέρου θέρους πρὸς τὸν Ἀντώνιον ἀπέσταλτο μετὰ Καικίνα· ἐπανιόντος δὲ τοῦ Καικίνα, παρὰ Ἀντωνίῳ κατέμενεν. οὗτος τότε ὁ Κοκκήϊος τὸν καιρὸν οὐ μεθεὶς, ὑπεκρίνατο μεταπεμφθῆναι πρὸς Καίσαρος, ἀσπασόμενος αὐτόν. συγχωροῦντος δ' ἀπιέναι τοῦ Ἀντωνίου, πειρώμενος ἤρετο· Εἴ τι καὶ αὐτὸς ὁ Ἀντώνιος ἐπιστέλλει τῷ Καίσαρι, κεκομισμένος δι' αὐτοῦ Κοκκηΐου γράμματα. Καὶ ὁ Ἀντώνιος, Νῦν μὲν, ἔφη, τί ἂν ἀλλήλοις γράφοιμεν, ὄντες ἐχθροὶ, εἰ μὴ κακῶς ἀγορεύοιμεν ἀλλήλους; — Ὁ δὲ Κοκκήϊος οὐκ εἴα πω τὸν Καίσαρα καλεῖν ἐχθρὸν, ἔς τε Λεύκιον καὶ τοὺς ἄλλους Ἀντωνίου φίλους τοιόνδε γεγενημένον·» Lucium enim Antonium ceterosque M. Antonii amicos, quos dedito Perusio Caesar ceperat, eos non modo in vita servaverat, verum etiam honoribus auxerat. Id ipsum autem querebatur Antonius: «οὐ τοὺς φίλους ἐμοὶ περισώζειν ἔοικεν, ἀλλὰ ταῖς εὐεργεσίαις ἐχθροποιεῖν. Καὶ ὁ Κοκκήϊος, ἃ μὲν ἐμέμφετο, μαθὼν, οὐδὲν δὲ ἔτι ὀξυτέραν φύσιν ἐπερεθίσας, ᾤχετο πρὸς τὸν Καίσαρα. — Ὁ δὲ αὐτὸν ἰδὼν, ἐν θαύματι ἐποιεῖτο,

[1] De Bello Civili Libr. V. c. 60. sqq.

ὅτι μὴ θᾶσσον ἔλθοι· Οὐ γὰρ, ἔφη, καὶ τὸν σὸν ἀδελφὸν, ἵν' ἐχθρὸς ᾖς μοι, περιέσωσα· Ὁ δὲ, Πῶς, ἔφη, τοὺς μὲν ἐχθροὺς φίλους ποιῇ, τοὺς δὲ φίλους ἐχθροὺς ἀποκαλεῖς.» Frater ille L. Cocceii [1] fuit profecto M. Cocceius Nerva, proquaestor L. Antonii a. 713., consul a. 718. cum Gellio Poplicola. Seneca de eo, Libr. I. de Clementia c. 10.: «(Augustus) Sallustium et Cocceios et Dellios et totam cohortem primae interioris admissionis ex adversariorum castris conscripsit.» Pergit autem Appianus: « Οὕτω καθομιλῶν τὸν Καῖσαρα ὁ Κοκκήϊος, ἐκείνην τε τὴν ἡμέραν ἐξενίζετο παρ' αὐτῷ, καὶ ἐδεῖτο ἐπιστεῖλαί τι τῷ Ἀντωνίῳ, νεώτερον ὄντα πρεσβυτέρῳ.» Itaque Cocceii, tum quoque Maecenatis et Pollionis interventu, gratiae reconciliatio inter utrumque fuit, summo cum gaudio universae civitatis. Referunt Scholiastae, quos Interpretes nonnulli secuti fuerunt, Horatii iter Brundisinum, ad annum huius reconciliationis, 714., quae fere sub nomine pacis Brundisinae narratur ab historiae scriptoribus. Scholiastae enim ad Livii Librum CXXVII. provocant, hodie deperditum, (Porphyrion, mendose, ad

[1] Ursinus Fam. Rom. p. 65. apud Appianus l. l. pro *Lucio* substituere vult *Marcus*, eumque Sanadonus aliique Interpretes Horatii secuti sunt. Perperam, neque enim L. Cocceius idem praenomen habere potuit atque frater eius, cuius praenomen siletur ab Appiano, notum vero est ex nummo apud Ursinum l. l. et Havercampium in Thesauro, qui fuse de eo disputavit T. II. p. 100. Uter Cocceius intelligatur a Cicerone, ad Atticum Libr. XII. Epist. 13., 18. et 19., Libr. XVI. Epist. 15., incertum est. Ernestius quoque et Orellius in Onomasticis Ciceronianis Lucium et Marcum inter se non distinguunt. Sunt duo nummi inter Goizianos apud Havercampium l. l., p. 540., alter M. Cocceii Nervae IVviri monetalis temporibus triumvirorum, alter eiusdem, sive potius filii illius, patri cognominis, IIIviri monetalis a. 731.

CXVII.,) in quo de pace Brundisina relatum fuisse oportet. Sed eos egregie refutavit Massonus [1]. Anno enim 714., nondum Maecenas et Cocceius soliti erant amicos aversos componere. Tum praeterea Appianus diverse tradit, Pollionem partes Antonii in legatorum conventu tuitum fuisse, Maecenatem Caesaris, Cocceium reconciliatorem egisse, tacet autem nomen Fonteii. Denique eo anno Horatius nondum pervenerat in Maecenatis familiaritatem, quod factum est a. demum 716. s. 717. [2]. Wesselingius [3] idem iter retulit ad a. 716., quo Antonius, evocatus a Caesare, ut de bello contra S. Pompeium consilia inter se conferrent, Brundisium venit, mox vero rediit, seu prodigiis territus fuerit, seu offensus quod Caesar die statuto non adfuisset [4]. Sed eius quoque rationes fuse refutavit Kirchnerus [5], nihil enim neque Appianus neque Dio de legatione ea occasione tradiderunt, neque omnino ullus legationi locus fuit. Caesar enim, teste Appiano, non per legatos cum Antonio agere, sed ipse cum illo Brundisii congredi constituerat. Ipse contra Kirchnerus Massoni [6] sententiam confirmavit, Horatii iter Brundisinum factum fuisse

---

[1] In Vita Horatii p. 81. sqq.

[2] Horatius Libr. II. Sat. 6. v. 40. sqq.:

> Septimus octavo propior iam fugerit annus,
> Ex quo Maecenas me coepit habere suorum
> in numero:

Haec autem Satira scripta a. 723., vld. supra p. 124. n. 2., p. 303. n. 2.

[3] Observatt. variar. Libr. II. c. 15., cuius tamen disputationem non vidi.

[4] Appianus l. l. c. 78. sq., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 45. sq.

[5] Quaest. Horat. p. 54., singulari Sectione *de Itinere Brundisino.*

[6] L. l. p. 125. sqq. Kirchnerum secuti sunt, Frankius Fast. Ho-

a. 717., quo ineunte Antonius, iterum auxilium contra S. Pompeium a Caesare rogatus, Brundisium appulit cum classe navium trecentarum, magis ut res Caesaris exploraret, quam ut ei auxilium ferret contra Pompeium, quod cum Caesar intellexisset, Antonium adire noluit, hic vero in Syriam reverti cogitabat[1]. «Πρὶν δὲ ἢ ἀποπλεῖν αὐτὸν,» Dio narrat, «ἠτιάσαντο ἀλλήλους, πρότερον μὲν διὰ τῶν ἑταίρων, ἔπειτα δὲ καὶ δι' ἑαυτῶν,» Octavia vero intercedente, cum tandem denique convenissent Tarentum, quo Antonius, quem Brundisini recipere noluerant, classem appulerat, pax inter utrumque reconciliata fuit. Eo tempore Maecenatem legationem Roma ad Antonium suscepisse, Massoni sententia est. Nec obstat, quod iter illud Brundisium, non Tarentum, fuit, ut narrat Horatius; eo enim venturus erat Antonius, neque legati, cum profecti fuerunt, scire poterant, Antonium inde se Tarentum contulisse. Ceterum Tarentum non amplius unius diei itinere Brundisio abest, teste Strabone Libr. VI. p. 282.

Lucium Cocceium Nervam Wuestemannus consulem fuisse tradit a. 715. Nescio qua auctoritate, sed frustra consulem illius nominis in Fastis quaesivi [2]. Interpretes fere [3] iuris scientiam Cocceio Horatiano

rat. p. 96. sqq., Zumptius in nova Satirarum Horatii Editione Heindorfiana, quam curavit Wuestemannus, p. 34.

[1] Plutarchus in Vita Antonii c. 35., Appianus l. l. c. 92, Dio Cassius l. l. c. 54.

[2] Nec Ruhkopfii annotationem intelligo ad Senecae de Clementia Libr. I. c. 10.: «Erat M. Cocceius Nerva inter proavos Nervae, postea principis, consul a. 718. s. 714.»

[3] Idem I. H. M. Ernestius in Clavi Horatiana et Braunhardus in Indice.

tribuunt. Fuit quidem M. Cocceius Nerva omnis divini humanique iuris sciens [1], consul a. 775., qui mortuus est a. 786., hic vero potius filius Marci Cocceii, Lucii fratris, habendus esse videtur, quam ipse fuerit ille communis amicus Antonii et Caesaris Octaviani [2]. Scholiastae denique, Porphyrion Cocceium, de quo Horatius, avum, Acron et Cruquianus proavum fuisse statuunt Nervae Imperatoris. Secuti sunt Interpretes, ego vero, propter praenominum similitudinem, potius statuam, fratrem Lucii, Marcum, Nervae principis proavum fuisse. Ceterum praeter Appiani testimonium, clarissimum vero illud honorificumque, nihil de Lucio Cocceio Nerva compertum habemus.

§ 10.

Propter Caesarem Augustum, nimium diu Horatius male audiit, cum saepius accusatus fuerit turpissimae adulationis eiusdem viri, contra quem olim arma tulisset. Interpretes prorsus immemores fuere, quam verissime dixerit poëta:

Tempora mutantur et nos mutamur in illis.

Magna enim mutatio, eaque in melius, civitatis Romanae fucrat sub Caesare Octaviano, maior etiam ipsius. Itaque Messallae, quem tamen nemo incon-

[1] Tacitus Annal. Libr. IV. c. 58., Libr. VI. c. 26., Pomponius L. 1. § 47. Dig. de origine Iuris. Eius filius ab eodem ibid. inter claros ICtos refertur.

[2] Haud diversum esse Coccelum consulem a. 775. ab illo, cui Caesar Octavianus, Perusia capta a. 714., vitam dedit, Ruhkopfius miro errore ad Senecae i. l., de Clem. Libr. I. c. 10., statuit.

stantiae accusavit, quum antea Bruti Cassiique partes secutus esset, eorumque memoriam semper pie grateque servaret, Caesarem tamen hisce verbis in senatu salutare licuit: «Quod bonum faustumque sit tibi domuique tuae Caesar Auguste, (sic enim uos perpetuam felicitatem reipublicae et laeta huic precari existimamus,) senatus te, consentiens cum populo Romano, salutat [1].» Neque Varius adulator habitus est, cuius versus ex Panegyrico Augusti Horatius ipse uobis servavit Libr. I. Epist. 16. v. 27. sqq.:

> Tene magis salvum populus velit, an populum tu,
> Servet in ambiguo, qui consulit et tibi et urbi,
> Iuppiter,

consentiunt enim omnes, cum aequales Augusti, tum recentiores in laudibus eius celebrandis, quot quantisque beneficiis rempublicam affecerit [2], estque haec egregia descriptio felicissimae civitatis conditionis, illo regnante, quam uobis Velleius reliquit Libr. II. c. 89.: «nihil deinde optare a Diis homines, nihil Dii hominibus praestare possunt, uihil voto coucipi, nihil felicitate cousummari, quod nou Augustus, post reditum in Urbem, reipublicae populoque Romano terrarumque orbi repraeseutaverit. Finita vicesimo anno bella civilia, sepulta externa, revocata pax, sopitus ubique armorum furor, restituta vis legibus, iudiciis auctoritas, senatui maiestas, imperium magistratuum ad pristinum redactum modum. — Rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum

---

[1] Suetonius in Vita Augusti c. 58.

[2] Apte Oreliius Philonis Iudaei iocum (Legat. ad Caium c. 21.) confert ad Libr. II. Epist i. v. 3. sq.

suarum possessio, leges emendatae utiliter, latae salubriter; senatus sine asperitate, nec sine severitate lectus. Principes viri triumphis et amplissimis honoribus functi, hortatu principis ad ornandam urbem illecti fuerunt.» Prorsus consentit Horatio Libr. IV. Carm. 15. v. 4. sqq.:

tua, Caesar, aetas
Fruges et agris rettulit uberes,
Et signa nostro restituit Iovi
Derepta Parthorum superbis
Postibus, et vacuum duellis

Ianum Quirinum clausit, et ordinem
Rectum evaganti frena licentiae
Iniecit, emovitque culpas,
Et veteres revocavit artes;

Per quas Latinum nomen et Italae
Crevere vires, famaque, et imperi
Porrecta maiestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.

Custode rerum Caesare, non furor
Civilis aut vis exiget otium;
Non ira, quae procudit ensis,
Et miseras inimicat urbis.

Habuit defensores quoque suos Horatius, sed inter eos, qui, dum inconstantiae crimine eius memoriam liberare cuperent, illum fallaciae et simulationis reum fecerunt, ut qui alia in laudem Augusti dixisset, alia omnia cogitasset. Nuperrime vero Weberus Vir Doct. de necessitudine Horatium inter et Caesarem Augustum, ita egit [1], temporum ratione habita, ut Horatium exhibuerit, qualem ego quoque semper mihi

[1] *Jahrb. d. Philol. u Paedag.* T. IX. p. 281. sqq.

informaveram, virum constantem, patriae amantem, temporibus non adeo inservientem, quam potius sapienter cedentem. Solum Libri I. Carmen 2. nondum satis expedisse mihi videtur V. Cl., quod quam multas magnasque ad interpretandum difficultates, me iudice, habeat, supra iam significavi [1]. Ea hoc loco repetenda non esse censeo, itaque, misso illo, ad ceteros pergo locos Horatianos, in quibus Augusti fit mentio. In enarrandis illis, quantum potero, ordinem temporum servabo, eoque facilius Carmen illud Libr. I. 2. praetermittemus, quod, uti nunc legitur, aut alienum aut inter omnia primum locum occupare debet.

Quando Horatius primum innotuerit Caesari Octaviano, prorsus ignoramus, nisi verum tradiderit auctor Horatii Vitae, quam Vanderburgius [2] edidit: «Bruto — et Cassio ab Augusto superatis, Oracius Romam reversus est, q. tribunus militum fuerat, Maecenatis vero et Pollionis interventu in gratiam Augusti receptus est.» Sed primam eius mentionem facit Libr. I. Sat. 3. v. 4. sq., ubi de Tigellii Sardi perversitate loquens, qui modo rogatus canere nollet, modo vel invitis convivis obstreperet:

> **Caesar, qui cogere posset,**
> **Si peteret, per amicitiam patris atque suam, non**
> **Quicquam proficeret.**

deinde Epod. I. v. 1. sqq. ad Maecenatem:

> **Ibis Liburnis inter alta navium,**
> **Amice, propugnacula,**

---

[1] Vid. p. 274. sqq., cl. 281,

[2] Cf. supra p. 325.

Paratus omne Caesaris [1] periculum
Subire, Maecenas, tuo?

ubi ad vs. 7.: «utrumne iussi persequemur otium,» annotat Acron: «*utrumne (iussi) a Mecoenate aut a Caesare. Ipso enim agente Horatius ab Augusto meruerat militiae vacationem, quod iniucundum sibi sine ipso confirmat.*» Addunt Porphyrion et Schol. Cruqnianus Caesarem eam vacationem aliis negasse, cum totam urbem ad delectum vocaret.

Quum vero Horatius nuntium de victoria apud Actium accepisset, erat autem haec a. 723., undecimo post pugnam Philippensem, tum demum, effuso gaudio, in laudes victoris erupit, eumque, quo debuit, extollit honore Epod. IX.:

Quando o repostum Caecubum ad festas dapes,
Victore laetus Caesare,
Tecum sub alta (sic Iovi gratum) domo,
Beate Maecenas, bibam?

iustissimam autem indignationem expressit in milites Antonianos vs. 11. sqq.:

Romanus (ebeu posteri negabitis)
Emancipatus feminae
Fert vallum et arma miles, et spadonibus
Servire rugosis potest:
Interque signa turpe militaria
Sol aspicit conopium.

Desinit vero in magnificam, eamque ex corde expressam, Caesaris laudationem vs. 21. sqq.:

Io Triumphe; tu moraris aureos
Currus, et intactas boves.

[1] *Caesari* Cl. Peerlkampius.

Io Triumphe; nec Ingurthino parem
Bello reportasti ducem;
Neque Africanum, cui super Carthaginem
Virtus sepulcrum condidit. cet.

Ab illo inde tempore Horatii animus prorsus mutatus esse videtur erga Caesarem Octavianum, quem, ut statorem imperii civiumque conservatorem, per totam vitam suspexit debitoque honore celebravit. Ita proximo anno 724., post captam Alexandriam, Libr. I. Carm. 37. sensus vere Romanos vereque suos expressit:

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus: nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, sodales.

Antehac nefas depromere Caecubum
Cellis avitis: dum Capitolio
Regina dementis ruinas,
Funus et imperio parabat,

Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Sperare, fortunaque dulci
Ebria.

Sed oblitus eram mentionem facere Satirae 6. Libri II., quae ante illud Carmen a. 723. conscripta fuit [1]. Inducit in illa hominem importunum, ipsum ita interpellantem vs. 51. sqq.:

O bone (nam te
Scire, Deos quoniam proprius contingis, oportet)
Numquid de Dacis audisti? Nil equidem. Ut tu
Semper eris derisor! At omnes Di exagitent me,
Si quicquam. Quid? militibus promissa Triquetra
Praedia Caesar, an est Italis tellure daturus?

[1] Vid. p. 124. n. 2., p. 303. n. 2.

illo enim anno Daci, sive Getae, contra Romanos rebellavcrunt [1], suisque militibus, qui iam stipendiis confectis erant, agros Caesar daturus crat [2].

Aegypto in formam provinciae redacta, circa finem a. 724. in Asiam Octavianus ad hiberna concessit [3]. Tanta autem eius nominis fama, tanta iam reverentia crat, apud barbaros etiam, ut Tiridates et Phraates de imperio Parthorum decertantes, causam quisque suam, alter coram ipso, alter per legatos oraret eiusque auxilium implorarct [4]. Illo tempore [5] recte Horatius de Caesare, Libr. II. Sat. 5. v. 62. sqq.:

> Tempore quo invenis Parthis horrendus, ab alto
> Demissum genus Aenea, tellure marique
> Magnus erit;

originem eius, per aviam Iuliam, ex Aenea respiciens, quam ille, ut avunculus quoque eius Iulius Caesar, prae se ferre solebat [6].

Pertinet eodem locus e Libr. II. Sat. 1. v. 10. sqq., ubi ita Horatius. Trebatium illum Iureconsultum secum disputantem inducit:

---

[1] Vid. p. 302. sq.

[2] Dio Cassius Libr. LI. c. 4. Cf. Suetonius in Vita Augusti c. 17.

[3] Dio Cassius l. l. c. 18.

[4] Cf. Strabo Libr. VI. p. 288., Suetonius in Vita Augusti c. 43., Dio Cassius l. l., Iustinus Libr. XLII. c. 5. et supra p.

[5] Est haec Weberi sententia l. l. Eandem intra a. 719.—721. Heindorfius p. 370., Frankius Fast. Horat. p. 119. a. 722., Kirchnerus Quaest. Horat. in Tabula Chron. ad 725., Weichertus Poët. Lat. Rel. p. 346. ad 726. retulerant.

[6] Virgilius Aeneid. Libr. I. v. 286., Strabo Libr. XIII. p. 595., Velleius Libr. II. c. 41., Suetonius in Vita Caesaris c. 6. Cf. Horatius Libr. IV. Carm. 15. v. 31. sq., Carm. Saec. v. 50.

si tantus amor scribendi te rapit [1], aude
Caesaris invicti res dicere, multa laborum
Praemia laturus. Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereuntis cuspide Gallos [2],
Aut labentis equo describit volnera Parthi.
Attamen et iustum poteras et scribere fortem,
Scipiadam ut sapiens Lucilius. Haud mihi deero,
Cum res ipsa feret: nisi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem:
Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus.

Quae cum scriberet, Horatium nondum in familiaritatem Octaviani fuisse admissum, adeoque dubitasse de eius animo erga sese, apparet; quare rectissime Frankius [3] huic potissimum tempori Satiram laudatam adscripsit. Parthi, quamvis invicti, reverentiam certe praestiterant Octaviano, itaque Horatius, ut poëta, Parthos labentes equo dicere potuit, quemadmodum Virgilius hoc eodem tempore Georg. Libr. III. v. 30. sq.:

Addam urbis Asiae domitas, pulsumque Niphaten,
Fidentemque fuga Parthum, versisque sagittis,

Galli autem pereuntes, vs. 14., illi sunt, quos, proximos per annos complures, cum ipse, tum quoque per

---

[1] Bentleius: *capit.*

[2] Est Porphyrionis ad hunc locum scholion: «*de historia est: Nam Marius adversus Santonas talia tela commentus est, ut fracta mitterentur, ne remitti ab hostibus possent.*» Rem confirmat Plutarchus in Vita Marii c. 25., sed pro: «*ut fracta mitterentur,*» legendum censeo: «*ut fragilia mitterentur.*» Cuspidem Marius cum hastili coniunxerat clavo ligneo, qui erat ἔνθρανστος, teste Plutarcho. Gesnerus emendavit: «*ut missa frangerentur.*»

[3] Fast. Horat. p. 112. sqq., Weichertus l. l. p. 298. in a. 727., Kirchnerus l. l. p. 17. in 726., Weberus l. l. in 725. s. 726. contulit.

Agrippam, rebellantes erat aggressus denuoque subiecerat Octavianus [1].

Domum redux tres triumphos magnificos egit Caesar Octavianus, a. d. VIII., VII. et VI. Id. Sext. a. 725., Dalmaticum, Actiacum et Alexandrinum [2], quos Horatius significat Libr. II. Carm. 12. v. 9. sqq., ubi, invitatus a Maecenate ut Caesaris laudes celebret, ita respondet:

> tuque pedestribus
> Dices historiis proelia Caesaris,
> Maecenas, melius, ductaque per vias
> Regum colla minacium.

Nec umquam aliter Horatius. Omni tempore eiusmodi argumentum detrectavit, memor ipse praecepti sui, quod dedit in Arte Poëtica vs. 38. sqq.:

> Sumite materiem vestris, qui scribitis, aequam
> Viribus; et versate diu, quid ferre recusent,
> Quid valeant humeri.

Neque enim, quod alii statuerunt, Horatium memoriam servasse puto veteris dissensionis, cum arma adversus Caesarem tulisset, adeoque huic per totam vitam subinfestum fuisse, mentem vero suam callidissime occultasse. Sed constabat ipse sibi, qui quoque post Libr. II. Carm. 12. scriptum, ita Libr. III. Carm. 3. vs. 70. sqq.:

---

[1] Appianus de Bello Civili Libr. V. c. 92., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 20. et 49., Libr. XLIX. c. 34. et 38., Libr. L. c. 24.

[2] Virgilius Aeneid. Libr. VIII. v. 714., Velleius Libr. II. c. 89., Suetonius in Vita c. 22., Dio Cassius Libr. LI. c. 21., Macrobius Saturn. Libr. I. c. 12., Orosius Libr. VI. c. 20.

Quo Musa tendis? desine pervicax
Referre sermones Deorum, et
Magna modis tenuare parvis.

quique iterum Libr. IV. Carm. 15. v. 1.:

Phoebus volentem proelia me loqui
Victas et urbis, increpuit lyra;
Ne parva Tyrrhenum per aequor
Vela darem.

qui nec Agrippam laudare voluit, Libr. I. Carm. 6., haud maligne ei laudes suas invidens; cupidum vero, ut ipsius verbis e Libr. II. Sat. 1. absolvam, vires, animus certe, deficiebant.

Eodem anno 725. Ianum primo clausit Octavianus [1], quod idem bis postea fecit [2], censuraque tum co anno tum sequenti cum Agrippa functus est [3]. Huc referri potest Libr. III. Carm. 6. v. 1. sqq.:

Delicta maiorum inmeritus lues,
Romane, donec templa refeceris
Aedesque labantes Deorum et
Foeda nigro simulacra fumo.

Censorum enim cura erat templorum reficiendorum, multaque Caesar aut prorsus restituit aut magnificentissime ornavit [4]. Sed egregie quoque huc facit initium Epistolae 1. Libri II., quamvis postea scriptum:

---

[1] Dio Cassius Libr. LI. c. 20.

[2] Suetonius in Vita c. 22.

[3] Dio Cassius Libr. LII. c. 42., Libr. LIII. c. 1.

[4] Livius IV. c. 20., Velleius Libr. II. c. 99., Suetonius in Vita c. 29. et 30., Dio Cassius Libr. LIII. c. 1. et 2., Libr. LIV. c. 19. Recenset ea ipse Caesar in Monumento Ancyrano.

Cum tot sustineas et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes;

quae prorsus cadunt in Caesaris Octaviani merita per illum magistratum. Haec cogitans Horatius, eodem tempore, si vera est Frankii sententia [1], cecinit Libri III. Carm. 25.:

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum? quae nemora, aut quos agor in specus,
Velox mente nova? quibus
Antris egregii Caesaris audiar
Aeternum meditans decus
Stellis inserere, et concilio Iovis?

quo magnam sibi invidiam contraxit, quasi reus turpissimae adulationis, quum Interpretes nonnulli prorsus obliti fuisse videntur, quid ratio poëtica, eaque praesertim in Carmine lyrico postularet.

In hocce magistratu a. 726. Octavianus princeps senatus renunciatus fuit [2], more veteris reipublicae, eoque Principis nomine in posterum per totam vitam appellatus est. Ita Horatius Libr. I. Carm. 21. vs. 14. sq.: Hic, Apollo, aget bellum, famem

Pestemque a populo, principe Caesare [3], in
Persas atque Britannos.

Ita Ovidius Fast. Libr. II. v. 141. sq., ad Romulum:

Vis tibi grata fuit: florent sub Caesare leges.
Tu Domini nomen, Principis ille tenet.

---

[1] Fast. Horat. p. 196. Ita quoque Vanderburgius T. II. p. 173. sqq., qui ad a. 725., Kirchnerus in Tabula Chronol., qui ad a. 726. retulit.

[2] Dio Cassius Libr. LIII. c. 1.

[3] Vulgo: *populo et principe C.*, quod servavit quoque Bentleius.

quamvis eo sensu cum Octavianus hoc titulo usus est, tum eius successores, ut potius principem Imperii, quam senatus significaret [1]. Sed perperam nonnulli statuunt, Libr. I. Carm. 2. ante a. 726. scribi non potuisse propter vs. 50., ubi ita Caesarem alloquitur Horatius:

Hic ames dici Pater atque Princeps.

Princeps enim, non senatus, sed civitatis omni tempore recte vocari potuit Octavianus, uti quoque eodem in loco Pater dicitur, quamvis a. demum 752., post mortem Horatii, ita publice appellatus fuit [2].

Ad eundem annum pertinere quoque videtur Carmen modo laudatum Libr. I. 21.:

Dianam tenerae dicite virgines:
Intonsum, pueri, dicite Cynthium,
Latonamque supremo
Dilectam penitus Iovi.

cuius in fine, vs. 13. sqq., Apollo, inquit Horatius,

Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
Pestemque a populo, principe Caesare [3], in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

---

[1] Ovidius Trist. Libr. II. v. 463., Plinius Nat. Hist. Libr. II. c. 31. Sect. 31., Libr. V. c. 9. Sect. 10., Tacitus Annal. Libr. I. c. 1. et 9. cet., Suetonius in Vita Tiberii c. 42., Caligulae c. 22. Aliter Weichertus Caesaris Aug. Rel. p. 68. n. 23.

[2] Suetonius in Vita c. 58., Gruterus Inscript. p. CXXXVI. 2., ci. tamen p. CCXXVI. 6. Cf. Ovidius Fast. Libr. II. v. 127. sq., Florus Libr. IV. c. 12. § 66. Vid. Perizonius Animadv. Hist. p. 313. sqq.

[3] Vid supra p. 340. n. 3.

siquidem Frankius [1] recte suspicatus est, cantatum illud fuisse in prima celebratione ludorum Actiacorum quinquennalium, quos cum gymnicis tum musicis quoque certaminibus illustravit Octavianus [2]. Firmat sententiam suam Frankius scholio Cruquiano: «*Cum Augustus ab Actio, Epiri promontorio, superato Antonio, esset victor reversus, ludos scenicos Romae celebravit in honorem Apollinis et Dianae, sed praecipue Apollinis, quod putaret se ab illo praecipue fuisse defensum, et propter hos ludos et Carmen, Augustus Divus tunc esse meruit, in cuius gratiam Horatius in Capitolio decantari fecit a pueris et puellis hoc Carmen a se edoctis.*» Quae quidem hodie inter scholia Cruquiana ad Carmen Saeculare leguntur, sed longe rectius locum suum ad Carmen laudatum 21. Libri I. tuebuntur. Acron perperam hoc quoque Carmen retulit ad ludos saeculares, cui fidem habere non debuerat Massonus, tres enim priores Odarum Libros Horatius, teste Suetonio in Vita, longo intervallo edidit ante a. 739., quo Tiberius et Drusus victoriam de Raetis Vindelicisque reportaverunt, Carmen autem Saeculare non nisi biennio ante scriptum fuit a. 737. Sed perperam statuit Frankius, Persas atque Britannos nominari ab Horatio, quoniam Octavianus eo anno 726. duas expeditiones, alteram in Orientem contra Arabes, alteram in Britanniam pararet. Neque enim Persae iidem sunt atque Arabes, tum praeterea expeditio illa in Orientem vix ante annum 727. comparata fuit [3]. Persae

---

[1] Fast. Horat. p. 163. sqq.

[2] Dio Cassius Libr. LI. c. 1., Libr. LIII. c. 1.

[3] Vid. Massonus in Vita Horatii p. 196. sqq.

atque Britanni potissimum nominantur, quia hostes remotissimi nominis Romani erant.

Templum Apollinis Palatini hoc eodem anno 726. dedicavit Octavianus [1], qua occasione Libr. I. Carm. 31. composuit Horatius:

> Quid dedicatum poscit Apollinem
> Vates? quid orat, de patera novum
> Fundens liquorem?

Bibliotheca templo adiecta fuit [2], quam significat Horatius Libr. I. Epist. 3. v. 17.:

> Scripta, Palatinus quaecunque recepit Apollo,

ubi annotavit Acron: «*Caesar in bibliotheca sibi statuam posuerat ad habitum ac staturam Apollinis.*»

Anno 727. Caesar Augustus appellatus fuit, quamvis de die dissentiant scriptores [3]. Est itaque Augusti appellatio certo indicio, Carmen, in quo ita Caesar dicitur, non esse scriptum ante illum annum, sunt vero etiam quae post composita fuerunt, in quibus, ut antea, Caesar vocatur. Ita hoc ipso anno, cum Caesar, ut modo vidimus, duplicem expeditionem, alteram in Britanniam, alteram in Orientem pararet, felicem utrique eventum ita Horatius precatur Libr. I.

---

[1] Velleius Libr. II. c. 81., Suetonius in Vita Augusti c. 29., Dio Cassius Libr. LIII. c. 1., ci. Libr. XLIX. c. 15.

[2] Ovidius Trist. Libr. III. Eleg. 1. v. 65. sq., Suetonius l. l., Dio Cassius l. l.

[3] Secundum Orosium Libr. VI. c. 20. a. d. VIII. Id. Ian., Tab. Narbon. apud Gruterum p. CCXXIX. a. d. VII. Id. Ian., Ovidium Fast. Libr. I. v. 587. Id. Ian., Fastos Praenest. a. d. XVII. Kal. Febr. vid. Fogginius ad eos p. 13., Censorinum c. 21. a. d. XVI. Kal. Febr. Ceterum vid. Vellcius Libr. II. c. 91., Suetonius in Vita c. 7., Dio Cassius Libr. LIII. c. 16., Monum. Ancyranum.

Carm. 35. v. 29. sqq.: O Diva, gratum quae regis Antium, —

Serves iturum Caesarem ad ultimos
Orbis Britannos, et iuvenum recens
Examen Eois timendum
Partibus Oceanoque rubro.

Fit altera quoque mentio huius expeditionis contra Arabes Carm. 29. eiusdem Libri, Iccio inscripto, sed de Iccio infra pluribus acturi sumus. Desinit autem poëta vs. 38. sqq.:

O utinam nova
Incude defingas retusum in
Massagetas Arabesque ferrum,

Massagetas, populum invictum, in finibus septentrionalibus imperii Romani, circa mare Caspium degentem [1], coniungens cum Arabibus, invictis et ipsis ad fines meridianos.

Augustus autem, cum in Britanniam esset traiecturus, consilium mutavit, quum incolae missis legatis pacem ab eo petissent [2]. Cecinit tunc [3] in eius honorem Horatius Libr. III. Carm. 5. v. 1. sqq.:

Caelo tonantem credidimus Iovem
Regnare: praesens Divus habebitur
Augustus, adiectis Britannis
Imperio, gravibusque Persis.

Rem sane auget poëta, cum de Parthis, ut supra

---

[1] Strabo Libr. XI. p. 507. et 512. sq. Ed. a. 1620.

[2] Dio Cassius Libr. LIII. c. 22.

[3] Uti rectissime statuit Frankius Fast. Horat. p. 189. sqq. Post a. 734. collocaverant Massonus in Vita Horatii p. 312., Kirchnerus Quaest. Horat. p. 31., Weichertus de Vario et Cassio p. 373.

vidimus, tum de Britannis, prorsus nondum [1] adiectis imperio Romano, sed ita vel Strabo [2] quoque, quamvis remotus a poëtica exornatione: «*νυνὶ μέντοι τῶν δυναστῶν τινες τῶν αὐτόθι, πρεσβεύσεσι καὶ θεραπείαις κατασκευασάμενοι τὴν πρὸς Καίσαρα τὸν Σεβαστὸν φιλίαν, ἀναθήματά τε ἀνέθηκαν ἐν τῷ Καπιτολίῳ, καὶ οἰκείαν σχεδὸν παρεσκεύασαν τοῖς Ῥωμαίοις ὅλην τὴν νῆσον.*» Medos triumphatos quoque vocat Horatius in Carm. 3. Libri III., quod ad eundem a. 727. retulit Frankius [3]. Permittit Iuno Marti immortalitatem Quirini vs. 37. sqq.:

Dum longus inter saeviat Ilion
Romamque pontus; qualibet exsules
In parte regnanto beati:
Dum Priami Paridisque busto

Insultet armentum, et catulos ferae
Celent inultae; stet Capitolium
Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis.

Pergit autem vs. 57. sqq.:

Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico; ne nimium pii
Rebusque fidentes, avitae
Tecta velint reparare Troiae.

quae Iunonis cautio Fabro in mentem revocavit locum Suetonii in Vita Caesaris c. 79.: «Quin etiam varia fama percrebuit, migraturum Alexandriam vel Ilium, translatis simul opibus imperii, exhaustaque

[1] Suetonius in Vita Claudii c. 17.
[2] Libr. IV. p. 200.
[3] Fast. Horat. p. 187.

Italia delectibus, et procuratione urbis amicis permissa,» ut adeo opinatus fuerit Faber, Augustum quoque eo tempore eiusmodi consilium agitasse, Horatium vero id illi dissuasisse. In initio Carminis Augustus cum Polluce et Hercule adscribitur coelestibus vs. 11. sqq.:

Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibet [1] ore nectar.

quod iam ab anno inde 725., vel publice, in hymnis factum fuisse docet Dio Cassius Libr. LI. c. 20.: «*καὶ ἐπειδὴ καὶ τὰ περὶ τῶν Πάρθων γράμματα ἦλθεν, ἔς τε τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς θεοῖς ἐσγράφεσθαι, κ. τ. λ.*»

Anno proximo 728., cum Britanni pacem denuo turbassent, contra eos profecturus erat Augustus, sed Cantabrorum et Asturum rebellione in Hispaniam ire coactus fuit [2]. Scripsit Horatius eo tempore [3] Libr. III. Carm. 5., ubi Musas allocutus ita vs. 29. sqq.:

Utcumque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosporum
Tentabo, et arentis arenas
Litoris Assyrii viator.

Visam Britannos hospitibus feros,
Et lactum equino sanguine Concanum:
Visam pharetratos Gelonos,
Et Scythicum inviolatus amnem.

---

[1] Bentleius: *bibit*.

[2] Dio Cassius Libr. LIII. c. 25.

[3] Frankius Fast. Horat. p. 188.

Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas [1] cohortes reddidit oppidis,
Finire quaerentem labores,
Pierio recreatis antro.

Componit vs. 33. sqq. hostes, qui eo tempore erant, nominis Romani: Britannos, de quibus iam vidimus; Concanum, sunt autem Concani Cantabrorum populus [2], primum ab Horatio commemoratus, de quo Silius Italicus Punic. Libr. III. v. 361., Horatium imitatus:

Cornipedis fusa satiaris, Concane, vena;

Gelonos denique, qui ad Scythicum amnem, i. e. Tanaim, habitabant [3], semper vero incursionibus imperium infestabant, donec a Lentulo [4] Danubio prohibiti fuerunt [5], quin etiam legatis usque in Hispaniam missis pacem ab Augusto petiverunt [6].

Quod Fea voces *altum militiae* vs. 37. coniungendas esse censebat, id haudquaquam comprobabit, qui meminerit, quam pauca Augustus adolescens [7],

---

[1] Lambinus: *Fessus*, e coniectura. Et ita legitur in MS. Vossiano, teste Cl. Peerlkampio in Biblioth. Critica Nova T. I. p. 117.

[2] A Strabone Libr. III. p. 162. vocantur Κονίσκοι, p. 156. Κωνιακοί. Concana oppidum est apud Ptolemaeum Libr. II. c. 6. Originem populi a Massagetis deducit Silius Punic. Libr. III. v. 360. sq.

[3] Plinius Nat. Hist. Libr. IV. c. 12. Sect. 26.

[4] Cf. supra p. 229.

[5] Florus Libr. IV. c. 12. § 20., ubi Sarmatae vocantur, quorum finitimi erant Geloni, vid. Herodotus Libr. IV. c. 108., Pomponius Mela Libr. I. c. 19. Cf. Virgilius Aeneid. Libr. VIII. v. 725. sq.

[6] Suetonius in Vita Augusti c. 21., Florus Libr. IV. c. 12. § 62., Eutropius Libr. VII. c. 10., Orosius Libr. VI. c. 21.

[7] Cf. Velleius Libr. II. c. 70., Valerius Max. Libr. I. c. 7. n. 1., Pli-

tum quoque per totam vitam, praestiterit in bello [1]. Sed recte Horatius illum exhibuit otium Musarum studio oblectantem, quibus magnam omni tempore operam impendit, ut testantur poëmata, quae composuit, de Sicilia [2], Epigrammata [3], versus fescennini [4], tragoedia Aiax [5], tum quoque soluta oratione [6], laudationes [7], commentarii de vita sua [8], alia, quorum omnium fragmenta, si quae supersunt, olim collegit Rutgersius [9], nuper maiori cura et diligentia V. Cl. Weichertus [10].

Cantabris autem ab Augusto devictis [11], Britannis quiescentibus, Dacis [12], Gelonisque pacatis, Parthis

---

nius Nat. Hist. Libr. VIII. c. 45. Sect. 46., Plutarchus in Vita Antonii c. 22., in Vita Bruti c. 41., Appianus de Bello Civili Libr. III. c. 71., Libr. IV. c. 110., Libr. V. c. 109. sqq., Dio Cassius Libr. XLVI. c. 37., Libr. XLVII. c. 41., Libr. XLVIII. c. 47., Libr. XLIX. c. 5. sqq.

[1] Unius Suetonii locum in Vita Augusti c. 8. in auxilium vocare potuerat Fea. Cf. quoque c. 10.

[2] Suetonius l. l. c. 85.

[3] Martialis Libr. XI. Epigr. 20., Plinius Libr. V. Epist. 3., Suetonius l. l.

[4] Macrobius Saturn. Libr. II. c. 4.

[5] Suetonius l. l., Macrobius l. l., Suidas in voce *Αὔγουστος Καῖσαρ*.

[6] Tacitus Annal. Libr. XIII. c. 3., Suetonius l. l. c. 84. et 86., Gellius Libr. XV. c. 7.

[7] Quintilianus Iustit. Orat. Libr. XII. c. 6., Suetonius l. l. c. 8., in Vita Claudii c. 1., Dio Cassius Libr. LIV. c. 28. et 35., Libr. LV. c. 2.

[8] Suetonius l. l. c. 85., Plutarchus in Comp. Demosth. cum Cic. c. 3., Appianus de Bello Civili Libr. IV. c. 110., Dio Cassius Libr. XLIV. c. 35., Pseudo-Servius ad Aeneid. Libr. I. v. 712.

[9] Variarum Lectionum Libr. II.

[10] Imp. Caesaris Aug. Script. Rel. Fasc. I. Grimae, 1841.

[11] Dio Cassius Libr. LIII. c. 26.

[12] Vid. supra p. 229.

cohibitis intra fines suos, pax erat per totum imperium Romanum, Ianus denuo clausus fuit [1]. Huc pertinet locus Libr. III. Carm. 8. v. 18. sqq.:

Occidit Daci Cotisonis agmen:
Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis:

Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber, sera domitus catena:
Iam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis,

quod in hunc annum 729. Frankius collocavit, quamvis Medorum discidium non satis recte expedivit, ut supra ostendimus [2]. Sed plures sunt difficultates, quas habet Carmen laudatum, quod a Cl. Peerlkampio Horatio est abiudicatum, de quibus pluribus infra, nunc pergamus ad Libr. II. Carm. 9. huic quoque anno probabiliter a Frankio [3] adscriptum. In eo ad Valgium Horatius vs. 19. sqq.:

nova
Cantemus Augusti tropaea
Caesaris: et rigidum [4] Niphaten,

Medumque flumen gentibus additum
Victis, minores volvere vertices;
Intraque praescriptum Gelonos
Exiguis equitare campis,

Niphaten fluvium significans, ut et alii poëtae fece-

[1] Vid. supra p. 339.
[2] Pag. 229.
[3] Fast. Horat. p. 179. sqq.
[4] Cf. Martialis Libr. XII. Epigr. 21. v. 1.

runt [1], qui vero mons est apud geographos, Strabonem [2] et Stephanum Byzantinum. Flumen autem Medum Euphrates est, olim ita dictus, teste Plutarcho [3].

Ianus autem anno proximo 730., cum Augustus Romam redisset [4], rursus apertus est, Cantabris Asturibusque rebellantibus [5]. Antequam vero novas turbas suscitaverunt, cum Augustus Romae exspectaretur, Libri III. Carmen 14. composuit Horatius:

> Herculis ritu [6] modo dictus, o plebs,
> Morte venalem petiisse laurum
> Caesar, Hispana repetit penatis
> Victor ab ora.

Sed de hoc Carmine, quod olim Sanadono, haud naris obesae viro, quamquam non satis erudito, magnopere displicebat, post a Cl. Peerlkampio expunctum est ex Horatianis, infra quoque semel atque iterum agemus.

Eodem fere tempore Horatius Libr. I. Carm. 12. composuit, quod certe scriptum fuit ante a. 731. Illo enim anno Marcellus obiit, qui vs. 45. vivus inducitur, quamvis ambigitur de eo, ut supra vidi-

---

[1] Virgilius Georg. Libr. III. v. 30., cl. Mitscherlichii annotatione ad Horatii l. l., Lucanus Libr. III. v. 245., Iuvenalis Sat. VI. v. 409., Silius Ital. Libr. XIII. v. 765.

[2] Libr. XI. p. 522., 523., 527. et 529.

[3] In Libro de Fluviis c. 1. de Euphrate. Diversus Medus fluvius apud Strabonem Libr. XV. p. 729. Is ab Araxe excipitur. Perperam Curtius V. c. 4. § 7. Araxem in Medum influere tradit, vid. Freinsbemius ad Curtii l. l.

[4] Dio Cassius Libr. LIII. c. 28.

[5] Id. ibid. c. 29.

[6] Mitscherlichius commode confert Aeneid. Libr. VI. v. 802. sqq.

mus [1]. Est autem Carmen in honorem Augusti. Ille, Horatius inquit vs. 53. sqq.,

> Ille seu Parthos Latio imminentis
> Egerit iusto domitos triumpho,
> Sive subiectos orientis orae
> Seras et Indos;

Parthi, ut vidimus, ab a. inde 724. reverentiam praestiterant Augusto [2]; Serum quoque ad eum legati venerunt [3], quamvis de tempore incerti sumus; Indorum certe, quorum duplex legatio fuit, altera iam in Hispaniam a. 728. s. 729. venerat [4], altera venit ad eum in insulam Samum a. 734. [5].

A. 732. Augustus denuo Roma profectus in Orientem, plus triennium abfuit. In hacce autem expeditione a. 734., Phraates illi signa militaria, quae M. Crasso et M. Antonio ademerant Parthi, sponte sua remisit [6], quo haud scio an ullum umquam factum magis celebratum fuerit a scriptoribus. Nec immerito sane, siquidem nihil magis declarare possit

---

[1] Pag. 247. sq.

[2] Vid. supra p. 337.

[3] Florus Libr. IV. c. 12. § 62.

[4] Hieronymus Ol. CLXXXVIII. 3., Orosius Libr. VI. c. 21., cf. Eusebii Chron. Libr. I. p. 75. Ed. Amst. 1658. Perperam Scaliger, Animadv. p. 167. B, legationem Ol. CLXXXVIII. 3. refert ad consulatum Apulcii et Silli a. 734. Latuit haec prior Indorum legatio Frankium Fast. Horat. p. 150.

[5] Strabo Libr. XV. p. 686. et 719., Florus l. l., Suetonius in Vita Aug. c. 21., Dio Cassius Libr. LIV. c. 9., Eutropius Libr. VII. c. 10.

[6] Livius Epit. Libr. CXXXIX., Strabo Libr. VI. p. 288., Libr. XVI. p. 748., Velleius Libr. II. c. 91., Suetonius in Vita Aug. c. 21., Florus Libr. IV. c. 12. § 63., Iustinus Libr. XLII. c. 5., Dio Cassius Libr. LIV. c. 8., Orosius Libr. VI. c. 21. Cf. Tacitus Annal. Libr. II. c. 1.

quanta barbarorum reverentia nominis Romani, quanta imperii maiestas, Augusto principe, fuerit. Rem modo auditam Iccio familiari suo narrat Horatius Libr. I. Epist. 12. v. 25. sqq.:

> Ne tamen ignores, quo sit Romana loco res:
> Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis
> Armenius cecidit: ius imperiumque Phraates
> Caesaris accepit, genibus minor. aurea fruges
> Italiae pleno defundit Copia cornu.

ubi Bentleius pro: *Phraates*, legendum esse censebat: *Tigranes*, ut adeo nulla hic fieret mentio demissionis Parthorum; Tigranes enim per Tiberium in regnum Armeniae restitutus fuit, ut infra videbimus. Respicit easdem Parthorum et Armeniae res Horatius Libr. I. Epist. 18. v. 55. sqq., ubi ad Lollium scribit:

> Militiam puer et Cantabrica bella tulisti
> Sub duce, qui templis Parthorum signa refigit
> Nunc; et, si quid abest, Italis adiudicat armis.

Augustus a. 735. redux in urbem, proximo anno legem Iuliam tulit de adulteriis et de pudicitia [1], quam significare creditur Horatius in Carmine saeculari v. 17. sqq.:

> Diva, producas subolem; Patrumque
> Prosperes decreta super iugandis
> Feminis, prolisque novae feraci
> Lege marita [2]:

ubi perperam nonnulli legem Papiam Poppaeam cogi-

---

[1] Suetonius in Vita c. 34., Tacitus Annal. Libr. III. c. 25., Dio Cassius Libr. LIV. c. 16.

[2] Stropham Cl. Peerlkampius elecit, idque Moserus in Epist. critica comprobavit.

taverunt, quae a. demum 762., Papio et Poppaeo Coss., lata fuit [1].

Carmen autem saeculare a. 737. iussu Caesaris Augusti composuit Horatius, ut testatur Suetonius in Vita: «Scripta — eius usque adeo (Augustus) probavit, mansuraque perpetuo opinatus est, ut — saeculare Carmen componendum iniunxerit.» Est autem in honorem Apollinis et Dianae, quibus in celebratione ludorum, die tertio, hymnos graeco et latino sermone canere solebant, teste Zosimo [2], pueri viginti septem totidemque puellae:

Phoebe, silvarumque potens Diana,
Lucidum caeli decus, o colendi
Semper et culti, date quae precamur
Tempore sacro:

Quo Sibyllini monuere versus
Virgines lectas puerosque castos
Dis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.

Quod versus Sibyllini ita monerent [3], id procul dubio XV viri in gratiam Augusti, qui hisce quoque ludis suum principatum illustrari volebat, excogitaverant. Neque enim ab initio institutum fuit, ut est vs. 21. sqq.:

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,
Ter die claro totiensque grata
Nocte frequentis.

sed ut denos decies post annos, ut diserte tradiderunt

[1] Dio Cassius Libr. LVI. c. 10.

[2] Libr. II. c. 5.

[3] Leguntur apud Phlegontem Trallianum *περὶ θαυμασίων*, p. 92. sqq. Ed. 1568. et apud Zosimum l. l.

Valerius Antias, Varro et Livius [1], quare longe diversa enumeratio fuit ludorum saecularium, quos Romani celebraverunt, Valerii Antiatis atque in commentariis XVvirorum, uti fuse exposuit Censorinus. Ceterum summo iure Horatius vs. 53. sqq.:

> Iam mari terraque manum potentem
> Medus, Albanasque timet securis:
> Iam Scythae responsa petunt, superbi
> Nuper et Indi.

Victoriam quoque Tiberii Drusique de Raetis Vindelicisque a. 739. ab Horatio celebrari voluit Augustus, de qua vero infra videbimus. Sed ante illam victoriam, cum reditum Augusti ex Gallia exspectarent Romani, erat autem in eam profectus a. 738. [2], Libr. IV. Carm. 2., auctore Iulo Antonio, composuit Horatius. Imparem sese, ut semper, profitetur rebus Augusti digne celebrandis. Tu, inquit, vs. 33. sqq.:

> Concines maiore poëta plectro
> Caesarem, quandoque trahet ferocis
> Per sacrum clivom merita decorus
> Fronde Sygambros:
>
> Quo nihil maius meliusve terris
> Fata donavere bonique Divi,
> Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
> Tempora priscum.
>
> Concines laetosque dies, et Urbis
> Publicum ludum super impetrato
> Fortis Augusti reditu, forumque
> Litibus orbum.

---

[1] Apud Censorinum c. 17.

[2] Dio Cassius Libr. LIV. c. 19.

vota, procul dubio, cogitans, quae paullo post discessum Augusti pro eius reditu publice nuncupata fuerant [1]. Sed a. demum 741. rediit [2], cum interea Galliam, Germaniam Hispaniamque ordinasset. Credebatur olim, Horatium Carmen laudatum eo anno scripsisse, quod vero ante a. 739. compositum fuit. Neque enim post illum annum solos Sygambros devictos commemoraturus fuerat Horatius, sed Raetos quoque Vindelicosque, ut egregie ostendit Frankius [3]. Sygambri autem, Rheno traiecto, Lollium superaverant Galliamque devastabant donec, adventante Augusto, pacem, obsidibus datis, ab eo impetraverunt [4].

Tiberii Drusique proxime res gestas celebravit Horatius Libr. IV. Carm. 4. et 14. et ita celebravit, ut Augusti quoque merita, nec tamen praeter modum, magnificentissimis laudibus efferret. Ita est Libr. IV. Carm. 14. v. 41. sq.:

Te Cantaber non ante domabilis,
Medusque et Indus, te profugus Scythes
Miratur, o tutela praesens
Italiae dominaeque Romae.

Te fontium qui celat origines
Nilusque, et Ister, te rapidus Tigris,
Te beluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis,

---

[1] Dio Cassius l. l. cf. c. 27. et Gruteri Inscr. p. XI. n. 1. et 2.

[2] Dio Cassius l. l. c. 25.

[3] Fast. Horat. p. 207. sqq. Ad eundem annum retulerat Massonus in Vita Horatii p. 343.

[4] Suetonius in Vita Augusti c. 20.. Florus Libr. IV. c. 12. § 24., Dio Cassius Libr. LIV. c. 20.

Te non paventes funera Galliae,
Duraeque tellus audit Hiberiae:
Te caede gaudentes Sygambri
Compositis venerantur armis.

quae, quam vere cecinerit poëta, dubitare non sinit consensio omnium scriptorum, qui de Augusto memoriae prodiderunt.

Scripsit Horatius per eandem Augusti absentiam Libr. IV. Carm. 5.:

Divis orte bonis, optime Romulae
Custos gentis, abes iam nimium diu:

felicem imperii statum vere praedicans vs. 17. sqq.:

Tutus bos etenim rura perambulat:
Nutrit farra Ceres, almaque Faustitas:
Pacatum volitant per mare navitae:
Culpari metuit fides:

Nullis polluitur casta domus stupris:
Mos et lex maculosum edomuit nefas:
Laudantur simili prole puerperae:
Culpam poena premit comes.

Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?
Quis Germania quos horrida parturit
Foetus? incolumi Caesare, quis ferae
Bellum curet Hiberiae.

Honores divinos idcirco Augusto habitos significat vs. 29. sqq.:

Condit quisque diem collibus in suis,
Et vitem viduas ducit ad arbores:
Hinc ad vina venit laetus, et alteris
Te mensis adhibet Deum:

Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris: et Laribus tuum
Miscet numen, uti Graecia Castoris
Et magni memor Herculis.

Anno enim 724. iusserat senatus, teste Dione [1]: «*ἐν τοῖς συσσιτίοις οὐχ ὅτι τοῖς κοινοῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἰδίοις, πάντας αὐτῷ σπένδειν,*» qui tamen honor neque prorsus inauditus, neque ita novus illi contigit, siquidem de Mario testatur Plutarchus [2]: «*εὐθυμούμενοί τε μετὰ παίδων καὶ γυναικῶν ἕκαστοι κατ' οἶκον, ἅμα τοῖς θεοῖς, καὶ Μαρίῳ δείπνου καὶ λοιβῆς ἀπήρχοντο.*» Reversus autem est Augustus a. 741. eiusque reditus magnificentissimis ludis celebratus fuit [3].

Scripsit deinde Horatius in laudem Augusti Libr. IV. Carm. 15., quod supra iam partim exhibuimus [4]:

Phoebus volentem proelia me loqui
Victas et urbis, increpuit lyra;
Ne parva Tyrrhenum per aequor
Vela darem. tua, Caesar, aetas

Fruges et agris rettulit uberes,
Et signa nostro restituit Iovi
Derepta Parthorum superbis
Postibus, et vacuum duellis

Ianum, Quirini clausit, cet.

Quo in loco Interpretes, Ianum tertio ab Augusto clausum significari ad unum omnes post Massonum

[1] Libr. LI. c. 19.
[2] In Vita c. 27.
[3] Gruterus Inscript. p. XI. n. 1. et 2.
[4] Pag. 339.

crediderunt. Qui cum Orosii sententiam [1], Ianum tertio clausum fuisse, quo anno natus esset Christus, singulari libello [2] refutasset, ita factum fuisse statuit a. 744. propter locum Dionis Libr. LIV. c. 36., ubi narrat ad a. 743.: «ἐψηφίσθη μὲν οὖν τὸν Ἰανὸν τὸν Γέμινον ὡς καὶ πεπαυμένων τῶν πολέμων, — ἀνεῴκτο γὰρ, — κλεισθῆναι· οὐ μέντοι καὶ ἐκλείσθη· οἵ τε γὰρ Δακοὶ τὸν Ἴστρον πεπηγότα διαβάντες λείαν ἐκ τῆς Παννονίας ἀπετέμοντο, καὶ οἱ Δαλμάται — ἐπανέστησαν,» post vero ad a. 744. haec subiicit: «καὶ ὅσα ἐπὶ ταῖς νίκαις ἐψήφιστο ἢ καὶ ἄλλως καθήκοντα ἦν γενέσθαι ἐπετέλεσαν.» Sed iure dubitat Doct. Frankius [3], num hoc loco satis diserte significet Dio, Iani quoque templum tum fuisse clausum, cuius rei singularem commemorationem a Dione quivis sit exspectaturus, adeoque recte statuit Iani, Augusto regnante, clausi universe mentionem fieri ab Horatio in Carmine laudato, quod a. 741., cui quoque proximum, adscripsit.

Mirum sane videtur post tot tantasque Caesaris Augusti laudationes, quod in Horatii Vita scripserit Suetonius: «post Sermones lectos quosdam, nullam sui mentionem habitam ita (Augustus est) questus: «Iratum me tibi scito, quod non in plerisque eiusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris, ne apud posteros infame sit, quod videaris familiaris nobis esse?» expressitque Eclogam [Libr. II. Epist. 1.], cuius initium est:

---

[1] Libr. VI. c. 22.

[2] Iani Templum Christo nascente reseratum. Roterod. 1700.

[3] Fast. Horat. p. 226. sqq.

Cum tot sustineas et tanta negotia solus, cet.

Siquidem Sermones plerumque Interpretes Satiras explicant. Scripta enim illa Epistola est longo tempus post Satirarum libros, nec Augustum profecto latuerunt tot Carmina ab Horatio interea in eius honorem conscripta. Sed Sermones, apud Suetonium, Epistolas interpretor, uti fecit Valartus, quod idem a Casaubono [1] quoque, post a Weicherto [2] factum fuit, ut adeo Epistola fuerit, quam ab Horatio flagitavit Augustus. Ita quoque in eadem Epist. vs. 250. sq.:

nec Sermones ego mallem
Repentis per humum, quam res conponere gestas,

quo tempore iam dudum Satiras scribere desierat Horatius, tum Libr. I. Epist. 4. v. 1.:

Albi, nostrorum Sermonum candide index, cet.

Satiras enim suas non subiecit Horatius Tibulli iudicio, peradolescentuli, cum eas scriberet, sed Epistolas diu postea subiecit.

Addit Suetonius in eadem Vita: «Augustus epistolarum quoque ei officium obtulit, ut hoc ad Maecenatem scripto significat: «Ante ipse sufficiebam scribendis epistolis amicorum; nunc occupatissimus et infirmus Horatium nostrum te cupio adducere. Veniet igitur ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, et nos in epistolis scribendis adiuvabit.» Recusavit autem Horatius ministerium oblatum, seu libertatis studio Maecenatisve amore, ne ab huius con-

[1] De Satyrica Graec. poesi et Rom. Satira p. 292. Ed. Paris. 1605.
[2] Lect. Venus. Libellus p. 64. sqq. Ed. 1843.

suetudine amoveretur, seu quod suspectam haberet Augusti indolem, adeoque, etiamsi agnosceret ingentia eius erga rempublicam merita, eaque ex animo celebraret, oblitus prorsus veteris cum eo dissensionis, parum tamen fidei in eo poneret. Nec immerito fidem Horatius negaturus fuerat Augusto, qui, uti egregie pronuntiavit Wielandus, per totam suam vitam mimum egit; id quod ipse verbis suis diserte declaravit, cum supremo die amicos percunctaretur: «Ecquid iis videretur mimum vitae commode transegisse,» tum clausulam quoque adiiceret:

δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε [1].

Augustus autem, teste Suetonio, recusanti nec succensuit quicquam, nec amicitiam ingerere destituit, quin illum una et altera liberalitate locupletavit.

Sed ad Epistolam allatam Libri II. 1. ut redeamus, magnifice in ea et tamen vere Augustum Horatius allocutus est:

Cum tot sustineas et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes; in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Caesar.
Romulus et Liber pater, et cum Castore Pollux,
Post ingentia fata Deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
Conponunt, agros adsignant, oppida condunt;
Ploravere suis non respondere favorem
Speratum meritis. diram qui contudit Hydram,
Notaque fatali portenta labore subegit,
Comperit invidiam supremo fine domari.

[1] Suetonius in Vita c. 99.

Urit enim fulgore suo, qui praegravat artis
Infra se positas: extinctus amabitur idem.
Praesenti tibi maturos largimur honores,
Iurandasque tuum per numen ponimus aras,
Nil uriturum alias, nil urtum tale fatentes.

Templa araeque [1], sed non nisi in provinciis [2], Augusto posita fuerunt; libatum ei inter epulas Romae etiam fuisse, supra iam vidimus [3].

Superest, ut adiiciam Artis Poëticae locum vs. 63. sqq.:

Debemus morti nos, nostraque: sive receptus
Terra Neptunus classis Aquilonibus arcet,
Regis [4] opus; sterilisve palus prius [5] aptaque remis
Vicinas urbis alit: et grave sentit aratrum:
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius: mortalia cuncta peribunt;

ubi annotant Scholiastae, Acron ad vs. 65: «*Divus Augustus duas res divinas fecit: nam Pontinam paludem siccavit, ut ad mare meatum habere cogeret, ut post et arari posset: et portum Lucrinum munivit,*» Porphyrion: «*Divus Caesar duas instituerat res facere. Portum Hostiensem munire, Pontinam paludem, quae est in Campania ad quadragesimum miliarium, emittere in mare,*» Cruquianus: «*Apud Ostiam civitatem Augustus mare irrumpens interclusit, et aggere terrae et lapidibus obstruxit, portumque ibi fecit. — (Pontinas paludes)*

[1] Tacitus Annal. Libr. I. c. 10., Gruterus Inscript. p. CCXXIX.

[2] Suetonius in Vita c. 52., Dio Cassius Libr. LI. c. 20. Cf. Quintilianus Instit. Orat. Libr. VI. c. 3. § 77.

[3] Pag. 357.

[4] Recte Acron per: *Regium*, interpretatur.

[5] Ita Bentleius. Legit Priscianus Libr. VI. p. 718. Edit. Putschii: «*sterilisque diu palus*,» et ita quoque Servius ad Virgilii Aeneid. Libr. II. v. 60. et Libr. VI. v. 107.

Augustus exsiccavit, et habitabileis reddidit.» Quid ad Ostiam sive Iulius Caesar fecerit, sive Augustus, non reperi. Pontinas paludes ab eo non fuisse exsiccatas patet e Plinio [1]. Id facere olim Cornelius Cethegus consul a. 594. tentaverat [2], post Iulio Caesari idem a senatu demandatum fuit [3], perfecit denique Theodericus rex Gothorum [4]. Portum Lucrinum per Agrippam Augustus munivit [5], ut infra videbimus. Annotat porro ad vs. 67. Acron: «*Tiberim intelligimus. Hunc enim derivavit Augustus, qua nunc incedit, ante enim per Velabrum fluebat,*» Porphyrion: «*Tiberim — Agrippa derivavit, qua nunc vadit; antea per Velabrum fluebat,*» Cruquianus: «(*Tiberim fluvium*) *Agrippa de proprio derivavit alveo ad eum, per quem modo fluit.*» In Tiberis cursu quid mutaverit Augustus, cuius alvei utique curam habuit [6], quaenam Agrippae ea in re partes fuerint, ignoramus; per Velabrum vero non proxime ab eo tempore, sed multis ante saeculis fluebat [7].

Augustum domus sua excipiat. LIVIA, uxor eius,

---

[1] Nat. Hist. Libr. XXVI. c. 4. Sect. 9., cf. Libr. III. c. 5. Sect. 9.

[2] Livius Epit. Libr. XLVI.

[3] Dio Cassius Libr. XLV. c. 9.

[4] Abbas Capmartin de Chaupy, *Découverte de la maison de Campagne d'Horace*, T. III. p. 399.

[5] Idque *regium opus* revera iam periit. Totus enim portus terrae motu a. 1538. obstructus fuit. Vid. Cramerus *Ancient Italy* T. II. p. 159. sq., teste Walckenaerio, *Hist. d'Horace*, T. II. p. 539.

[6] Suetonius in Vita c. 37.

[7] Varro de Lingua Latina Libr. V. p. 14. et 43. Ed. Bip., Tibullus Libr. II. El. 5. v. 33. sq., Propertius Libr. IV. El. 9. v. 5. sq., Ovidius Fast. Libr. VI. v. 405. sq., Plutarchus in Vita Romuli c. 5.

semel commemoratur Libr. III. Carm. 14., Horatio a Cl. Peerlkampio abiudicato, v. 5. sqq.:

> Unico gaudens mulier marito
> Prodeat, castis operata sacris;
> Et soror clari ducis, cet.

Mulier enim, unico marito gaudens, Livia est [1], quae castitatis laudem prae se ferebat [2], contra in mores mariti, quod mirum sane, indulgentissima [3]. Non semper floruerat eadem pudicitiae fama, siquidem, cum Caesari Octaviano nupsisset, gravida ex priore marito Druso Nerone, intraque tertium mensem peperisset, vulgatus est versiculus:

> τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παίδια [4].

Utra vero OCTAVIA, maior an minor vs. 7. ab Horatio significetur, prorsus non liquet. Utraque erat soror clari ducis, altera germana, quae prius C. Marcello, post M. Antonio nupta fuit [5], altera uterina, quae quoque C. Marcello cuidam nupserat [6]. Ac ne

---

[1] Cf. Ovidius Fast. Libr. VI. v. 637. sq.

[2] Ovidius ex Ponto Libr. IV. Epist. 13. v. 29. sq., Dio Cassius Libr. LVIII. c. 2.

[3] Suetonius in Vita Augusti c. 71., Dio Cassius l. l.

[4] Suetonius in Vita Claudii c. 1., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 44.

[5] Livius Epit. Libr. CXXXII., Velleius Libr. II. c. 78., Suetonius in Vita Augusti c. 4., Plutarchus in Vita Antonii c. 31. Appianus de Bello Civili Libr. V. c. 64. et 93., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 31. et 54., Libr. XLIX. c. 33. et 38., Libr. L. c. 30. Glandorpius in Onomastico p. 86., Perizonius Animadv. Histor., p. 117. sqq., Frandsenius *M. Vipsanius Agrippa* p. 235., Drumannus *Geschichte Roms* T. IV. p. 235. sqq. Octaviam minorem M. Antonio nupsisse statuunt, spreto Plutarchi l. l. testimonio.

[6] Cicero Philipp. III. c. 6., Suetonius in Vita Caesaris c. 27. De Marcello, eius marito, Dio Cassius Libr. XL. c. 59., vid. Wei-

quis putet, Octaviam maiorem iam eo tempore, amisso filio Marcello, domi se contiuuisse, quo unice luctui indulgeret [1], observandum est, Marcellum obiisse a. demum 731. [2], Carmeu autem laudatum ad a. 730., quo Augustus ex Hispania Romam rediit, esse referendum. Scilicet auctor Carminis ignorabat Octaviam minorem, quae Horatii tempore nemini erat ignota. Fuit enim longe minus illustris, quam soror eius Octavia maior. Itaque ille, quisquis fuit, simpliciter: *soror clari ducis*, posuit, quasi una modo soror fuerit, quemadmodum scripsit: *unico gaudens mulier marito*, quum revera una uxor fuit.

Sequuntur TIBERIUS et DRUSUS, Liviae ex priore marito Tiberio Nerone, filii, quorum victoriam de Raetis Vindelicisque Horatius, rogante Augusto, Carminibus 4. et 14. Libr. IV. celebravit. Ita Suetonius in Horatii Vita: «(Augustus) scripta quidem eius (Horatii) usque adeo probavit, mansuraque perpetuo opinatus est, ut non modo saeculare Carmen componendum iniunxerit, sed et Viudelicam victoriam Tiberii Drusique, privignorum suorum; eumque coëgerit, propter hoc, tribus Carminum libris ex longo intervallo quartum addere.» Scholiastae quoque ad Libr. IV. Carm. 1. v. 1., Acron: «*Statuerat Horatius, usque ad tertium librum complere opus suum, quibus editis maximo intervallo hunc quartum scribere est compulsus ab Augusto in laudem privigni sui Drusi Neronis, qui victor de Rhetis Vindelicis fuerat reversus. Allegoricôs autem*

---

chertus de Vario et Cassio p. 350. Id. de utraque Octavia in Imp. Caes. Aug. Script. Rel. p. 118.

[1] Seneca Consol. ad Marciam c. 2.

[2] Dio Cassius Libr. LIII. c. 30.

ad Venerem scribit, cet.,» Porphyrion: «*Post consummatos editosque tres carminum libros, maximo intervallo hunc librum quartum scribere compulsus esse dicitur ab Augusto, ut Neroni eius privigno victoriam de Rhetis Vindelicis quaesitam illustraret, quae hoc libro continetur, quae sic incipit: Qualem ministrum fulminis alitem.*» Cruquianus eadem, quae Acron, addens: «*ut refert Suetonius in Vita Horatii,*» et ad Carm. 4. v. 1., Acron: «*De Druso haec ode scripta est: propter quam et quartum librum contra dispositionem fecit,*» Porphyrion: «*Haec est ecloga, propter quam, ut supra ostendimus, totus hic liber compositus est.*» Drusus autem a. 739., annum agens XXIII., ex Italia missus fuerat contra Raetos Vindelicosque, qui vicinas Italiae partes incursionibus infestare coeperant, agros populantes, mares omnes, puberes atque impuberes trucidantes [1]. Illos Drusus devicit, sibique praeturae honores inde adeptus est. Cum vero hostes, ab Italia repulsi, Galliam aggredi coepissent, Augustus eo tempore in Gallia degens, Tiberium, quem anno proximo secum eo duxerat [2], contra eos misit, Raetique et Vindelici, iunctis fratrum viribus, perdomiti et subacti fuerunt [3]. Velleius, perpetuus Tiberii adulator, huic primas partes victoriae tribuit [4], quum contra Horatius Drusum potissimum celebravit, et Florus [5] hunc

[1] Strabo Libr. IV. p. 206. Solos Raetos nominat Dio Cassius Libr. LIV. c. 22. ex more aetatis posterioris, quum Vindelicia quoque ad provinciam Raetiam pertinebat. Ita Tacitus, de Moribus Germ. c. 41., Augustam Vindelicorum Raetiae coloniam vocet.

[2] Dio Cassius Libr. LIV. c. 19.

[3] Strabo l. l. Dio Cassius Libr. LIV. c. 22.

[4] Libr. II. c. 95., cf. c. 39. et 122.

[5] Libr. IV. c. 12. § 4. Ita quoque Orosius Libr. VI. c. 21. Cf.

solum Vindelicorum victorem nominat. Hanc expeditionem una aestate confectam fuisse, testatur Strabo, addens, quo tempore suam Geographiam scriberet, annum iam esse trigesimum tertium, ex quo gentes illae quiete tributa solverent. Horatius l. l. v. 17. sqq.:

> Videre Raeti bella sub Alpibus
> Drusum gerentem et Vindelici; quibus
> Mos unde deductus per omne
> Tempus Amazonia securi
>
> Dextras obarmet, quaerere distuli
> Nec scire fas est omnia:

Vocem: *et*, Dacerius post: *gerentem*, supplevit [1], ante quem: *Raeti — Vindelici*, legebatur, quasi gens a Druso devicta illo nomine appellata fuisset [2], quod prorsus ita non esse, fuse demonstravit Bentleius. Hic autem legit: *Raetis sub Alpibus*, eumque Interpretes longe plurimi secuti fuerunt. Verum necesse est, Drusum ex Italia progressum prius Raetos quam Vindelicos offendisse [3], itaque Raetos tacere non potuit Horatius. Est autem nimis longe quaesita Orellii interpretatio: «Sua in vicinia, ad radices septentrionales Alpium Raeticarum, Vindelici primum viderunt, quomodo Drusus bellum gereret adversus Raetos, postea

---

Livius Epit. Libr. CXXXVI., Suetonius in Vita Augusti c. 21., Tiberii c. 2., Ciandii c. 1., Entropius Libr. VII. c. 9.

[1] Ita quoque Codices aliquot, vid. Bentleius et Orellius.

[2] Ita Scholiastae Horatiani et Servius ad Aeneid. Libr. I. v. 243. Vanderburgius T. II. p. 378. sqq. ita lectionem: *Raeti*, tultus est, ut: *Raeti*, Genitivum esse censeat, *Alpes*que *Raeti* dicantur ut: *moenia Romuli*, ab antiquo gentis conditore Raeto, de quo Plinius Nat. Hist. Libr. III. c. 20. Sect. 24., Iustinus Libr. XX. c. 5.

[3] Fuerstenavius de Carm. aliqnot Horat. Chronol. p. 43.

ipsi eum senserunt,» itaque cum Dacerio: *Raeti — et Vindelici*, legendum mihi esse videtur. Amazonia securis valde celebrata fuit [1]; eam vero Vindelicis cum tribuit poëta, nondum eorum originem deducit ab Amazonibus, uti Scholiastae et Servius ad Aeneid. Libr. I. v. 243. locum interpretati fuerunt. Versum 18., a voce: *quibus*, sequentes ad vocem: *diu*, in versu 22.: « *Nec scire fas est omnia, sed diu*, » Cl. Peerlkampius, ut supra vidimus [2], post multos alios ex contextu eiecit, Vanderburgius contra et Orellius tuiti fuerunt. Pergit autem Horatius vs. 22. sqq.:

sed diu
Lateque victrices catervae
Consiliis invenis repressae

Sensere, quid mens rite, quid indoles
Nutrita sanctis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.

Fortes creantur fortibus et bonis:
Est in iuvencis, est in equis patrum
Virtus; neque imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.

Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant.

Merito Horatius Augusti curam paternam in privignos laudavit, quorum maiores, fortes illos bonosque, iure quoque laudibus extulit. Fieri potest, ut fortasse respexerit originem vocis *Neronis*, qua, lingua Sabina,

[1] Ovidius ex Ponto Libr. III. Epist. I. v. 95., Heroid. Epist. 4. v. 117., Strabo Libr. XI. p. 504., Suetonius in Vita Neronis c. 44.
[2] Pag. 121.

fortis ac *strenuus* significatur, uti tradunt Suetonius [1] et Gellius [2]. Carmen 4. Libri IV., in honorem Drusi, Horatius scripsisse videtur, antequam nuntium accepisset de Tiberii opera, quam fratri suo in illa expeditione praestitit, neque enim aliter Horatius Tiberium silentio praeteriisset [3]. Carmen autem 14. potius in honorem Tiberii composuit, ita tamen ut Drusum simul laudaret. Eratque Drusus, si fides est habenda historiarum scriptoribus [4], Horatii laudibus dignissimus, quem, a. 745. vita functum, universus populus, uti postea filium eius Germanicum, lacrymis est prosecutus, quum crederet, si rerum potitus esset, illum libertatem restituturum fuisse. Horatius autem ad Augustum Carmine laudato 14. Libr. IV., ita de Drusi Tiberiique victoria v. 8. sqq.:

Vindelici didicere nuper
Quid Marte posses. milite nam tuo
Drusus Genaunos, inplacidum genus,
Breunosque velocis, et arces
Alpibus inpositas tremendis
Deiecit acer plus vice simplici.
Maior Neronum mox grave proelium
Conmisit, inmanisque Raetos
Auspiciis pepulit secundis:

[1] In Vita Tiberii c. 1.

[2] Libr. XIII. c. 22. De gente Claudia cf. Plutarchus in Vita Poplicolae c. 21.

[3] Ita Kirchnerus Quaest. Horat. p. 32., Frankius Fast. Horat. p. 215. sqq. Massonus in Vita Horatii p. 333. retulit ad a. 741. Dico 741. quamvis l. l. legitur: «*triennio* post [a. 739.]» Ibi enim *biennio* legendum est, vid. p. 348. Massonum ecuti sunt Ianius et Fuerstenavius l. l. p. 42.

[4] Velleius Libr. II. c. 97., Tacitus Annal. Libr. I. c 33. Libr. II. c. 41., cf. Suetonius in Vita Tiberii c. 50.

Spectandus in certamine Martio
Devota morti pectora liberae
Quantis fatigaret ruinis,

Genaunos Breunosque Vindelicis adscribit Horatius, Illyricis Strabo [1]; apud Plinium Breuni a Vindelicis distinguuntur [2], a Ptolemaeo [3] inter Vindelicos recensentur; ut inter Romanos ea de re non satis constitisse videtur. De castellis Alpibus impositis, quas deiecit Drusus, ita Velleius Libr. II. c. 95.: «Uterque (Tiberius et Drusus,) divisis partibus, Raetos Vindelicosque aggressi, multis urbium et castellorum oppugnationibus, nec non directa quoque acie feliciter functi, gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum earum sanguine, perdomuerunt.» Verba: *plus vice simplici*, vs. 13., perperam nonnulli: *plus semel*, interpretati fuerunt. Recte Scholiastae, Acron: «*Quia dupla, quam dederant, clade perculsi sunt,*» Porphyrion: «*Vult intelligi, in vastandis his, non tantam illis cladem intulisse, quantam ipsi dederant, sed duplam,*» et Cruquianus:

[1] Libr. IV. p. 206. Strabonis locum Kirchnerus l. l. p. 33. et Frankius l. l. p. 213. ita afferunt, quasi Strabo utrumque populum inter Vindelicos recenseret.

[2] Libr. III. c. 20. Sect. 24., ubi refert inscriptionem e monumento Augusti in Alpibus, in qua Breuni Genaunesque, (sic enim scribit,) separatim a Vindelicorum gentibus quatuor commemorantur. Hanc autem inscriptionem H. Meyerus in *Zeitschr. f. d. Alterth. Wiss.* 1843, nº. 57—59, ita interpretatus est, ut quatuor illae Vindelicorum gentes in Vindelicia propria, Breuni Genaunesque in Alpibus Raetis habitaverint.

[3] Libr. II. c. 13. Diversi sunt a Breneis, Pannoniae populo, de quo Strabo Libr. VII. p. 314., Plinius Nat. Hist. Libr. III. c. 25. Sect. 28., Suetonius in Vita Tiberii c. 9., Dio Cassius Libr. LV. c. 29.

«*Quia plureis hostium prostraverat, quam perdiderat.*» Quam «devota morti pectora liberae» (vs. 18.) gentium illarum fuerint egregie ostendit Florus Libr. IV. c. 12. § 5.: «Quae fuerit Alpicarum [1] gentium feritas, facile vel mulieres ostendere, quae, deficientibus telis, infantes ipsos afflictos humo in ora militum adversa miserunt.» Quod Velleius l. l. addit: «maiore cum periculo quam damno Romani exercitus,» idem Horatius innuit vs. 29. sqq.:

barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu,
Primosque et extremos metendo
Stravit humum, sine clade victor:

Diem quoque victoriae, quam Tiberius reportavit significat Horatius vs. 34. sqq.:

quo die
Portus Alexandrea supplex
Et vacuam patefecit aulam,

Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque et optatum peractis
Imperiis decus adrogavit,

erat autem dies, quo Alexandria a Caesare Octaviano capta fuit, si Orosio [2] et Kalendario Antiatino [3]

---

[1] Ita Salmasius pro: *callidarum*.

[2] Hist. Libr. VI. c. 19., cl. Strabone Libr. XVII. p. 795. Orosii locum descripsit Paulus Diaconus Hist. Misc. Libr. VII.

[3] Foggiulus Fast. anni Rom. Reliq. p. 112. Cf. Kalend. Amiterninum ibid. Ego vero semper miratus sum, quomodo Alexandria capta iam fuerit Kal. Sext., quum nuntius eius rei Idibus demum Sept., i. e. quadragesimo tertio die, Romam perveuerit, vid. supra p. 303. u. 4. Sed hac de re alin in loco pluribus iam egi. Crede-

tides est habenda, Kalendae Sextiles, itaque Kalendis Sextilibus a. 739. Raeti Vindelicique a Romanis superati fuerunt. Carmen vero allatum, in honorem victoriae Tiberii Drusique, non ante a. 741. Horatius scripsisse videtur [1].

Superest Tiberii expeditio in Orientem, de qua nunc agendum erit. Occiso Artavasde, Armeniae Rege, a Cleopatra [2], Artaxias, filius eius natu maximus, in eius locum successit regnumque, inprimis Parthorum auxilio, a Romanis defendit [3]. Cum vero subditis minus placeret, hi Tigranem, fratrem eius, ab Augusto in eius locum postulaverunt. Captus is fuerat cum patre ab Antonio, postea Romam ab Augusto deductus [4]. Accidit hoc a. 734. cum in Oriente versaretur Augustus. Hic itaque Tiberium cum exercitu misit, ut regnum Artaxiae eriperet inque Tigranem conferret. Idque facili negotio Tiberius perfecit, Artaxia, ante suum adventum, a propinquis occiso, ut diserte declarant Tacitus [5] et Dio [6]. Sed Velleius, ut erat perpetuus adulator Tiberii, rem in maius auget, adeoque indignatur, quod triumpho propter Armeniam receptam honoratus non fuerit Tiberius [7]. Extollit

batur olim Alexandria esse capta d. 29. Augusti, quem vero errorem iam refutavit Massonus in libro suo Iani Templum reser. p. 182.

[1] Cf. supra pag. 355.

[2] Vid. supra p. 315.

[3] Tacitus Annal. Libr. II. c. 3., Dio Cassius Libr. XLIX. c. 39., 40. et 44. ubi illum Artaxen vocat, ut quoque Libr. LI. c. 16., sed Artabazen Libr. LIV. c. 9.

[4] Dio Cassius Libr. XLIX. c. 40.

[5] Annal. Libr. II. c. 3.

[6] Libr. LIV. c. 9.

[7] Libr. II. c. 94., ubi perperam Artavasdes legitur pro Tigrane,

quoque Horatius, ut poëta, Tiberii operam Libr. I. Epist. 12. v. 26. sq.:

Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit.

et ita Virgilius Georg. Libr. III. v. 30.:

Addam urbis Asiae domitas, pulsumque Niphaten,

et Ovidius Trist. Libr. II. v. 227.:

Nunc petit Armenius pacem.

De Titio, de Septimio, de Iulio Floro Munatioque, quos secum in comitatu eduxit Tiberius in hacce expeditione, infra videbimus inter Horatii familiares. Sed iam pergendum est ad Maecenatem, Agrippam, ceterosque Caesaris Augusti amicos ab Horatio celebratos.

§ 11.

De Maecenate deque Agrippa dicturo omnem fere operam mihi praecepit Cl. Frandsenius doctis de utroque libellis [1], quibus si unam et alteram observatiunculam adspergere licebit, beatus mihi esse videbor.

C. Cilnius Maecenas, eques Romanus, fide, benevolentia, humanitate carissimus omnibus aequalibus fuit. Hinc summa eius securitas in medio tumultu

et c. 122. Vid. Strabo Libr. XVII. p. 821., Iosephus Antiq. Iud. Libr. XV. c. 4., Suetonius in Vita Tiberii c. 9. — Eusebius Chron. Libr. I. p. 75. Ed. I. Scaligeri a. 1658. singularem narrationem exhibet de hacce expeditione, quacum cf. diversa Sexti Rufi narratio Epit. c. 19.

[1] P. S. Frandsen, *Agrippa's Leben. Altona*, 1836., *Mäcenas' Leben*, ibid. 1843. In catalogo scriptorum de vita Maecenatis omissus ab eo est abbas Soucbay, auctor non spernendus, cuius exstat libellus in *Mém. de l'Acad. des Inscript.* T. XIII.

civili, quum inermis, nullo comitatu, in publicum prodire est ausus [1], hinc Caesaris Augusti desiderium fidissimi comitis [2] post mortem [3], hinc Virgilii [4], Propertii [5], Horatii inprimis tot tantaeque amoris in eum significationes, quibus nomen Maecenatianum aeternis laudibus consecraverunt.

Natus est Maecenas genere Etrusco, antiquissimo et nobilissimo, quamvis a poëtis magis quam historicis celebrato. In ordine equestri, quum ei per Augustum altius adscendere liceret, tamen per totam vitam remansit [6], quare recte illi Horatius adscripsit Libri I. Sat. 1.:

> Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
> Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa
> Contentus vivat;

et Libr. III. Carm. 16. v. 18. sqq.:

> Iure perhorrui
> Late conspicuum tollere verticem,
> Maecenas, equitum decus.

Generis autem nobilitatem inprimis commendat Libr. I. Sat. 6. v. 1. sqq.:

---

[1] Seneca Epist. CXIV. § 6. et 7.

[2] Plutarchus Apophth. Reg. et Imp. inter Caesaris Aug. 6.

[3] Seneca de Benef. Libr. VI. c. 32., Suetonius in Vita Augusti c. 66., Aurelius Victor Epit. c. I. § 18.

[4] Georg. Libr. II. v. 39. sqq., Libr. III. v. 40. sqq. Cf. Saleius Bassus Paneg. in Pisonem. v. 218. et 223., Martialis Libr. I. Epigr. 108., Libr. VIII. Epigr. 56., Libr. IV. Epigr. 12.

[5] Libr. II. Eleg. 1. v. 83. sqq., Libr. III. Eleg. 7. v. 1. sq.

[6] Velleius Libr. II. c. 88., Tacitus Annal. Libr. VI. c. II., Dio Cassius Libr. LI. c. 3., Libr. LV. c. 7., Propertius Libr. III. El. 7. v. 1., Martialis Libr. VIII. Ep. 56. v. 9., Libr. X. Ep. 73. v. 4., Libr. XII. Ep. 4. v. 2.

Non, quia, Maecenas, Lydorum quidquid Etruscos
Incoluit finis, nemo generosior est te;
Nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
Olim qui magnis legionibus [1] imperitarent; cet.

originem eius cum paternam, tum quoque ex solenni ritu Etruscorum [2], maternam praedicans, quin vel regium genus ei adscribit Libr. I. Carm. 1. v. 1.:

Maecenas, atavis edite regibus, cet.

uti quoque Libr. III. Carm. 29. v. 1.:

Tyrrhena regum progenies, cet.

quod idem quoque Propertius [3] et Martialis [4] ei tribuerunt. Ad Lydos autem Tuscorum originem refert Horatius, perpetuo fere veterum errore [5], quem tandem sustulit magnus ille vir Otofredus Muellerus in libro suo de Etruscorum origine et cultu.

Maiores Maecenatis quinam fuerint prorsus ignoramus. Stemma eius, sed frustra, Meibomius [6] e Pseudo-Catonis Originibus et ex Cruquii annotatione ad Libr. I. Carm. 1. v. 1. composuit. Neque enim Cilnius, nec Maecenas, quos Silius Italicus in Carmine de Bello Punico [7] induxit, verae personae sunt

---

[1] Etruscorum legiones Livius quoque habet Libr. X. c. 3. et 5.

[2] K. O. Mueller, *die Etrusker*, T. 1. p. 403.

[3] Libr. III. Eleg. 7. v. 1.

[4] Libr. XII. Epig. 4. v. 2.

[5] Strabo Libr. V. p. 219., Velleius Libr. I. c. 4., Plinius Nat. Hist. Libr. III. c. 5. Sect. 8. § 1., Valerius Max. Libr. II. c. 4. n. 4., Tacitus Annal. Libr. IV. c. 55., Plutarchus Quaest. Rom. 55. Fuse contra disputat Dionysius Halic. Antiq. Rom. Libr. I. c. 27. sqq.

[6] I. H. Meibomius, Maecenas, L. B. 1653. p. 10. sqq.

[7] Libr. VII. v. 20., Libr. X. v. 40.

habendae. Prodit C. Maecenas apud Ciceronem in Oratione pro Cluentio c. 56., Maecenas, scriba Sertorii, in fragmento ex Libr. III. Historiarum Sallustii [1]. Nomen Cilnii et Maecenatis frequens est in monumentis Etruriae, coniuncta vero nusquam reperiuntur, quare Muellerus coniecit, nostrum Maecenatem primum utrumque habuisse, alterum a patre, alterum a matre receptum [2]. Cilnios Arretio oriundos cum ex Livio [3] constat, tum ex epistola Augusti ad Maecenatem, a Macrobio servata [4], in qua eum Arretinum vocat. Annum eius natalem ignoramus, dies nobis notus est Iduum Aprilis ex Horatii loco Libr. IV. Carm. 11. v. 14. sqq., ubi ad Phyllidem:

Idus tibi sunt agendae,
Qui dies mensem Veneris marinae
Findit Aprilem.

Iure sollemnis mihi, sanctiorque
Pene natali proprio; quod ex hac
Luce Maecenas meus adfluentis
Ordinat annos.

Prima Maecenatis Caesari Octaviano praestitae operae apud Horatium fit mentio in narratione itineris Brundisini a. 717. ad Antonium suscepti, de quo vero supra ad Cocceium Nervam fuse iam egimus [5]. Altera est, cum Maecenas profectionem pararet ad bellum Actiacum, Epod. I. v. 1. sqq., ubi ita Horatius:

---

[1] Servius ad Aeneid. Libr. I. v. 698., Nonius de var. Sign. Verb. v. *Dominus*.

[2] L. l. p. 404., 415. et 416.

[3] Libr. X. c. 3. et 5.

[4] Saturn. Libr. II. c. 4.

[5] Pag. 327. sqq.

Ibis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula,
Paratus omne Caesari [1] periculum
Subire, Maecenas, tuo.

Liburnas Caesaris, triremes fere, rostratas, ita dictas propter celeritatem, qua Liburnicorum piratarum navigia aequabant [2], recte opponit Horatius turritis illis M. Antonii navibus, quae castellorum potius quam navigiorum speciem referebant [3]. Sitne autem revera profectus ad Actium Maecenas necne, magna inter viros doctos dissensio est. Qui profectum putant, nituntur loco Horatii allato, Propertio et Albinovano. Ex Horatio autem nil nisi profectionis consilium, non ipsa profectio apparet. Ex Propertii loco Libr. II. El. 1. v. 25. sqq., quem integrum subiungam:

Bellaque resque tui memorarem Caesaris, et tu
Caesare sub magno cura secunda fores.
Nam quoties Mutinam, civilia busta, Philippos,
Aut canerem Siculae classica bella fugae:
Eversosve focos antiquae gentis Etruscae
Aut Ptolemaeëae litora capta Phari,
Aut canere inciperem et Nilum, cum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis:
Et regum auratis circumdata colla catenis
Actiaque in sacra currere rostra via:
Te mea Musa illis semper contexeret armis
Et sumta et posita pace fidele caput,

ex illo, uti egregie demonstrat Frandsenius [4], non

[1] Ci. Peerlkampius pro vulgato: *Caesaris*.

[2] Appianus de Rebus Illyr. c. 3. et 16., Eutropius Libr. II. c. 13.,

[3] Virgilius Aeneid. Libr. VIII. v. 691. sq., Florus Libr. IV. c. 11. § 5., Suetonius in Vita Augusti c. 17., Dio Cassius Libr. L. c. 18., 23. et 29.

[4] *Maecenas' Leben*, p. 25. sqq.

nisi operam, illorum bellorum temporibus, a Maecenate Caesari Octaviano praestitam, recte colligimus, quam vero in rebus quoque civilibus praestare potuit Maecenas. Ex Albinovano denique disertum quidem afferunt testimonium Eleg. in Obitum Maecenatis, v. 45. sq.:

> Quum freta Niliacae texerunt iata carinae
> Fortis eras circum, fortis et ante ducem.

unde colligunt, illum non modo esse profectum, sed magnam quoque eius operam in pugna Actiaca fuisse; sed de Albinovano, Ovidii aequali [1], iam dudum constat, perperam illi cum hanc Elegiam, tum alteram de Maecenate moribundo [2], tributas fuisse, id quod primum a Ios. Scaligero est factum, verum longe recentioris poëtae esse foetum, quare parum auxilii inde quoque sibi petere possunt. Sed obstat historicorum silentium, locus Taciti [3], ubi Agrippae, Augusti in bello socio, Maecenas opponitur Romae pluribus laboribus iactatus, obstat denique, quod Maecenas illo tempore urbi totique Italiae praefectus non ita diu Roma abesse poterat, quare statuendum esse videtur non adfuisse Maecenatem in pugna ad Actium. Si adfuit omnino, tunc potius inter eos amicos Caesaris referendus est, de quibus Dio [4]: «*πάντας τοὺς ἐταί-*

[1] Ovidius ex Ponto Libr. IV. Epist. 10. Cf. Epist. 16. v. 6.

[2] Leguntur apud Burmannum Anthol. Poët. Libr. II. c. 119. et 120. Vol. I. p. 251. et 282., Wernsdorfium Poet. Lat. Min. Vol. III. p. 155. et 177.

[3] Annal. Libr. XIV. c. 53.

[4] Velleius Libr. II. c. 88., Tacitus Annal. Libr. VI. c. 11., Dio Cassius Libr. XLIX. c. 16., Libr. LI. c. 3.

[5] Libr. L. c. 31.

ρους ἐς ὑπηρετικὰ ἐμβαλὼν, ὅπως ἐν τάχει περιπλέοντες, τοῖς τε ναυμαχοῦσι τὰ δέοντα παραινέσωσι, καὶ ἑαυτῷ προσήκοντα διαγγέλλωσι,» quae Doct. Matthesii est coniectura [1], quam inter belli duces. Utut est, mox domum rediit, ubi statim post pugnam Actiacam Lepidi coniurationem repressit [2], quin propter Horatii quoque Epodon IX. v. 1. sqq.:

Quando o repostum Caecubum ad festas dapes,
Victore laetus Caesare,
Tecum sub alta (sic Iovi gratum) domo,
Beate Maecenas bibam?

omnino statuendum esse videtur, aut non profectum esse Maecenatem aut ante pugnam revertisse. Est enim longe verisimilius, Carmen allatum ab Horatio Maecenati praesenti recitatum, cum primus nuntius de victoria Actiaca Romam venisset, quam absenti missum fuisse.

Sequitur mentio urbis praefecturae, quam Interpretes agnoscunt in Libri III. Carm. 8. et 29. In illo vs. 17. sqq.:

Mitte civilis super Urbe curas.
Occidit Daci Cotisonis agmen:
Medus infestus sibi luctuosis [3]
Dissidet armis:

Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber, sera domitus catena:
Iam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis.

[1] In Symbolis literariis. V. p. 21.

[2] Vellelus Libr. II. c. 88., Appianus de Bello Civili Libr. IV. c. 50. Cf. Livius Epit. Libr. CXXXIII., Suetonius in Vita Augusti c. 19., Seneca de Brevit. Vitae c. 5. § 4., de Clementia Libr. I. c. 9., Dio Cassius Libr. XIV. c. 15. 224. n. 2.

[3] Cf. supra p. 224. n. 4.

Neglegens, ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere:
Dona praesentis cape laetus horae, et
Linque severa,

urbis cura utique ab Horatio significatur, quamvis vox *privatus* minus apta videtur personae urbi praefecti, quare D. Heinsius [1] illam cum *populus* iungebat, *populus privatus* pro: οἱ πολλοὶ, dictum esse cencens, Bentleius cum verbo *cavere*, quasi Maecenatem hoc moneret Horatius, ne de privatis suis rebus nimium provideret. In altero Carmine Libri eiusdem 29. v. 25. sqq.:

Tu civitatem quis deceat status
Curas, et Urbi sollicitus times,
Quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent, Tanaisque discors,

etiamsi de urbis praefectura iam Scholiastae cogitaverunt, equidem nonnisi significationem video curae, quam Maecenas, utpote Caesaris amicus, semper in animo habere debuit rerum publicarum, muneris vero singularis descriptionem non esse puto. Urbi autem totique Italiae Maecenatem praefectum fuisse legimus, non ea potestate, qua Augustus, ipso Maecenate auctore, praefectos instituit, qui servitia continerent, civiumque audaciam reprimerent [2], diversos ab antiquis illis sub regibus et liberae reipublicae temporibus [3], sed ita ut absentis Augusti partibus in senatu,

[1] Animadvers. p. 39.

[2] Suetonius in Vita c. 37., Tacitus Annal. Libr. II. c. 11., Dio Cassius Libr. LII. c. 21.

[3] Tacitus l. l.

in foro et apud milites fungeretur [1]. Hoc munere functus est Maecenas a. 718., iterumque belli Actiaci temporibus [2]. Tunc Agrippa ei est adiunctus [3], qui quoque anno 733., cum Augustus in Orientem esset profecturus, eandem potestatem accepit [4]. Urbis autem praefectus, proprie ita dictus, primus sub Augusto fuit Messalla Corvinus, cui successit Statilius Taurus [5]. Maecenatis vero tertium eodem munere fungentis nulla prorsus fit mentio apud historicos. Fit in unico loco, quem supra vidimus, Libr. III. Carm. 8., quod quum nonnisi ad anno 729. referri potest, uti Doct. Frankius probavit [6], aut negligentiae Dio ceterique sunt accusandi, aut nova inde suspicione premitur Carmen a Cl. Peerlkampio Horatio abiudicatum.

Acceperat Maecenas in praefectura ad signandum edicta, quae nomine Caesaris Octaviani editurus erat, signum sphingis, quum hic inter annulos matris duo eiusmodi prorsus similia inter se invenisset [7]. Erat hoc signum, quod suis tabellis imprimi flagitabat ille, in Libr. II. Sat. 6., a. 723. conscripta [8], vs. 38.:

Inprimat his cura Maecenas signa tabellis.

Nihil praeterea ex publica Maecenatis vita Horatius

[1] Velleius Libr. II. c. 88., Seneca Epist. CXIV. § 6., Tacitus l. l., Appianus de Bello Civili Libr. IV. c. 50., Libr. V. c. 99.

[2] Appianus et Dio Cassius ll. ll.

[3] Dio Cassius Libr. LI. c. 3.

[4] Id. Libr. LIV. c. 6. Perperam Vanderburgius, Maecenatem eo anno urbi praefectum fuisse putat.

[5] Tacitus l. l.

[6] Vid. supra p 224. sq.

[7] Plinius Nat. Hist. Libr. XXXVII. c. 1. Sect. 4. Suetonius in Vita Augusti c. 50., Dio Cassius Libr. LI. c. 3.

[8] Vid supra p. 124. n. 2. et p. 303. n. 2.

prodidit. Nisi certe cum Torrentio censeas [1], simile illud reipublicae cum navi, quod legimus apud Dionem [2] in oratione, qua Maecenas Caesari suadet, ut imperium retineat, nisi expressum illud esse putes ab Horatio in Libr. I. Carm. 14.:

O Navis, referunt in mare te novi
Fluctus!

quum longe verisimilius est, illam orationem ab ipso Dione, quae illorum temporum erat consuetudo, prorsus de suo esse confictam.

Restat tamen, ut mentionem faciam periculi cuiusdam, quod aliquando obiit Maecenas, eodem tempore cum Horatius arboris casu pene esset oppressus, unde hic probabiliter infert, suam cum Maecenatis prorsus consentire horam genitalem, Libr. II. Carm. 17. v. 22. sqq.:

Te Iovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucrisque Fati

Tardavit alas, cum populus frequens
Laetum theatris ter crepuit sonum:
Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum

Dextra levasset, Mercurialium
Custos virorum.

Quid tandem Maecenati acciderit, disertius non significavit. Alii cogitarunt de casu in theatro, eiusmodi, exempli gratia, quo aliquando Augustus in eo, laxatis sellae compagibus, supinus recidit [3], alii de morbo

[1] Vid. supra p. 287.

[2] Libr. LII. c. 16. Cf. Suetonius in Vita Augusti c. 27.

[3] Suetonius in Vita c. 43.

gravi, ex quo recreatus Maecenas cum iterum in theatrum venisset, plausu a populo, quo suam erga eum benevolentiam ex more [1] significaret, exceptus fuit. Arboris suae casum narrat quoque Horatius Libr. II. Carm. 13., exsecrans illum, inquit, vs. 10. sqq.:

agro qui statuit meo
Te triste lignum, te caducum
In domini caput immerentis.

Meminit eiusdem rei Libr. III. Carm. 8., quod annum post casum illum conscripsit, quum epulas votivas propter salutem servatam celebraturus erat. Maecenatem ita alloquitur vs. 1. sqq.:

Martiis caelebs quid agam Calendis,
Quid velint flores et acerra turis
Plena, miraris, positusque carbo in
Cespite vivo,

Docte sermones utriusque [2] linguae.
Voveram dulcis epulas, et album
Libero caprum, prope funeratus
Arboris ictu.

Hic dies, anno redeunte, festus
Corticem adstrictum pice dimovebit
Amphorae, fumum bibere institutae
Consule Tullo.

Dicere autem infinitum est, quantopere Interpretes laboraverint in assignando hisce tribus Carminibus

[1] Cicero pro Sestio c. 58., Phil. I. c. 15., ad Atticum Libr. I Epist. 19., Libr. II. Epist 19., Libr. IV. Epist. 15., ad Quintum fratrem Libr. III. Epist. 1., Virgilius Georg. Libr. II. v. 508. sqq., Suetonius in Vita Augusti c. 56., Plutarchus in Vita Sertorii c. 4., in Vita Ciceronis c. 13.

[2] Cf. Bentleius ad hunc versum.

anno natali, donec tandem aliquando Doct. Frankius duo priora a. 728., postremum a. 729. ut assignarentur, evicit [1]. Post ea est collocandum Libri I. Carm. 20., in quo Maecenatem Horatius invitat, ut secum vile Sabinum [2], modicis cantharis, bibere velit, inopia vini melioris notae, vs. 9. sqq.:

> Caecubum, et prelo domitam Caleno
> Tu bibes uvam: mea nec Falernae
> Temperant vites, neque Formiani
> Pocula colles.

ut autem Sabinum suum commendet, addit, conditum illud a se fuisse, quo die Maecenas plausu in theatro exceptus fuerat. Accidit sane Maecenatis infortunio, quod Horatius, quo die illum ad coenam rogaret, non nisi Sabinum haberet, qui alias nec Caecubi, nec Falerni vini egebat [3]. Sed innumeras difficultates carmina allata Interpretibus creaverunt. Cl. Peerlkampius duo postrema prorsus abiecit, ex primo versus septendecim posteriores adeoque locum, quem supra attulimus, a vs. 22. ad vs. 30. exturbavit.

Indolem Maecenatis, si ex uno Horatio diiudicamus, nihil eo sanctius, nihil innocentius moribus fuit. Nec longe dissentiunt ceteri scriptores [4], modo Senecam excipias, qui, quum nec Maecenatis elegantiam

---

[1] Fast. Horat. p. 157. sqq. et p. 184. Cf. tamen Lachmannus ibid. p. 239. Vid. supra p. 224. sq.

[2] Insignis error est Dillenburgeri, qui putet, vinum hoc crevisse in Sabinis Horatii, quae vero nullum vinum ferebant, vid. Libr. I. Epist. 14. v. 22. sq.

[3] Libr. III. Carm. 28. v. 3., Libr. I. Epist. 5. v. 4. sq., cl. Strabone Libr. V. p. 234.

[4] Velleius Libr. II. c. 88., Tacitus Annal. Libr. XIV. c. 53., Dio Cassius Libr. LV. c. 7. Cf. quoque supra p. 373. n. 3., 4. et 5.

vita consequi nec ingenium capere posset, ubique in scriptis, data opera, nomen Maecenatianum contumeliose est insectatus [1]. Inter recentiores, olim Meibomius [2] in libro singulari, ridiculum prorsus in modum, omnes animi ingeniique dotes uni Maecenati adscripsit eumque omnium virtutum exemplar perfectissimum proposuit; post, Wielandus, Frandsenius, Weberus [3] fuse docteque de indole Maecenatis egerunt, nimiamque eius admirationem, suo quisque modo, temperare inque verum iustumque modum redigere sunt conati. Sunt autem duo testimonia deque fide, deque humanitate Maecenatis quae memoriam eius quam integerrimam praestare debent: alterum amicitia cum Horatio, quae talis fuit, ut nisi in viros sanctissimos cadere non possit, alterum quod Caesari Augusto, etiamsi crudelissime ab eo laesus, adulterio cum Terentia, sua coniuge, admisso [4], fidem tamen integram ad vitae finem usque servavit. Iam mansuetudinis clarissimum profecto indicium fuit, cum Caesari Octaviano, in tribunali sedenti pluresque capitis damnaturo, tabellam in gremium coniecit hisce verbis inscriptum: «Surge tandem carnifex [5]!» Vel hac tamen laude illum, sed frustra, privare improbus Seneca conatus est [6].

Literarum studiis quantopere faverit Maecenas, tes-

---

[1] De Provid. c. 3. § 9. et 10., Epist. XIX. § 8., XCII. § 32., CI. § 10., CXIV. § 4. sqq., CXX. § 20.

[2] Vid. supra p. 374. n. 6.

[3] *Jahrb. d. Philol. u. Paedag.* IX. *Suppl. Bd.* 1. *Heft*, *S.* 274.

[4] Dio Cassius Libr. LIV. c. 19., Libr. LV. c. 7.

[5] Id. Libr. LV. c. 7.

[6] Epist. CXIV. § 8.

tes, iam apud antiquos, cum inter eius aequales, tum inter posteros habemus [1]. His quoque laudibus Wielandus obtrectavit, qui vero iamdudum a Passovio aliisque confutatus est. Ipse quoque Maecenas cum prosa, tum ligata oratione multa, sed parum prospero successu composuit. Hac una in re audiendus Seneca [2], quum Maecenatem perstringit, qui Caesarem quoque Augustum [3] et Quintilianum [4] secum facientes habet. Neque enim discrepant ab eorum iudicio pauca illa fragmenta, quae supersunt ex Maecenatis scriptis [5]. Admonet eum Horatius, uti Caesaris Augusti res gestas soluta oratione describat, Libr. II. Carm. 12. v. 9. sqq.:

tuque pedestribus
Dices historiis proelia Caesaris,
Maecenas, melius, dnetaque per vias
Regum colla minacium.

Eiusmodi Maecenatis opus respicere videtur Plinius Nat. Hist. Libr. VII. c. 45. Sect. 46.: «(Augusti) Philippensi proelio morbus, fuga et triduo in palude aegroti et, (ut fatentur Agrippo et Maecenas,) aqua subter cutem fusa turgidi, latebra.» Nihil vero colligi potest ex Servii testimonio ad Georg. Libr. II. v. 41.: «*Moecenas, constat Moecenatem fuisse litterarum*

[1] Vid. supra p. 373. n. 4. et 5., Iuvenalis Sat. VII. v. 94.

[2] Epist. XIX. § 8., CXIV. § 4. sqq.

[3] Suetonius in Vita c. 86.

[4] Iustit. Orat. Libr. IX. c. 4. § 28. Cf. Auctor Dial. de Orat. c. 26.

[5] Ea collegerunt Meibomius l. l. p. 143. sqq., Frandsenius l. l. p. 156. sqq., A. Lion in Maecenatianis, Gottingae, 1824., quem librum non vidi.

peritum et plura composuisse carmina. Nam etiam Augusti Caesaris gesta descripsit: quod testatur Horatius, cet.,» quod ex ipso Horatio petitum esse manifestum est.

Habuit vero sua quoque vitia Maecenas. Constat, quam delicatus luxuriosusque fuerit, non ex Senecae modo, sed Velleii [1] quoque, Plinii [2] Dionisque [3] testimoniis. Potest tamen ex parte debilis valetudo eius excusationem afferre [4], tum quod, uti Velleius ait, ubi res exigeret, exsomnis sane, providens sciensque agendi erat. Aedificatorem fuisse dicas ex Horatii loco, ubi ad eum Damasippus, Libr. II. Sat. 3. v. 307. sqq.:

> Accipe: primum
> Aedificas; hoc est, longos imitaris, ab imo
> Ad summum totus moduli bipedalis:

addens vs. 312. sq.:

> An quodcumque facit Maecenas, te quoque verum est,
> Tantum dissimilem, et tanto certare minorem?

Constat sane, domum eius, turrim Maecenatianam vulgo dictam, magnificentissimam fuisse [5]. Significat eam Horatius Epod. IX. v. 1. sqq.:

> Quando o repostum Caecubum ad festas dapes
> Victore laetus Caesare,
> Tecum sub alta (sic Iovi gratum) domo,
> Beate Maecenas, bibam?

---

[1] Libr. II. c. 88.

[2] Nat. Hist. Libr. VIII. c. 43. Sect. 68.

[3] Libr. LV. c. 7.

[4] Plinius Nat. Hist. Libr. VII. c. 51. Sect. 52. Cf. Seneca de Provid. c. 3. § 9., Suetonius in Vita Augusti c. 72.

[5] Seneca Epist. CXIV. § 4. Cf. Suetonius in Vita Neronis c. 38., Orosius Libr. VII. c. 7.

et Libr. III. Carm. 29., ubi Maecenatem invitans in villam suam, ita vs. 5. sqq.:

eripe te morae:
Ne semper udum Tibur et Aesulae
Declive contempleris arvum, et
Telegoni iuga parricidae.

Fastidiosam desere copiam, et
Molem propinquam nubibus arduis:
Omitte mirari beatae
Fumum et opes strepitumque Romae.

Sunt Tibur et Tusculum in conspectu Romae, teste Strabone [1], sed tamen cum Capmartinio [2] vs. 6. pro: *Ne*, legendum esse censeo: *Ut* semper udum cet. Non in villam suam, prope Tibur sitam, Maecenatem invitaturus erat Horatius, *ne* adspiceret Tibur semper udum, sed *ut*, pro fumo urbis, Tibur, Aesulam, non longe a Tibure remotam [3], et Tusculum ibi contemplaretur. Quamvis aliter ipse Capmartinius suum *ut* interpretatus est, quasi Horatius Maecenati suaderet, uti seu Tibur, seu Aesulam, seu Tusculum, urbe relicta, se conferret.

Iuxta domum erant horti, de quibus Horatius Libri I. Sat. 8. v. 14. sqq.:

Nunc licet Exquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari; qua modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum,

[1] Libr. V. p. 238. Cum Praeneste.

[2] Capmartin de Chaupy, *Découverte de la Maison de Campagne d'Horace*, T. II. p. 227. Tatius in Prol. suae Horatii Edit. p. XXIX. eandem coniecturam Nic. Hardiugio tribuit.

[3] De situ Aesulae vid. Walckenaerius, *Histoire d'Horace*, T. II. p. 88. sq.

ubi Acron annotat: «*sepulchra erant in hoc loco, in quo nunc sunt horti Mecoenatis.*» Fit saepius eorum apud veteres mentio [1].

Cultus quantopere studiosus fuerit Maecenas [2], innuit Horatius Libr. I. Epist. 1. v. 94. sqq.:

> Si curatus inaequali tonsore capillos
> Occurro; rides. si forte subnecula pexae
> Trita subest tunicae, vel si toga dissidet impar;
> Rides.

Quin librum de cultu suo composuit, ex quo Seneca [3] nobis quaedam fragmenta servavit.

Est autem hic opportunissimus locus, quo aggrediar quaestionem toties agitatam, num Maecenatem sub nomine Malchini perstrinxerit Horatius, quam quum ne Weichertus quidem, qui hoc statuebat, docta copiosaque disputatione [4], ita tractavit ut omnibus satisfecerit, ego, *εὐξάμενός τι ἔπος ἐρέω*, hodie unicuique paucis me persuasurum esse spero, Maecenatem non latere sub illa Malchini persona. Notat Malchinum Horatius Libr. I. Sat. 2. v. 25. sq.:

> Malchinus tunicis demissis ambulat: est qui
> Inguen ad obscoenum subductis usque facetus.

In hoc, qui tunicam supra genua subduxerat, quod erat centurionum [5], sunt qui Agrippam agnoscant,

[1] Propertius Libr. IV. El. 8. v. 2., Suetonius in Vita Neronis c. 38., Tacitus Annal. Libr. XV. c. 39.

[2] Cf. Martialis Libr. X. Ep. 73., Iuvenalis Sat. XII. v. 38. sq.

[3] Epist. CXIV. § 5.

[4] Poët. Lat. Rel. p. 430. sqq.

[5] Nec Madvigio, vid. eius Opuscula Acad. p. 63. sqq., quae Frandsenium latuisse miror, nec Zumptio, in Vita Horatii, praemissa Heindorfii Satir. Horat. Edit., quam curavit Wuestemannus, p. 32.

[6] Quintilianus Instit. Orat. Libr. XI. c. 3. § 138.

prorsus sine causa [1], in altero, qui submiserat infra, quod mulierum erat [2], Maecenatem designari vetus opinio fuit. Ita Scholiastae, Acron: «*Tunicis demissis, ut sibi honestus videatur, composuit autem nomen quasi a* μαλθακὸς *Malthinus. Mecoenatem tangit, varicosus enim fuit, delicatior et solutus,*» Porphyrion: «*Sub Malthini nomine quidam Mecoenatem suspicantur significare, ab re tamen finxit.* Μαλθακὸς *enim quasi* μαλακὸς *dicitur,*» Schol. Cruq.: «*Malthini nomine quidam Maecenatem significare suspicantur, a re autem ipsa fictum est nomen* μαλθακὸς, *et* μαλακὸς *idem est quod mollis et delicatus.*» Μαλθακὸς apud poëtas pro μαλακὸς dici verissimum est [3], inde vero non *Malchinus*, uti est apud Scholiastas, sed *Malthacus* formaturus fuerat Horatius, quod, cum non cadat in versum, prorsus recipi non potest. Constat quoque, molles ac delicatos solitos fuisse ambulare tunicis solutis, ad pedes usque demissis, idque Maecenati obiecit Seneca Epist. CXIV. § 6.: «hunc esse qui solutis tunicis in urbe semper incesserit? (nam etiam quum absentis Caesaris partibus fungeretur, signum a discincto petebatur:)» excusavit idem vero Auctor Elegiae in obitum Maecenatis v. 21. sqq.:

Quod discinctus eras, animo quoque, carpitur unum,
Diluitur nimia simplicitate tua.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea virgo,
Quae bene praecinctos postmodo pulsa fugit.
Invide, quid tandem tunicae nocuere solutae?
Aut tibi ventosi quid nocuere sinus?

[1] Miror, V. Cl. Madvigium hanc sententiam tribuere Acroni, l. l. p. 70.

[2] Quintilianus l. l.

[3] Homerus Iliad. Libr. XI. v. 586.

Sed non ita solus Maecenas demissa tunica ambulabat, ut ab ea statim agnoscendus esset Horatii lectoribus. Addit Acron, Maecenatem tunicam demisisse, ut varices tegeret, id quod omnino verum esse potest, quandoquidem tale quid de Cicerone, sed falso, relatum fuisse legimus a Plinio Secundo, in loco Quintiliani Instit. Orat. Libr. XI. c. 3. § 143.: «Togam veteres ad calces usque demittebant, ut Graeci pallium. — Quo magis miror Plinii Secundi [1], docti hominis, persuasionem, qui solitum id facere Ciceronem velandarum varicum gratia tradit.»

Ad nomen *Malthini* quod attinet, si ita legendum cum Scholiastis, est vocabulum derivatum a *Maltha*, quo nomine veteres Latini molles et effeminatos designabant, teste Nonio [2]: «Malt[h]as veteres molles appellare voluerunt a Graeco, quasi μαλθακούς. Lucil. Libr. XXVII.: «Insanum vocat quem malt[h]am ac feminum dici videt.» » Est autem proprie maltha, pix cum cera mixta [3]. Sed recte Bentleius tuetur plurimorum codicum lectionem *Malchinum*, derivatum a *Malcho*, ut a *Paullo*, *Paullinus*, a *Balbo*, *Balbinus*, a *Rufo*, *Rufinus* et ita alia. *Malci*, a Graeco μαλακὸς,

---

[1] Plinii locus legebatur fortasse in libro de quo alter Plinius Libr. III. Epist. 5.: «*Studiosi tres*, — quibus oratorem ab incunabulis instituit et perficit.» De re cf. Dio Cassius Libr. XLVI. c. 8., Macrobius Saturn. Libr. II. c. 3.

[2] De Proprietate Sermonis in voce.

[3] Galenus in Exeg. vocum Hippocr. T. II. p. 96. Edit. Charterii, Pollux Onomast. Libr. VIII. c. 16., Hesychius in voce, Paulus Diaconus apud Festum Libr. XI. in voce, Suidas in voce. Quo modo fiat, docent Plinius Nat. Hist. Libr. XXXVI. c. 25. Sect. 58., cl. c. 24. Sect. 58. et Libr. II. c. 104. Sect. 108. et Palladius de Re Rustica Libr. I. c. 41.

Malchi et *Malchionis* nomina in inscriptionibus leguntur [1], unde porro *Trimalchionem* suum finxit Petronius [2]. Legitur quoque in codicibus, sed mendose, *Malchimus* et *Melchinus* [3]. In uno Torrentius reperit *Maltinum*, idemque nomen protulit ex loco Iustini Libr. XXXVIII. c. 3. et 4., ubi *Malthinum* legerat Meibomius [4]. Iam dudum vero est, quod ibi, pro *Maltini* s. *Malthini*, substitutum est *M. Aquilii* nomen, legati illius, a Mithridate occisi [5]. Seu igitur Malthinum, seu Malchinum legamus, nomen aut ex *Maltha*, sive ex *μαλακὸς*, ab Horatio fictum eique impositum, quem notare volebat, aut verum eiusdem nomen fuisse potest, etiamsi idem nusquam alibi reperiatur. Hoc enim commune habet Malchini, cum Rufilli, cum Fufidii, cum Cupiennii nominibus [6], quae tamen ab Horatio conficta esse, nemo umquam opinatus est. Quare aliis argumentis diudicandum erit, utrum Maecenatem, an alium, ignotum hominem, petierit Horatius.

Annotat Acron ad Libr. I. Sat. 2. v. 64.: «*Semper* (*nomina*) *incerta pro certis.* — *Me dulcis dominae Musa Liciniae*, [Libr. II. Carm. 12. v. 13.] *pro Terentiae. Et, Malthinus tunicis demissis ambulat, pro Mecoenas.* — *Eodem numero syllabarum commutationem nominum facit.*» Verum est, ita saepius poëtas commutasse nomina eorum, quos aut notare aut celebrare

[1] Gruterus p. CCCXVII. 7., XCIII. 5., DCXXVII. 13., DLXXVIII. 2.

[2] Satiricon c. 71.

[3] C. Kirchner *des* Q. H. F. *Satiren*, p. 23. sq.

[4] L. l. p. 123.

[5] Cicero pro Lege Manilia c. 5., Livius Epit. Libr. LXXVII. et LXXVIII., Velleius Libr. II. c. 18., Appianus de Bello Mithridatico c. 11., 21. et 112.

Madvigius l. l. p. 65.

sub proprio eorum nomine non auderent, nec eos eundem modo numerum syllabarum in eiusmodi commutatione servasse, sed eandem quoque syllabarum quantitatem. Testatur id Apuleius in Apologia [1]: «Eadem igitur opera accusent C. Catullum, quod *Lesbiam* pro *Clodia* nominarit: et Ticidam similiter, quod, quae *Metella* erat, *Perillam* scripserit: et Propertium, qui *Cynthiam* dicat, *Hostiam* dissimulet: et Tibullum, quia ei sit *Plania* in animo, *Delia* in versu.» Eademque ratione, testibus Scholiastis, *Gratidiam*, sub *Canidiae* nomine, perstrinxit Horatius. Ita *Albius* Tibullus sub *Lygdami* nomine latuit, quod tamen I. H. Vossius verum nomen esse censebat eius poëtae, qui scripsit Librum III. Elegiarum, quae Tibullo tribuuntur. Persius quoque, secundum veterum eius Vitae auctorem [2], in Sat. I. v. 121., pro: «Auriculas asini *Nero* rex habet,» posuerat: «Auriculas asini *Mida* rex habet,» quod, ne Nero in se dictum esse agnosceret, post mortem poëtae ab Annaeo Cornuto mutatum fuit, uti hodie legimus, in: «Auriculas asini quis non habet.» Servatur idem in paronomasiae exemplis, apud Ciceronem [3], ubi Fulvium *Nobiliorem*, dictum fuisse legimus *Mobiliorem;* apud Suetonium [4], qui *Tiberium Claudium Neronem*, vocatum fuisse testatur *Biberium Caldium Meronem;* apud Quintilianum [5], qui *Tullium*

---

[1] T. II. p. 405. sq. Ed. Bosschae. Cf. Ovidius Trist. Libr. II. v. 433. sqq.

[2] In O. Iahnii Editione p. 238. Cf. C. F. Hermanni Lect. Pers. Disp. II. p. 10.

[3] De Oratore Libr. II. c. 63.

[4] In Vita Tiberii c. 42.

[5] Instit. Orat. Libr. VI. c. 3. § 53.

in *Tollium*, *Placidum* in *Acidum*, *Acisculum* [1] in *Pucisculum* mutata tradit. Hoc agnoscunt, hoc tenent omnes Interpretes [2], seu verum Malchini nomen, seu fictum esse contendant. Hoc aeque Weichertus [3], qui sibi pervicisse videbatur, ut ad nomen Maecenatis fictum haberetur, aeque Madvigius [4], qui verum nomen Romanum esse censebat.

Iam satis mirari nequeo, tot tantosque viros, per tam longum temporis spatium, non vidisse, id ipsum, quo diiudicatur, utrum nomen quoddam pro altero sit substitutum necne, similem nempe syllabarum numerum et quantitatem, id ex parte deesse in *Maecenatis* et *Malchini* nominibus. *Maecenas* enim, testibus Varrone [5] et Plinio [6], derivatum a nomine loci, qui vero hodie ignoratur, uti cetera quoque eiusmodi *Arpinas*, *Antias*, *Aquinas*, *Larinas*, longam syllabam ultimam habet, et ita quoque ab Horatio, vel in primo omnium versu, adhibetur, *Malchinus* contra duas longas habet cum una brevi. Quod quum breviter significasse sat est, verbum non amplius addam.

---

[1] Prima syllaba in *Acisculus* producitur a Prudentio, Peristephanon IV. v. 19.:

Corduba Acisclum dabit et Zoëllum.

Rectius autem a Forcellino corripitur, qui *Acisculum* deducit ab *Ascia*, quod ab *ἀξίνη*. Huius prima corripitur, quoniam ab *ἄγω*, *ἄξω* derivatur, quod et *seco* significat, unde *securis*. Vid. Scheldius ad Lennepii Etymologicon.

[2] Dubitat Teuffelius ea de re, in *Neue Jahrb. für Philol. u. Paedag.* VI. *Suppl. Bd.* p. 364.

[3] Poët. Lat. Rel. l. l., de Vario et Cassio p. 235.

[4] L. l. p. 67.

[5] De Lingua Latina Libr. VII. p. 115. Ed. Bip.

[6] Nat. Hist. Libr. XIV. c. 6. Sect. 8.

Est vero diversa nominis Licymniae ratio, quo Terentiam significari, Scholiastarum, ut vidimus, opinio fuit. Erat autem TERENTIA, Mureuae [1] et Proculeii [2] soror [3], uxor Maeceuatis, qui eam, quamvis difficilem moribus et dissolutam, constantissime amavit, quod ipsum ei rursus in vitium vertit Seneca in Libro de Providentia c. 3. § 9.: «Feliciorem (Regulo) ergo tu Maecenatem putas, amoribus anxium, et morosae uxoris quotidiaua repudia deflentem,» et in Epist. CXIV. § 7.: «Hunc esse, qui uxorem milliens duxit, cum unam habuerit.» Et superest earum dissensionum memoria vel in libris Labeonis Iureconsulti [4]. Nec fastidium modo uxoris, sed perfidiam quoque miser Maecenas ferre debuit, cum illa adulterium admisit cum Caesare Augusto. Testatur id Dio Cassius ad a. 738. ita scribens, Libr. LIV. c. 19., postquam narravit Augusti in Galliam profectionem: «*καί τινες καὶ διὰ τὴν Τερεντίαν αὐτὸν ὑπετόπησαν· ἵν' ἐπειδὴ πολλὰ περὶ αὐτῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐλογοποιεῖτο, ἄνευ ϑροῦ τινος ἐν τῇ ἀλλοδημίᾳ αὐτῇ συνῇ· οὕτω γὰρ οὖν πάνυ αὐτῆς ἦρα, ὥστε καὶ ἀγωνίσασϑαί ποτε αὐτὴν περὶ τοῦ κάλλους πρὸς τὴν Λιουΐαν ποιῆσαι.*» Nihil tamen egregius Maecenas de sua in Augustum fide remisit, uti iterum Dio testis est Libr. LV. c. 7.: «*τούτων τε οὖν ἕνεκα ἰσχυρῶς αὐτὸν ὁ Αὔγουστος*

[1] L. Licinius Murena, cui Horatius inscripsit Libr. II. Carm. 10.

[2] De quo Horatius Libr. II. Carm. 2. v. 5. sqq.

[3] Dio Cassius Libr. XIV. c. 3.

[4] L. 64. Dig. de Donationibus inter virum et uxorem (XXIV. 1.): «Vir mulieri, divortio facto, quaedam idcirco dederat, ut ad se reverteretur. Muller reversa erat, deinde divortium fecerat. Trebatius inter Terentiam et Decenatem l. [Maecenatem] respondit, si verum divortium fuisset, ratam esse donationem, si simulatum contra.»

ἐπόθησε, καὶ ὅτι καὶ κληρονόμον αὐτὸν, καίπερ ἐπὶ τῇ γυναικὶ δυσκολαίνων, κατέλιπε. » Sunt qui pntent, Terentiam designari in Epistola M. Antonii ad Caesarem Octavianum, quam servavit Snetonius [1]: «tu deinde solam Drusillam inis? ita valeas uti tu, hanc epistolam cum leges, non inieris Tertullam, ant Terentillam, ant Rufillam, aut Salviam Titisceniam, aut omnes.» Scd recte censet Frandsenius [2], diversam hanc esse ab illa Maecenatis uxore, scripta enim M. Antonii epistola est ante a. 723., Dio autem ad a. 738. ita loquitur de Angusti consuetudine cum Terentia quasi recenter incepta.

Huius autem nomen recte in *Licymniam*, non in *Liciniam*, uti Scholiastae, quod in versum non cadit, mutari potuit [3]. Laudat Licymniam Horatius Libr. II. Carm. 12. v. 13. sqq., ubi ad Maecenatem:

> Me dulcis dominae Musa Licymniae
> Cantus, me voluit dicere lucidum
> Fulgentis oculos, et bene mutuis
> Fidum pectus amoribus:
>
> Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
> Nec certare ioco, nec dare brachia
> Ludentem nitidis virginibus, sacro
> Dianae celebris die.

Nullam vero causam esse video, quare Horatius Terentiam proprio nomine non fuerit celebraturns. Tum

---

[1] In Vita Augusti c. 69.

[2] L. l. p. 133. sq. Facili ratione Epistolam spuriam, ab ipso Suetonio confectam, esse censet Fuerstenavius de Carm. aliquot Horat. Chronol. p. 51. sq.

[3] Buttmannus *Mythologus*, T. I. p. 342. De varia nominis scriptura *Licinia*, *Lycimnia*, *Lycymnia*, cet. vid. inprimis Ianius.

illud *dominae* nomen displicet, Terentiae datum, neque enim Maecenatem *dominum* salutabat Horatius. Qui Terentiam cogitant, in duas partes abeunt, cum alii Maecenatis uxorem, alii sponsam interpretantur. Sed ego potissimum cum Teuffelio facio, qui copiosissime de hacce quaestione egit [1], Licymniamque ab ipso Horatio amatam fuisse censeo, puellam ingenuam, neque enim in sacris solennibus meretrices libertinaeve saltitabant, uti acute Bentleius observavit, cuius nomen ex more Horatius, uti Clodiae suae Catullus, Hostiae Propertius, ficto Licymniae nomine, dissimulavit.

Nec minor dissensio est Interpretum, utrum Terentia, sponsa adhuc Maecenatis, an vero alia quaevis puella, significetur Epod. III. v. 20. sqq.:

> Iocose Maecenas, precor,
> Manum puella savio opponat tuo,
> Extrema et in sponda cubet.

tum quoque Epod. XIV. v. 13. sqq.:

> Ureris ipse miser: quod si non pulchrior ignis
> Accendit obsessam Ilion,
> Gaude sorte tua.

Qua de re quantopere per hosce annos disputatum fuerit a VV. DD., nemo non novit [2]. Sed, verum ut fatear, quid potissimum de utraque sit statuendum, mihi nondum liquere videtur.

Superest, ut videamus de Maecenatis necessitudine cum Horatio, quam vero, quum multi Interpretes

---

[1] L. l. in Excursu de Licymnia, inque *Zeitschr. f. d. Alterth. Wissenschaft*, 1845, p. 608. sqq.

[2] Vid. Teuffel. in *Zeitschr. f. d. Alterth. Wissenschaft*, l. l.

fuse docteque exposuerunt, nos satis habebimus, eos componere locos ex Carminibus Horatianis, quibus ea recte diiudicari possit.

Ut missum faciamus testimonium Sidonii Apollinaris [1]:

> Et tibi, Flacce, acies Bruti Cassique sequuto
> Carminis est auctor, qui fuit et veniae,

auctorisque Vitae Horatii, quam edidit Vanderburgius [2]: «Oracius Romam reversus — Maecenatis et Pollionis interventu in gratiam Augusti receptus est,» ex ipsius Horatii diserta significatione, non ante annum 716. exeuntem Maecenati innotuit. Anno enim 723. [3] ita Horatius Libr. II. Sat. 6. v. 40. sqq.:

> Septimus octavo propior iam fugerit annus,
> Ex quo Maecenas me coepit habere suorum
> In numero: dumtaxat ad hoc, quem tollere rheda
> Vellet, iter faciens: et cui conredere nugas
> Hoc genus, Hora quota est? Threx est Gallina Syro par:
> Et quae rimosa bene deponuntur in aure.

Virgilius autem Variusque fuerunt, per quos in familiaritatem Maecenatis pervenit. Testatur Libr. I. Sat. 6. v. 54. sqq., se non casu oblatum esse Maecenati:

> optimus olim
> Virgilius, post hunc Varius, dixere quid essem.
> Ut veni coram; singultim pauca locutus,
> (Infans namque pudor prohibebat plura profari)
> Non ego me claro natum patre, non ego circum
> Me Satureiano vectari rura caballo,

---

[1] In Praef. Paneg. Iul. Val. Maioriano dicti, (Carm. IV. v. 9. sq.)

[2] In Horatii Edit. T. I. p. liv.

[3] Vid. supra p. 124. n. 2. et p. 303. n. 2.

Sed, quod eram, narro: respondes (ut tuus est mos)
Pauca: abeo; et revocas nono post mense, iubesque
Esse in amicorum numero. magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre praeclaro, sed vita et pectore puro.

Ingenii sui simplicitatem alibi quoque indicat Horatius Libr. I. Sat. 3. v. 63. sqq.:

Simplicior quis et est; (qualem me saepe libenter
Obtulerim tibi, Maecenas.)

Admissus autem in familiaritatem Maecenatis, convictor factus, seriis iocisque, quae in domo eius agitabantur, aeque delectatus, beatissimus sibi visus est. Hoc significat Libr. II. Sat. 6. v. 29. sqq., ubi obvius quidam ei in turba depulsusque:

Quid tibi vis, insane, et quam rem agis? —
——— tu pulses omne quod obstat,
Ad Maecenatem memori si mente recurras.

tum quoque, in proxima Satira vs. 34. sqq., ubi ita ad ipsum Davus servus, libertate abutens Decembri:

Maecenas serum sub lumina prima venire
Convivam; Nemon [1] oleum fert ocius? ecquis
Audit? cum magno blateras clamore, fugisque.

Specimen iocorum, quales agitabantur in domo Maecenatiana, reliquit Epod. III., quum imprudens gustasset moretum, sibi inter delicata fercula Maecenatis iussu appositum:

Parentis olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit,
Edit cicutis allium [1] nocentius.
O dura messorum ilia!

[1] Cf. Virgilius in Moreto vs. 86. sqq., Donatus ad Terentii Phormionem Act. II. Sc. 2. v. 4.

Mox comitatus est Maecenatem in itinere Brundisino a. 717. [1], cuius nobis egregiam picturam exhibuit Libr. I. Sat. 5., eundemque, in urbe, in coena Nasidieni, quam Libr. II. Sat. 8. festive, quam maxime potest, descripsit.

Sed gratissimum Horatio fuit, cum a Maecenate praedio donaretur in Sabinis, non ita longe a Tibure, de quo iam ante ad Septimium [2]:

> Tibur Argeo positum colono
> Sit meae sedes utinam senectae:
> Sit modus lasso maris et viarum
> Militiaeque.

Hoc accepto, omnia sibi consecutus esse videbatur, nec quidquid amplius concupiscebat. Ita Libr. II. Sat. 6. v. 1. sqq.:

> Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
> Hortus ubi, et tecto vicinus iugis aquae fons,
> Et paullum silvae super his foret. Auctius atque
> Di melius fecere, bene est. nil amplius oro,
> Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.

Ita quoque Epod. I. v. 31. sq. circa idem tempus scripta:

> Satis superque me benignitas tua
> Ditavit:

Nec postea aliter. Libr. II. Carm. 18. v. 11. sqq.:

> nihil supra
> Deos lacesso, nec potentem amicum
> Largiora flagito,
> Satis beatus unicis Sabinis.

---

[1] Vid. supra p. 327. sqq.

[2] Libr. II. Carm. 6. v. 5. sqq.

Aetate quoque provectiore, praedium suum, in Epistola ad Quintium Libr. I. 16., ita describit ut facile agnoscamus villulae dominum, quamvis exiguae, sed ea quam maxime, uti fieri solet, delectatum et gloriantem:

> Ne perconteris, fundus meus [1], optime Quinti,
> Arvo pascat herum, an baccis opnientet olivae,
> Pomisne, an pratis, an amicta vitibus uimo;
> Scribetur tibi forma loqnaciter et situs agri.
> Continui montes; ni dissocientur opaca
> Valle: sed nt veniens dextrum latus aspiciat Sol,
> Laevum decedens curru fugiente vaporet.
> Temperiem laudes. quid, si rubicunda benigni
> Corna vepres et pruma ferunt? si qnercus et ilex
> Multa fruge pecus, multa dominum invat umbra?
> Dicas adductum propius frondere Tarentum.
> Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
> Frigidior Thracam nec pnrior ambiat Hebrus,
> Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
> Hae latebrae dnices, et (iam si credis) amoenae,
> Incolnmem tibi me praestant Septembribus horis.

Mirum sane non est, Horatium habuisse, qui ei Maecenatis favorem et beneficia inviderent. De iis Libr. I. Sat. 6. v. 45. sqq.:

> Nunc ad me redeo libertino patre natum:
> Qnem rodunt omnes libertino patre natum:
> Nunc, quia sum tibi, Maecenas, convictor; at olim
> Quod mihi pareret legio Romana tribuno.
> Dissimile hoc illi est: quia non, nt forsit honorem
> Iure mihi invideat quivis, ita te qnoque amicum;
> Praesertim cautum dignos adsumere.

Ad alios, qui per eum aditum ad Maecenatem quaerebant, pertinet ille, de quo Libr. I. Sat. 9.:

---

[1] Cf. de eo abbas B. Capmartin de Chanpy in *Découverte de la Maison de Campagne d'Horace*, Vol. III. Romae, 1767.—1769.

Ibam [1] forte via Sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum, totus in illis:
Adcurrit quidam notus mihi nomine tantum;
Arreptaque manu, Quid agis, dulcissime rerum? cet.

qui vs. 43. sqq.:

Maecenas quomodo tecum,
Hinc repetit, paucorum hominum et mentis bene sanae?
Nemo dexterius fortuna est usus: haberes
Magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,
Hunc hominem velles si tradere: dispeream, ni
Submosses omnis. Non isto vivitur illic,
Quo tu rere, modo: domus hac nec purior ulla est,
Nec magis his aliena malis: nil mi officit, inquam,
Ditior hic, aut est quia doctior: est locus uni-
Cuique suus.

Quocum componendus ille est, qui Libr. II. Sat. 6. v. 38. sqq., Horatio:

Iuprimat his cura Maecenas signa tabellis.

Quantopere domus Maecenatiana Horatio illis temporibus placuerit, vidimus, non vero perpetuo illi similiter placuit. Crescente aetate magis magisque deditus otio libertatisque studiosus, unice rure litterisque delectabatur, a quibus sane vel iuvenis adeo non alienus fuerat, ut in Libr. II. Sat. 6. v. 60. sqq.:

O rus, quando ego te aspiciam? quandoque licebit,
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis,
Ducere sollicitae iucunda oblivia vitae?

Haec a. aetatis XXXIV [2]; diu postea vero, cum ad philosophiae studium se convertisset, eumque prorsus

[1] Bentleii: «*Ibam ut*» non est ferendum, vid. Orellius.
[2] Vid. p. 124. n. 2. et p. 303. n. 2.

taederet vitae, quam in aula Maecenatis agebat, ita ad illum Libr. I. Epist. 1.:

> Prima dicte mihi, summa dicende Camena,
> Spectatum satis, et donatum iam rude, quaeris,
> Maecenas, iterum antiquo me includere ludo.
> Non eadem est aetas, non mens. Veianius, armis
> Herculis ad postem fixis, latet abditus agro,
> Ne populum extrema totiens exoret arena.
> Est mihi purgatam crebro qui personet aurem;
> Solve senescentem mature sanus equum, ne
> Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat.
> Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono:
> Quid verum atque decens, curo et rogo, et omnis in hoc sum:

disertius idem significat Libr. I. Epist. 7.:

> Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
> Sextilem totum mendax desideror. atqui
> Si me vivere vis sanum recteque valentem;
> Quam mihi das aegro, dabis aegrotare timenti,
> Maecenas veniam:

tum libere vs. 14. sqq. causam aggreditur, quare Maecenas minus eo, hoc tempore, delectaretur, adeoque ingrati animi suspectum posset habere; neque eam aut ignorare simulans praeterit, aut quaesitis vocabulis honestare conatur, uti fere solent simili in re timidiores amici sibique diffidentes, sed ille aperte:

> Non, quo more pyris vesci Calaber iubet hospes,
> Tu me fecisti locupletem. Vescere sodes.
> Iam satis est. At tu quantumvis tolle. Benigne.
> Non invisa feres pueris munuscula parvis.
> Tam teneor dono, quam si dimittar onustus.
> Ut libet: haec porcis hodie comedenda relinques.
> Prodigus et stultus donat quae spernit et odit:
> Haec seges ingratos tulit et feret omnibus annis.
> Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus,
> Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis?

Nec revera ignorabat Maecenas, nec indignis dare erat paratus, qnin vel malebat detrahi de fide sua, quam indignos iuvare, uti Seneca tradit [1], qui, postquam ostendit, si qnid cui promiseris, fidem omnino servandam esse, si omnia eadem maneant, qnae fuerint, fide vero te esse liberatum, si mntatio sit facta, inprimis si is, cui promiseris, post promissum, compertus fuerit vir malus et ingratus, haec subiicit: «Inspiciam tamen et quantum sit, de quo agitur: dabit mihi consilium promissae rei modus. Si exiguum est, dabo, non quia dignus est, sed quia promisi, — si maius erit, non committam, qnemadmodnm Maecenas ait, ut sestertio centies obiurgandus sim.» Pergit autem Horatius vs. 25. sqq.:

Qnod si me noles unquam discedere, reddes
Forte latus, nigros angusta fronte capillos:
Reddes dulce loqui: reddes ridere decorum, et
Inter vina fugam Cinarae maerere protervae.
Forte per angustam tenuis nitedula rimam
Repserat in cameram frumenti; pastaque, rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra.
Cui mustela procul, Si vis, ait, effugere istinc;
Macra cavum repetes artum, quem macra subisti.
Hac ego si conpellor imagine, cuncta resigno.

Desinit vs. 46. sqq. in lepidissimam Philippi Menaeque historiam, qnae quam exacte in ipsum Maecenatemque conveniat, supra iam vidimus [2].

Nihil tamen de suo in Maecenatem amore detrahi passus est Horatius. Cum ille, aetate extrema, perfida nxore vexatus, Augusti frigore tactus [3], morbis

[1] De Benef. Libr. IV. c. 36. § 1.

[2] Vid. p. 171.

[3] Dio Cassius Libr. LIV. c. 19.

praeterea, febri perpetua insomniisque [1], afflictus tandem morti succubuisset, non immemor Horatius fuit eorum, quae olim professus erat Libr. II. Carm. 17.:

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec Dis amicum est, nec mihi, te prius
Abire [2], Maecenas, meorum
Grande decus columenque rerum.

Ah, te meae si partem animae rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus aeque, nec superstes
Integer? ille dies utramque

Ducet ruinam: non ego perfidum
Dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
Utcumque praecedes, supremum
Carpere iter comites parati.

siquidem eo tempore vitae taedio captus, desiderio defuncti amici oppressus, mortem ipse suam prospiciens cupiensque haec cecinit [3]:

Non usitata, nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum aethera
Vates; neque in terris morabor
Longius; invidiaque maior

---

[1] Seneca de Provid. c. 3. § 9., Plinius Nat. Hist. Libr. VII. c. 51. Sect. 52.

[2] Ita Cl. Peerlkamplus pro: « *Obire.* »

[3] Libr. II. Carm. 20. Nota est Cl. Peerlkampii sententia de hoc Carmine. Simile quid inuuere videtur Dacerius, qui, cum iuter se composuisset Libr. II. Carm. 17., quod modo vidimus, cum illo, de quo nunc agitur, haec subiecit: « *il est aisé d'être bon prophète, quand on prédit des choses, qu'il dépend de soi d'accomplir.* » Cf. Vanderburgius T. I. p. 289. Eichstaedtius in Parad. Horat. I. totum Carmen εἰρωνικῶς accipiendum esse docet.

Urbis relinquam. non ego, pauperum
Sangnis parentum, non ego, quem vocas [1],
Dilecte Maecenas, obibo;
Nec Stygia cohibebor unda.

Nec Horatii sui immemor fuerat Maecenas moriens, teste Suetonio in Vita Horatii: «Maecenas, quantopere eum dilexerit, satis demonstratur isto Epigrammate:

Ni te visceribus meis, Horati,
Plus iam diligo, tu tunm sodalem
Ninnio [2] videas strigosiorem. —

— sed multo magis extremis iudiciis, tali ad Augustum elogio: «*Horatii Flacci, ut mei esto memor,*» quo-

---

[1] In hisce vocabulis: «*quem vocas*» interpretandis mirum quantum turbarunt Interpretes. Scholiastes Cruq.: «*O Maecenas, non ego obibo, quem vocas dilecte, nec cohibebor stygia unda;*» Ianus Dousa in Commentariolo, in Horat. Edit. Cruq. a. 1597. p. 639.: «*quem — familiariter eum vocare — consuevisti,*» Bentleius: «*quem vocant,*» invidi scilicet, pauperum sanguinem parentum, Klotz., Lection. Venus. p. 277.: «*quem notant.*» Sed egregie Cl. Peerlkampius, illustravit locum collato Virgilii Aeneid. Libr. IV. v. 460. sq., nbi in simili re, de Didone:

Hinc exaudiri voces et verba *vocantis*
Visa viri cet.

Sunt praeterea sententiae Sivrii et Wetzelii, quorum commentarios non vidi, relatae a Vanderburgio, T. I. p. 384. sqq.

[2] Varias huius vocabuli scripturas vid. apud Vanderburginm in Edit. Horat. T. I. p. llx. Diversas interpretationes exhibet Richterus in Edit. Vitae Horatii, Suetonio adscriptae p. 17. sqq. Sententia Vossii, (cnius praenomen tacet Richterus,) mihi praestare videtur, ut significaverit Maecenas Ninnium Crassum quendam, poëtam illius temporis siccum et macilentum. Baxterus: «*Minno,*» est autem minnus, vel minus, ovis ventre glabra. Gronovius, (vid. Burmanni Edit. Suetonii,) «*tu Titii sodalis Ginno me, cet.,*» ut respexerit Maecenas muinm male curatum cuiusdam e Titiis sodalibus. Bothius: «*tantulum sodalem Hinno* (s. *Ginno*) *me cet.*»

cum Dio Cassius est conferendus Libr. LV. c. 7.: «*καὶ κληρονόμον αὐτὸν, (Αὔγουστον Μαικήνας,) καίπερ ἐπὶ τῇ γυναικὶ δυσκολαίνων, κατέλιπε, καὶ ἐπ' αὐτῷ πλὴν ἐλαχίστων ἐποιήσατο, ἄν τε τινι τῶν φίλων αὐτοῦ δοῦναί τι ἐθελήσῃ, ἄν τε μή.*» Mortuus autem Maecenas est, teste Dione [1], a. 746., Horatius, secundum Suetonium in Vita, eodem anno d. V. a. Kal. Dec.

Leguntur apud Isidorum [2] Maecenatis versus:

> Lugent te, mea vita, te smaragdus
> Beryllus quoque, Flacce, nec nitentes
> Nunc percandida margarita quaero,
> Nec, quos Thynica lima perpolivit
> Anellos, nec Iasplos lapillos,

unde nonnulli [3] suspicati fuerunt, Horatium obiisse ante Maecenatem. Ego, quare eos per Horatii absentiam Maecenas scribere non potuerit, prorsus non video, nisi potius cum Alciato [4] est legendum:

> Lucentes, mea vita, nec smaragdos
> Beryllos mihi, Flacce, cet.

ut adeo sit fragmentum carminis, cuius sensus hodie non amplius investigari possit.

Haec habui de Maecenate, quae dicerem, iam pergendum est ad Agrippam, alterum imperii Augusti decus et tutamen.

---

[1] Libr. LV. c. 7.

[2] Origin. Libr. XIX. c. 32.

[3] Ianus Dousa in Schediasm. succid. ad Tibullum, in Edit. Broukhusii p. 472. sq., cl. l. l. p. 651. sq., Turnebus Advers. Libr. XX. c. 2., Torrentius ad Horat. Libr. I. Carm. 1. v. 1. et ad Libr. II. Carm. 17. v. 9.

[4] Teste Massono in Vita Horatii p. 369.

M. Vipsanius Agrippa, ignobili loco natus, ingenio et virtute summa quaeque fuit consecutus [1]. Erat Augusto carissimus consiliis factisque, populo ludis et largitionibus gratissimus. Hinc illi plausus, quos commemorat Servius Oppidius, filium Aulum deterrere cupiens ab aedilitate praeturave petenda, in Libr. II. Sat. 3. v. 185. sq.:

> Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu,
> Astuta ingennum volpes imitata leonem.

quam Satiram cum scripsit Horatius, aedilitate functum esse Agrippam, docent eiusdem Oppidii verba vs. 182. sq.:

> In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,
> Latus ut in circo spatiere, et aëneus ut stes;

ciceres enim fabas lupinosque aediles populo, in ludis Floralibus, distribuebant [2]. Venationes per eos, in circo Florae, in mitia animalia, fiebant [3], itaque in illo circo Agrippa *latus* [4] *spatiatus est*, curru vectus, triumphali veste indutus, uti iis licebat, qui vel praetores, vel praetura functi iam erant [5]. Agrippa autem praetor a. 714. [6], consul fuerat a. 717. [7], aedilitatem vero, quum nemo amplius eam peteret, sponte

[1] Velleius Libr. II. c. 79., 96. et 127., Seneca Epist. XCIV., Tacitus Annal. Libr. I. c. 3., Dio Cassius Libr. LIV. c. 29.

[2] Cicero in Verrem Libr. V. c. 14., Persius Sat. V. v. 177. sqq.

[3] Ovidius Fast. Libr. V. v. 189. sq., v. 371. sqq., Martialis Libr. VIII. Epigr. 67. v. 4.

[4] Ier. Markland. in Epistola critica ad Fr. Hare legit: *Largus.*

[5] Plinius Nat. Hist. Libr. XXXIV. c. 5. Sect. 11., Tacitus Annal. Libr. I. c. 15., Iuvenalis Sat. X. v. 36. sqq., Sat. XI. v. 191. sqq.

[6] Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 20.

[7] Id. ibid. c. 40.

sua, Caesari gratificaturus suscepit a. 721. [1] Urbem, eodem consilio, compluribus aedificiis egregiis ornavit, porticibus, thermis, pantheo, septis Iuliis, aliis. Porticuum una memoratur Libr. I. Epist. 6. v. 25. sq.:

cum bene notum
Porticus Agrippae, et via te conspexerit Appi.

Quaenam fuerit, haud constat. Torrentius, Sanadonus, Wielandus panthei porticum fuisse putant. Sed recte Massonus [2] negat, panthei porticum, sedecim tantum columnis fultam, ambulationibus aptam fuisse, cogitat vero Neptuni sive Argonautarum porticum [3], candemque sententiam Weichertus, Schmidius, Frandsenius [4] alii, secuti fuerunt. Mihi vero propter locum Dionis Libr. LV. c. 8.: «τὸ πεδίον τὸ Ἀγρίππειον, πλὴν τῆς στοᾶς, αὐτὸς ὁ Αὔγουστος ἐδημοσίευσε,» et paullo post: «ἡ ἐν τῷ πεδίῳ στοά,» ubi porticus simpliciter memoratur, nomine non addito, in campo Agrippae, illa ab Horatio significari videtur porticus, quam ibi exstruxit Polla, soror Agrippae [5], etiamsi demum post mortem Horatii perfecta fuerit. Eadem a Martiale Europae porticus vocatur, circumdata buxeto, erat aptissima ambulationibus [6]. Haud diversa

---

[1] Dio Cassius Libr. XLIX. c. 43., Plinius Nat. Hist. Libr. XXXVI. c. 15. Sect. 24.

[2] In Vita Horatii p. 213.

[3] Dio Cassius Libr. LIII. c. 27. Cf. Martialis Libr. II. Epigr. 14., Libr. III. Epigr. 20., Libr. XI. Epigr. 1.

[4] M. Vipsanius Agrippa von P. S. Frandsen. Altona, 1836. p. 163.

[5] Dio Cassius l. l.

[6] Martialis ll. ll.

fortasse a porticu Vipsaniae, quam memorant Tacitus [1] et Plutarchus [2].

Praecipua vero laus Agrippae in rebus bellicis posita fuit. Hanc obtinuit in bello Perusino [3], contra Gallos [4], contra S. Pompeium, contra M. Antonium, contra Cantabros. Bellum contra Pompeium cum suscepisset, annum 717. totum impendit classibus aedificandis, remigibus exercendis, militibus contrahendis [5]. Portus idoneus cum deesset, effecit tutissimum et spatiosissimum, inter Baias et Puteolos, immisso mari per lacum Lucrinum in Avernum, qui portus Iulius dictus est [6]. Hunc respici ab Horatio Art. Poët. v. 63. sqq.:

> sive receptus
> Terra Neptunus classis Aquilonibus arcet,
> Regis opus, cet.

Interpretes fere putant, Acronem et Scholiastam

---

[1] Hist. Libr. I. c. 31.

[2] In Vita Galbae c. 25.

[3] Applanus de Bello Civili Libr. V. c. 19. sqq. Cf. Livius Epit. Libr. CXXVI., Velleius Libr. II. c. 74., Florus Libr. IV. c. 5.

[4] Applanus l. l. c. 92., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 49., Eutropius Libr. VII. c. 5.

[5] Velleius Libr. II. c. 79., Appianus l. l. c. 96., Dio Cassius l. l.

[6] Cf. de lacu Lucrino Libr. II. Carm. 14. v. 5. sqq. De portu Iulio egerunt Suetonius in Vita Octavii c. 16., Strabo Libr. V. p. 244. sq., Plinius Nat. Hist. Libr. XXXVI. c. 15. Sect. 24., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 50. et 51. Cf. Virgilius Georg. Libr. II. v. 160. sqq., ibique Servius et Philargyrius. Scriptorum locos de eo portu, hic illic inter se discrepantium, in concordiam redigere conatus est Frandsenius l. l. p. 140. sqq. Abbas Capmartin du Chaupy, in *Découverte de la Maison de Campagne d'Horace*, T. I. p. 285., cogitat, in Art. Poët. l. l., portum Circeiensem, non ita longe a paludibus Pontinis, canali cum mari iunctum.

Cruquianum secuti, ut supra iam vidimus [1]. Proxima autem aestate Agrippa Pompeii classem delevit, ipsum fugavit, itaque diutissimo et perniciosissimo bello finem imposuit [2]. Magna quoque eius opera fuit in bello contra M. Antonium, praecipue in pugna Actiaca, cum arbitrium certaminis illi relictum esset [3]. Ab hoc inde tempore per annos amplius decem nihil praestitit in bello. Anno vero 734. [4] Gallias denuo pacavit, inde in Hispaniam traiecit, Cantabros ad internecionem devicit. Haec vero, quia Cantabri saepius ab Horatio memorantur, paullo fusius sunt declaranda.

Cantabri, per longum tempus indocti ferre iugum [5], primum devicti fuerant a Statilio Tauro a. 725. [6], triennio vero post denuo rebellaverunt. Ab ipso Au-

---

[1] Pag. 361. sq.

[2] Vid. supra p. 298.

[3] Velleius Libr. II. c. 84. et 85., Plutarchus in Vita Antonii c. 64. et 65., Dio Cassius Libr. L. c. 31. sqq. Cf. Virgilius Aeneid. Libr. VI. v. 682. ibique Servius.

[4] Dio Cassius Libr. LIV. c. 6., cl. 11. Anno enim 733. ab Augusto ex Oriente in Siciliam arcessitus fuerat Agrippa. Inde Romam missus, ibi res ordinavit. Post in Galliam profectus eas constituit. Tum demum in Hispaniam traiecit, ibi militum seditionem compescuit, bellum difficillimum confecit. Vix igitur ante a. 735. Cantaber cecidit, uti Iccio suo Horatius scribit Libr. I. Epist. 12. v. 26. sq. Nuntius eius victoriae Romam venit haud ita diu postquam resciverant, quae in ultima Asia a Tiberio fuerant gesta a. 734. Minus recte igitur Sanadonus, Massonus, in Vita Horatii p. 298., Kirchnerus, Quaest. Horat. in Tab. Chron., Frankius, Fast. Horat. p. 205., dictam Epistolam retulerunt ad a. 734. Rectius Dacerius et Weichertus, de Vario et Cassio p. 136., ad a. 735.

[5] Ita Horatius Libr. II. Carm. 6. v. 2., de cuius aetate infra ad Septimium videbimus.

[6] Dio Cassius Libr. LI. c. 20.

gusto per legatos C. Antistium et T. Carisium a. 729. superati [1], iugum iterum excusserunt statim post eius discessum. Per L. Aemilium a. 730. [2], et C. Furnium a. 732. [3], deinceps in servitutem redacti, identidem sese vindicarunt in libertatem. Tandem denique Agrippa, ex Gallia in Hispaniam profectus, a. 735. [4] primum milites seditiosos ad officium redegit, postea gentem Cantabricam est aggressus, eamque totam pene delevit, reliquias vero in planitiem deduxit. Haec vicissitudo fuerat belli Cantabrici per annos decem; videndum est de locis Horatianis, ubi Cantabrici, sive Hispanici belli mentio fiat.

Carmen 14. Libri III.: «Herculis ritu cet.,» scripsit Horatius [5] circa a. 730., quo tempore Augustus Romam erat rediturus. Eo tempore, id quod obiter observandum est, Horatio capillus erat albescens,

---

[1] Id. Libr. LIII. c. 25. Quod Florus, Libr. IV. c. 12. § 46. sqq., rebellandi finem Hispaniae ab Agrippa, qui a. demum 735. illum finem fecit, ad Augustum transfert, agit in eo pro more suo. Quod vero, l. l. § 51., addit: «Haec per Antistium, Furnium, Agrippam, legatos, hibernans in Tarraconis maritimis, Caesar accepit,» is manifestus error est. Agrippa per totam Augusti in Hispania absentiam Romae fuit, vid. Dio Cassius Libr. LIII. c. 23. et 27., Furnius post Augusti reditum demum eo missus fuit, vid. id. Libr. LIV. c. 5. Sed de Furnio plura suo loco dabimus. Miror, neque Interpretes Flori, quos equidem viderim, Rupertium, Graevium, Dukerum, neque Bloudium, (in *Mém. de l'Acad. des Sciences*, T. XL.,) neque Fraudsenium, Vitae Agrippae Scriptores, eo in loco haesisse. Accuratius Velleius Libr. II. c. 90., Suetonius in Vita Octavii c. 20. et 21.

[2] Dio Cassius Libr. LIII. c. 29.

[3] Id. Libr. LIV. c. 5.

[4] Id. ibid. c. 11. Cf. p. 410. n. 4.

[5] Cui tamen abiudicatur a Cl. Peerlkampio, probante Eichstaedtio, in Parad. Horat. XI. Cf. supra p. 350.

vid. vs. 25. Nec mirum, erat praecanus [1] et agebat annum XLI. Iterum Cantabrorum fit mentio Libr. II. Carm. 11.:

> Quid bellicosus Cantaber et Scythes,
> Hirpine Quinti, cogitet, cet.,

in quo Carmine certo tempori assignando, multum laborarunt Interpretes. Sanadonus contendit, diu post illud Libr. III. 14. scriptum esse, in illo enim est Horatii capillus albescens, in hoc, vs. 15., capilli sunt cani. Sed Cantabri Scythaeque post a. 730. non nisi proximo a. 731. una in armis fuerunt. Ut se expediat, Sanadonus urget verbum: *cogitet*. Cogitarunt quidem, consilia vero sua non sunt exsecuti. Verum falsus in eo erat Sanadonus, quod putaret Scythas Cantabrosque eodem a. 731. bellum intulisse Romanis, id quod nusquam legimus. Aliter Massonus [2]. Horatii capillos non curat. Carmen Libri II. 11.: «Quid bellicosus cet.,» scriptum est paullum ante Libri III. 8.: «Martiis caelebs cet.;» hoc autem a. 734., uti colligit Massonus ex vs. 21. sqq.:

> Servit Hispanae vetus hostis orae
> Cantaber, sera domitus catena:
> Iam Scythae laxo meditantur arcu
> Cedere campis.

Cantabri Scythaeque, (Daci enim Scytharum natio [3],) quae cogitaverant, ea iam, sed cum suo infortunio, fuerant conati. Significat autem Horatius, indice

---

[1] Libr. I. Epist. 20. v. 24.

[2] In Vita Horatii p. 284.

[3] Vid. supra p. 228.

Massono, Furnii victoriam de Cantabris, quam eodem tempore reportavit atque suam Lentulus de Cotisone [1], Luciusque de Sauromatis [2]. Verum Furnii victoria in a. 732., C. Lucii in 738. incidit, Lentuli annus est plane incertus. Nollem ita lapsus esset vir egregius. Anno igitur Carminis 8. Libri III. male constituto, annum Carminis 11. Libri II., quod paullum ante illud scriptum fuisse contendit, idem male constituit. Secutus tamen est Kirchnerus [3], ad eundem a. 734. Carmen Libr. II. 11. referens. Frankius vero [4]: «probabile est, Libr. II. Carm. 11. compositum esse sub finem a. 728., aut initium a. 729., cum Cantabri rebellarent et Scythae, instigante Phraate, contra Tiridatem expeditionem pararunt.» Quae, etsi verissimum sit, Cantabros illo anno rebellasse [5], neve improbabile sit, eodem tempore [6] Phraatem, auxiliantibus Scythis, fratrem aggressum esse, tamen nihil huc faciunt. Quid enim Quintius Hirpinus trepidaret, quod Scythae Parthis bellum inferrent. Ut vere dicam, non nisi annis 724. et 725. Cantabros Scythasque eodem tempore in armis videmus. Anno enim 724. M. Crassus missus est contra Dacos, Scytharum gentem, ut supra iam vidimus [7], et Bastarnas, qui, uti ait Dio Cassius [8]: « Σκυθαὶ ἀκριβῶς

[1] Vid. supra p. 229.

[2] Dio Cassius Libr. LIV. c. 20.

[3] Quaest. Horat. p. 11.

[4] Fast. Horat. p. 181.

[5] Dio Cassius Libr. LIII. c. 25.

[6] Iustinus Libr. XLII. c. 5.

[7] Strabo Libr. VII. p. 304., Plinius Nat. Hist. Libr. IV. c. 12. Sect. 25. Vid. p. 228.

[8] Libr. LI. c. 23.

νενομίδαται,» eosque profligavit [1]. Ad annum vero 725. legimus apud Dionem [2]: «ἦσαν μὲν γὰρ ἐν ὅπλοις — ἔτι — καὶ Κάνταβροι, καὶ Οὐακκαῖοι καὶ Ἀστυρίς.» Sed parum convenit capillorum canorum mentio, cum Horatii aetate eo tempore annorum XXXV. vel XXXVI. Capillos canos omnino habere potuit ista aetate Horatius, sunt etiam hodie qui habeant. Si qui vero poëta aetatis provectioris incommoda, manus trementes, visum obtusum, capillos canos, gradum incertum, iam optima aetate habet, eorum profecto in Carmine protreptico mentionem non est facturus, quamvis facere poterat in Carmine lacrimabili. Quid ergo? Aut, cum Sanadono, *cogitet* ita est interpretandum, ut Cantabri Scythaeque ea, quae cogitaverant, exsecuti non fuerint; aut, cum Mitscherlichio, *Cantaber et Scythes* pro quavis gente bellicosa sunt accipiendi, — ita, credo, ut aeque bene dixisset poëta: «*Quid bellicosus Parthus et Aethiops, cet.,*» aut: «*Quid bellicosus Medus et Allobrox, Hirpine Quinti, cogitet Alpibus divisus obiectis, cet.,*» quod, ut fieri potuisse concedimus in alloquendo universe timidum quendam amicum sollicitumque, ita in adhortando certo homine, Quintio Hirpino, negamus, — aut denique, quod fecit Cl. Peerlkampius, totum Carmen, hac etiam de causa, quod in nullum tempus aetatis Horatii recte cadat, poëtae erit abnegandum. Idem valet de Carmine 8. Libri III., ubi vs. 21. sq. legimus:

> Servit Hispanae vetus hostis orae
> Cantaber, cet.

---

[1] Id. ibid. et sqq., Livius Epit. Libr. CXXXIV. et CXXXV.
[2] Libr. LI. c. 20.

in cuius Carminis anno natali constituendo, quam infelix fuerit Massonus, modo vidimus. Kirchnerus [1] tamen: «Libri III. Carmen 8. propter cladis Dacorum et Cantabrorum commemorationem, a. u. c. 733. (734. Varr.) certissime prodit, vid. Massonus p. 276. sq.» Frankius [2] rectius idem Carmen ad a. 729. referri posse probavit, quamquam nec Maecenatis curas civiles super urbe in vs. 17., nec Medorum discidium in vs. 19. sq. satis recte expedivit, ut supra vidimus [3].

Certiora dat Libri I. Epist. 12. v. 27. sq.:

> Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis
> Armenius cecidit:

quam Epistolam ad Iccium scripsit Horatius a. 735., ut supra probavimus [4], quamvis fere statuunt Interpretes iam a. 734. eam scriptam fuisse.

Merito igitur hisce laudibus celebratur Agrippa ab Horatio Libr. I. Carm. 6.:

> Scriberis Vario fortis et hostium
> Victor, Maeonii carminis alite,
> Quam rem cunque ferox, navibus aut equis
> Miles, te duce, gesserit.

Fueritne Agrippa a Vario celebratus, necne, incertum est; hoc certissimum, ne vestigium quidem eiusmodi scriptionis superesse. Quod vero Horatius abstinuerit a laudatione Agrippae, ita facere potuit, quod vires sibi deesse crederet [5], sed et prudenter abstinere po-

---

[1] Quaest. Horat. p. 9.
[2] Fast. Horat. p. 158. sqq.
[3] Pag. 224. et
[4] Pag. 410. n. 4.
[5] Cf. supra p. 338. sq.

tuit, ne Augusti, minime fortis hostiumque victoris [1], offenderet animnm. Ipse Agrippa laudes suas premere solebat, quum censeret, prudentis esse viri, feliciter gestarum rerum laudem ad principem referre, minns bene gestarum ignominiam in se suscipere, id quod iam ad a. 718., tempore belli contra S. Pompeium, refertur a Cassio Dione [2].

§ 12.

Rcliquos sub imperio Augusti principes viros, ab Horatio commemoratos, in hac Sectione componemus. Sunt hi: Taurus, Proculeius, Licinius Murena, Censorinus, Lollins et Fabius Maximns. De Lepido, cuius consulatus memoratur, iam vidimus, cnm de Lollio agerемus [3].

De Tauro est in Epistola ad Torquatum Libr. I. 5. v. 4.:

Vina bibes iterum Tauro diffusa,

quaeritur autem quando Taurus, qui est T. Statilius Taurus, primum consul, ut vulgo statunnt, a. 728. cum Augusto VIII.[4], iterum consul fuerit [5]. Pighius [6] iam ante consulatum cum Augusto suffectum eum fuisse pntat L. Caninio Gallo a. 717., Glandorpius [7]

---

[1] Vid. p. 347. n. 7.

[2] Libr. XLIX. c. 4.

[3] Pag. 262. sq.

[4] Dio Cassius Libr. LIII. c. 23.

[5] Bis consulem vocat quoque Suetonius in Vita Neronis c. 35.

[6] Fast. T. III. p. 489. sq.

[7] In Onomastico p. 813. De Tauro, eius anni consule, cf. Pighius l. l. p. 539.

secundum consulatum refert ad a. 764., cuius vero sententiae adversatur aetas Tauri, qui a. 738. [1] urbi et Italiae praefectus, munus illud, iam provecta aetate, egregie tolerasse dicitur [2]; quare tutius esse videtur, Pighii sententiam amplecti, praesertim cui vetus inscriptio suffragetur [3].

Egregie PROCULEIUM laudat Horatius Libr. II. Carm. 2. v. 5. sqq.:

> Vivet extento Proculeius aevo,
> Notus in fratres animi paterni:
> Illum aget penna metuente solvi
> Fama superstes.

ubi annotat Acron: «*Proculeium equitem Romanum laudat, qui tam pius erga fratres suos Scipionem et Murenam fuit, ut, cum spoliatis bello civili patrimonium suum ex integro divideret, quod cum eis iam ante diviserat,*» eademque Porphyrion et Schol. Cruquianus, quibuscum conferre iuvat simile factum Scipionis Africani minoris, qui L. Paulli, patris sui naturalis, hereditatis partem suam Q. Maximo fratri concessit [4]. Fuerit omnino vir eximius C. Proculeius necesse est, cui non solum Caesar Augustus fidem habebat, qui tanti eum faciebat, ut, quamvis equiti, filiam suam ei in

[1] Dio Cassius Libr. LIV. c. 19.

[2] Tacitus Annal. Libr. VI. c. 11. Ceterum de Tauri opera contra S. Pompeium, in Africa, apud Actium, deque eius amphitheatro vid. Velleius Libr. II. c. 127., Suetonius in Vita Augusti c. 29., cl. Taciti Annal. Libr. III. c. 72., Plutarchus in Vita Antonii c. 65., Appianus de Bello Civili Libr. V. c. 97., 109., 105. et 108., Dio Cassius Libr. XLIX. c. 14. et 38., Libr. L. c. 13., Libr. LI. c. 23.

[3] Exhibent illud Pighius i. l. p. 507., Gruterus p. CCXXXIV. n. 1.

[4] Cicero Parad. VI. c. 2., Plutarchus in Vita Aemilii Paulli c. 39.

matrimonium dare cogitaverit [1], sed M. Antonius etiam credebat [2]. Est quoque egregium documentum indolis Proculeii, quod tradit Dio Cassius [3]. Nempe, cum Cornelius Gallus, Aegypti praefectus, accusatus fuisset a Valerio Largo, familiari suo, condemnatusque: «ὁ μέντοι Προκούλιος οὕτω πρὸς αὐτὸν ἔσχεν, ὥστ' ἀπαντήσας ποτὲ αὐτῷ, τήν τε ῥῖνα καὶ τὸ στόμα τὸ ἑαυτοῦ τῇ χειρὶ ἐπισχεῖν.» Recensetur a Iuvenale inter literarum fautores Sat. VII. v. 94.:

Quis tibi Maecenas? quis nunc erit aut Proculeius?

Scipio ille, de quo Scholiastae, quis fuerit, prorsus non constat. Quum vero coniurationem contra Caesarem Augustum fecerint Fannius Caepio et L. Murena, Proculeii frater [4], Torrentius recte iudicasse videtur, Scholiastas *Scipionem* pro *Caepione* posuisse [5], hunc autem, nulla auctoritate, Proculeii et Murenae fratrem habuisse.

Murena, teste Dione, frater erat Terentiae, Maecenatis uxoris, ut adeo e familia Terentiorum Varronum per adoptionem transiisse videatur ad Licinios Murenas [6]. Qua vero ratione Proculeii frater fuerit,

---

[1] Tacitus Annal. Libr. IV. c. 40. Cf. Plutarchus in Vita Antonii c. 78. et 79., Plinius Nat. Hist. Libr. VII. c. 45. Sect. 46. De morte Proculeii id. ibid. Libr. XXXVI. c. 24. Sect. 59.

[2] Plutarchus l. l. c. 77.

[3] Libr. LIII. c. 24.

[4] Dio Cassius Libr. LIV. c. 3., Velleius Libr. II. c. 91., Suetonius in Vita Augusti c. 19., 56. et 66. cl. Tiberii c. 8., Seneca de Clementia Libr. I. c. 9., de Brevitate Vitae c. 5. § 4. Cf. Macrobius Saturn. Libr. I. c. 11.

[5] De nominum *Scipionum* et *Caepionum* inter se confusione vid. Perizonius Animadv. Hist. p. 425. sqq.

[6] Modo vocatur A. Varro, ut a Cicerone ad Diversos Libr. XVI.

prorsus non apparet [1]. Memoratur in descriptione itineris Brundisini Libr. I. Sat. 5. v. 37. sq.:

> In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,
> Murena praebente domum, Capitone culinam.

Admonet eum Horatius moderationis et temperantiae Libr. II. Carm. 10.:

> Rectius vives, Licini, neque altum
> Semper urguendo; neque, dum procellas
> Cautus horrescis, nimium premendo
> Litus iniquum.
>
> Auream quisquis mediocritatem
> Diligit tutus, caret obsoleti
> Sordibus tecti, caret invidenda
> Sobrius aula.

Murena autem a. 732., seu quod coniuraverat cum Caepione, seu propter impotentiam linguae Augusto invisus, accusatus a Tiberio damnatusque fuit, frustra intercedentibus Proculeio fratre Terentiaque sorore [2].

Augurem fuisse Murenam, quod aliunde notum non est, discimus ex Libr. III. Carm. 19. v. 9. sqq.:

> Da Lunae propere novae,
> Da noctis mediae, da, puer, auguris
> Murenae: tribus aut novem
> Miscentor cyathis pocula commodis.

Epist. 12., modo Terentius Varro, ut a Dione Cassio Libr. LIII. c. 25. Murena a Strabone Libr. XIV. p. 760., Licinius Murena a Velleio II. c. 91.

[1] Censet Drumannus, *Geschichte Roms* T. IV. p. 193. n. 53., Murenam ortum e familia Liciniorum Varronum adoptatum fuisse ab A. Terentio Varrone; Proculeium, fratrem eius fuisse patruelem, ex eadem familia Licinia, adoptatum a quodam Proculeio.

[2] Vid. supra p. 418. n. 4.

Censorinus, cui Horatius inscripsit Libr. IV. Carm. 8.:

> Donarem pateras grataque commodus,
> Censorine, meis aera sodalibus:
> Donarem tripodas, praemia fortium
> Graiorum; cet.

fuit profecto C. Marcius Censorinus, cs. a. 746. cum C. Asinio Gallo. De eo Velleius Libr. II. c. 102.: «Sed quam hunc [M. Lollium a. 752.] decessisse laetati homines, tam paullo post obiisse Censorinum, in iisdem provinciis, graviter tulit civitas, virum demerendis hominibus genitum.» Hic enim rectius sodalis ab Horatio compellari potuit, quam pater eius L. Marcius Censorinus, cs. 715. cum Calvisio Sabino, cuius praeterea non ea indoles erat, ut eum lubenter Carmine honoraturus fuisset Horatius [1].

Lollius, cuius mors, ut modo vidimus, iucunda accidit civitati, erat M. Lollius, consul a. 733. [2], post in Germaniam missus, ubi vario successu bellum gessit [3], denique Caio Caesari, Orienti praeposito, comes et rector ab Augusto additus, quo munere, quum magnam sibi infamiam contraxisset avaritia et libidine, teste Velleio [4], interdicta amicitia a Caesare, venenum bibit [5]. Huic Horatius Libr. IV. Carm. 9. inscripsit, ubi vs. 30. sqq.:

---

[1] Cicero Phil. XI. c. 5., XIII. c. 2.

[2] Vid. supra p. 262.

[3] Cf. Velleius Libr. II. c. 97., Tacitus Ann. Libr. I. c. 10., Suetonius in Vita Augusti c. 23. et Dio Cassius Libr. LIV. c. 20., cum Iulio Obsequenti c. 131. et Hieronymo Ol. CXC. 4.

[4] Velleius Libr. II. c. 102. Cf. Tacitus Annal. Libr. III. c. 48.

[5] Plinius Nat. Hist. Libr. IX. c. 35. Sect. 58.

non ego te meis
Chartis inornatum silebo,
Totve tuos patiar labores

Iupune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. est animus tibi
Rerumque prudens, et secundis
Temporibus dubiisque rectus;

Vindex avarae fraudis, et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae:
Consuique non unius anni;
Sed, quotiens bonus atque fidus

Iudex honestum praetulit utili et
Reiecit alto dona nocentium
Vultu, et per obstantis catervas
Explicuit sua victor arma, cet.

Mirum sane videtur, hunc esse Lollium, quem Velleius hominem vocat, in omnia pecuniae, quam recte faciendi, cupidiorem et inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimum; quem Tacitus, ex verbis Sulpicii Quirini, pravitatis auctorem Caio Caesari fuisse arguit; sed Sulpicius Lollio inimicus, Velleius Tiberii erat adulator, Lollii memoriae ob veterem iniuriam infensi [1]. Ad Plinium quod attinet, quo teste Lollius in toto Oriente regum muneribus erat infamatus, hic Velleii criminationibus deceptus fuit, aut certe, non tanti eius iudicium est faciendum atque Horatii Lollio aequalis. Filium Lollius habebat, cui duas Epistolas Horatius inscripsit, de quo infra videbimus.

Paullus Maximus in uno Carmine ab Horatio commemoratur Libr. IV. 1., ubi ita ad Venerem Horatius vs. 9. sqq.:

[1] Suetonius in Vita Tiberii c. 12. et 13.

Tempestivius in domum
Paulli, purpureis ales oloribus,
Comissabere Maximi;
Si torrere iecur quaeris idoneum.

Namque et nobilis, et decens,
Et pro sollicitis non tacitus reis,
Et centum puer artium,
Late signa feret militiae tuae.

Fuit Paullus Fabius Q. F. Q. N. Maximus [1] cs. 743. cum Q. Tuberone. Paulli cognomen, quod primus habebat e gente Fabia, illi fortasse a patre datum fuit in memoriam L. Aemilii Paulli, qui fuerat pater naturalis Fabii Aemiliani [2], unde genus ducebant Fabii Maximi [3]. Sitne hic patronus Ovidii, qui ex eiusdem gente uxorem duxerat [4], an diversus ab eo, dubitant VV. DD. Ovidii Fabius, ipso minor natu [5], Ovidius autem a. 711. natus fuerat [6], iuvenis ab eo dicitur in Epistola ex Ponto Libri II. 3. v. 55. scripta demum post a. 765. [7] Iuvenis autem appellatio quamvis, apud poëtas praesertim, latissimo sensu adhibita sit, vix cadit in virum ante annos plus viginti consulatu functum, quare Fabius Maximus ille, Ovidii amicus, potius filius fuisse videtur consulis a. 743.,

[1] Frater erat Q. Fabii Maximi, cs. proximo anno cum Iulo Antonio, de quibus supra p. 308. n. 1. Uterque enim, Paullus Fabius Maximus et Q. Fabius Maximus erat Q. F. Q. N.

[2] Velleius Libr. II. c. 5.

[3] A Perizonio Animadv. Hist. p. 140. nbavus Paulli Maximi vocntur. Dubitat Massonus, in Vita Horatii p. 330., an tantum nbavus fuerit.

[4] Epist. ex Ponto Libr. I. 2. v. 138., Libr. III. 1. v. 75. sqq.

[5] Ibid. Libr. I. Epist. 2. v. 133., Libr. II. Epist. 3. v. 72. Trist. Libr. IV. El. 10. v. 5. sq. Massonus in Vita Ovidii p. 193. et 216.

eiusve fratris, qui proximo anno eundem gessit magistratum, quam ipse utriusvis anni consul fuerit [1]. Horatii vero Paullum Maximum recte statuemus, consulem esse a. 743 [2]. Vix enim alter ille Ovidii, quem cogitabant Torrentius, Ianius, alii, nec diversum a consule a. 743. censebant, a. 739., quo Carmen composuit Horatius, uti apparet e vs. 6. sq., ubi se vocat:

Circa lustra decem [3] — mollibus
Iam durum imperiis,

vix ille eo anno pueritiam egressus fuit. Puerum quidem Paullum vs. 15. vocat Horatius, sed ita ut Catullus [4] Pollionem, leporum et facetiarum disertum puerum vocat. Paullus enim, pro sollicitis non tacitus reus, non amplius vere puer erat. Cuius aetatis fuerit, cum ita de eo Horatius, est prorsus incertum, neque enim eam colligere licet ex eo, quod a. 743. consulatum gesserit, quum tot sint exempla eorum, qui, sub imperatoribus, ante annum legitimum, pervenerint ad eam dignitatem [5].

Ut ne unum quidem nomen omittam, subiiciam Appium Claudium Caecum, Ti. Minucium Auguri-

[1] Id. ibid. p. 216. Aliter Lipsius in Exc. ad Taciti Annal. Libr. I. c. 5., probante Welcherto in Caesaris Augusti Reliq. Fasc. I. p. 79.

[2] De huius fato vid. Tacitus Annal. Libr. I. c. 5., Plinius Nat. Hist. Libr. VII. c. 45. Sect. 46., Plutarchus de Garrulitate c. 11.

[3] Cf. supra p. 262.

[4] Carm. XII. v. 9. sqq.

[5] Ita Rupertus in Epist. Reines. p. 667., teste Massono in Vita Horatii p. 329.

num, L. Scribonium Libonem et L. Fabricium, quamvis non ipsi, eorum vero opera memorantur.

Viam Appiam, Roma Capuam usque muniverat Appius Claudius Caecus, censor a. 442 [1]. Fit saepius eius mentio apud Horatium [2]. Ambigitur Libr. I. Epist. 18. v. 20.:

Brundisium Minuci melius via ducat, an Appi.

Brundisium enim usque, post Appium, perducta fuit. Minucium Schmidius, in loco allato, cogitat Ti. Minucium Augurinum, cs. a. 449., qui in magistratu occisus est, in pugna contra Samnites [3].

Horatius ad Maecenatem Libr. I. Epist. 19. v. 8. sq.:

Forum putealque Libonis
Mandabo siccis, adimam cantare severis,

ubi annotat Porphyrion: «*Puteal Libonis sedes praetoris fuit, prope arcum Fabianum, dictum quod a Libone illic primum tribunal et subsellia collocata sint.*» De puteali Libonis primus Salmasius [4], nuper Weichertus doctissime egerunt [5]. Exstructum fuisse videtur a L. Scribonio Libone, qui practor fuit a. 550., diversum ab altero puteali, coti Attii Navii defossae imposito [6], quocum saepius confusum fuit. Ad puteal Libonis convenisse videntur fencratores; putealis enim

---

[1] Livius Libr. IX. c. 29., Diodorus Siculus Libr. XX. c. 36.

[2] Libr. I. Sat. 5. v. 6., Epod. IV. v. 14., Libr. I. Epist. 6. v. 26.

[3] Livius Libr. IX. c. 44.

[4] Ad Solinum p. 801.

[5] Lect. Venus. Ed. sec. p. 85.

[6] Cicero de Divinat. Libr. I. c. 17., Dionysius Halic. Antiq. Rom. Libr. III. c. 71.

in re feneratoria frequens mentio [1]. Ita quoque Scholiastes ad Persii Sat. IV. v. 49.: «*Foeneratores ad puteal Scribonii Libonis* [2], *quod est in porticu Iulia ad Fabianum arcum, consistere solebant.*» Quare perperam Porphyrion de sede praetoris cogitavit. Ad Libr. II. Sat. 6. v. 35., ubi eiusdem putealis fit mentio, Acron: «*Locus Romae, ad quem conveniebant foeneratores. Alii dicunt, in quo tribunal solebat esse praetoris,*» cuius scholii Torrentius posteriorem sententiam merito reiecit. Significatur itaque ab Horatio, uti egregie probavit Weichertus, duplex negotiorum genus, alterum feneratorium, alterum iudiciale.

Pons Fabricius, ex quo Damasippus ille [3], male re gesta, in Tiberim se praecipitem dare voluerat, exstructus est a. L. Fabricio, qui curator viarum fuit a. 692. Perperam Scholiastae, Acron et Cruquianus, Fabricium consulem fuisse statuunt. Perperam quoque, ex fide veteris inscriptionis, quam retulit Torrentius aliique, a. 733. conditum fuisse, creditum est [4]. Iungebat autem sinistram Tiberis ripam cum insula Tiberina. Scholiastae Cruquiani tempore *Lapideus* pons vocabatur.

---

[1] Cicero pro Sestio c. 8., Ovidius Rem. Amor. v. 561. sq.

[2] Vid. Otto Iahnius in Persii Edit. p. 318.

[3] Libr. II. Sat. 3. v. 36. De Damasippo vid. supra p. 161. sqq.

[4] Vid. Orellius in Excursu ad l. l.

CAPUT SEPTIMUM.

ARTIFICES.

Artifices paucos quidem, sed eos primarios suo quemque in genere, celebravit Horatius: Scopam et Lysippum sculptores, Evandrum caelatorem, pictores Parrhasium et Apellem. Fulvius vero, Rutuba et Placidcianus ab Interpretibus nonnullis inter pictores collocati, locum suum habebunt inter gladiatores. De Bupalo sculptore ciusque fato supra iam vidimus, cum de Hipponacte poëta ageremus [1].

PARRHASIUM pictorem et SCOPAM sculptorem coniungit Horatius in Carmine ad Censorinum [2]:

> Donarem pateras grataque commodus,
> Censorine, meis aera sodalibus:
> Donarem tripodas, praemia fortium
> Graiorum: neque tu pessima munerum
> Ferres, divite me scilicet artium,
> Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas;
> Hic saxo, liquidis ille coloribus
> Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum.
> Sed non haec mihi vis. cet.

[1] Pag. 20. sqq.

[2] Libr. IV. Carm. 8. v. 1. sqq.

Utrum aequales fuerint Parrhasius et Scopas, quaestio saepius agitata est [1], quae vero minus ad nostrum propositum pertinet, neque enim aetatis sed artis praestantiae ratione componuntur. Uterque apud veteres summis laudibus effertur [2]. Parrhasium Acron et Scholiastes Cruquianus Atheniensem fuisse dicunt et ita quoque Seneca in Controversiis [3]. Plinius contra aliique [4] Ephesium faciunt. Fortasse ab altero populo civitate donatus, natus vero in altero fuit. Ita quoque variatur in patria Apellis pictoris, quem alii Ephesium [5], alii Coum faciunt [6], quum Suidas tradit illum genere Colophonium fuisse, sed civitatis iura accepisse ab Ephesiis.

Pausias commemoratur Libr. II. Sat. 7. v. 95. sqq., ubi ita Davus domino suo Horatio:

> cum Pansiaca torpes, insane, tabella,
> Qui peccas minus atque ego, cum Fulvi Rutubaeque
> Aut Placideiani contento poplite miror
> Praelia, rubrica picta aut carbone, velut si
> Re vera pugnent, feriant, vitentque moventes
> Arma viri? nequam et cessator Davus: at Ipse
> Subtilis veterum iudex, et callidus audis.

---

[1] Pugnant enim inter se loci Plinii Nat. Hist. Libr. XXXVI. c. 5. Sect. 4. § 18. et 19., (cl. Libr. XXXV. c. 9. Sect. 36. § 1.) et Libr. XXXIV. c. 8. Sect. 19. § 1. Winckelmannus, Fea et Silligius, duos sculptores nomine Scopae fuisse statuunt.

[2] Cicero Tuscul. Quaest. Libr. 1. c. 2., de Divinat. Libr. I. c. 13., Propertius Libr. III. Eleg. 7. v. 11. sq., Martialis Libr. IV. Epig. 30., Iuvenalis Sat. VIII. v. 102.

[3] Libr. V. Controv. 34. p. 312.

[4] Nat. Hist. Libr. XXXV. c. 10. Sect. 36. § 7., Strabo Libr. XIV. p. 642., Harpocration in voce, ex Iuba.

[5] Strabo l. l. Lucianus Calumn. non tem. cred. c. 2.

[6] Plinius Nat. Hist. Libr. XXXV. c. 10. Sect. 36. § 17., Ovidius Art. Amat. Libr III. v. 401.

Inprimis parvas tabellas pingebat Pausias, inter quas Stephaneplocos illa celeberrima fuit, cuius exemplar Lucullus duobus talentis emerat. Grandem quoque eius tabulam Scaurus in aedilitate Romam transtulerat, quae Horatii tempore in Pompeii porticibus spectabatur [1].

Apelles et Lysippus quam accepti fuerint Alexandro Magno, Horatius significat in Epistola ad Augustum, Libr. II. 1. v. 239., ubi de Alexandro:

> Edicto vetuit, ne quis se praeter Apellen
> Pingeret, aut alius Lysippo cuderet aera
> Fortis Alexandri vultum simulantia.

Decretum a multis scriptoribus memoratum fuit [2]. Lysippi opera quantum placuerint Romanis, satis ex eo apparet, quod vel Tiberium, cum unum ex illis, ab Agrippa ante suas thermas dicatum, inde transtulisset in cubiculum suum, id reposcere ausus fuerit populus [3]. Alexandri imagines, cum ab Apelle [4], tum a Lysippo [5] confectas, Romae Horatii temporibus spectare licebat.

---

[1] Plinius Nat. Hist. Libr. XXXV. c. 11. Sect. 40. § 2. sqq.

[2] Cicero ad Diversos Libr. V. Epist. 12., Valerius Maximus Libr. VIII. c. 11. Ext. 2., Plinius Nat. Hist. Libr. VII. c. 37. Sect. 38., Plutarchus in Vita Alexandri c. 4., de Fortuna Alex. Orat. II. c. 2. Locus Apulei Florid. Libr. I. 7., ubi pro: *Lysippo*, legitur: *Polycletus*, corruptus est. Vid. Plin. Nat. Hist. Libr. XXXIV. c. 8. Sect. 10. § 1.

[3] Plinius Nat. Hist. Libr. XXXIV. c. 8. Sect. 9. § 13.

[4] Id. Ibid. Libr. XXXV. c. 10. Sect. 36. § 29.

[5] Velleius Libr. I. c. 11., Plinius Nat. Hist. Libr. XXXIV. c. 8. Sect. 19. § 14. et 15., cf. Plutarchus in Vita Alexandri c. 16., Arrianus de Expedit. Alex. Libr. I. c. 17. — Epigr. in Alexandri statuam, Lysippi opus, Posidippi, Brunck. Anal. XIV. T. II. p. 49., Archelai, ibid. p. 58. (Anthol. Palat. Libr. IV. Tit. 8. Epig. 34. et 35.)

Horatius, indignatus quod vel amici parva delicta sibi invicem imputent, neque suis peccatis veniam petentes, rursus reddant, rogat si quis amicus lectum inquinaverit potus,

> mensave catillum
> Evandri manibus tritum deiecit: ob hanc rem,
> Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
> Sustulit esuriens, minus hoc iucundus amicus
> Sit mihi? quid faciam, si furtum fecerit, aut si
> Prodiderit commissa fide, sponsumve negarit [1]?

Evandri catillum, quem amicus incautus deiecisse fingitur, magni pretii fuisse apparet. Quaeritur autem fueritne Evandri regis, itaque antiquitate pretiosus, an vero Evandri statuarii opus, arte conspicuum. Haec Scholiastarum sententia est; ita annotat Acron: «*Evandrum ferunt caelatorem ac plasten Atheniensem a M. Antonio Alexandream perductum, et inde inter captivos Romam venisse ibique multa admiratione digna fecisse,*» quod scholion postea descripserunt Porphyrion, ut supra vidimus [2], et Scholiastes Cruquianus. Contra de rege Evandro cogitarunt Interpretes, Lambinus, Torrentius, Dacerius multique alii. Erant enim Romae id temporis, ut semper ubique, qui gauderent vetustis poculis, scyphis, crateribus, verbo, omnibus veteris aevi reliquiis, qualem Euctum suum descripsit Martialis [3] gloriantem poculo Laomedontis, Priami cyatho, scypho Achillis. Evander autem ad antiquissimos Italiae reges pertinebat, cuius aetas adeo

---

[1] Libr. I. Sat. 3. v. 90. sqq.

[2] Pag. 1.

[3] Libr. VIII. Epig. 6., cf. Libr. VII. Epig. 19.

in proverbium abivit [1]. Itaque catillus, qui huius regis fuerat, summo pretio fuerat habendus. Cum vero catillus Evandri ab Horatio inter coenae supellictilia numeretur, neque verisimile sit, catillos ob antiquitatem pretiosos in ea fuisse adhibitos, rectius, ni fallor, cogitamus de catillo, quod Evandri, caelatoris praeclari, opus fuit [2]. *Tritus* pro *tornatus*, idque pro *caelatus* dicitur [3], quemadmodum Graece quoque τορεύειν, *caelare*, et τορνεύειν, *tornare*, inter se permutantur. Ita *tornus* pro *caelo* apud Virgilium [4]:

Lenta quibus torno facili superaddita vitis.

Perperam Bentleius hoc loco *tortum* pro *tritum* legendum esse censuit. Evandri enim non erat tornare catillos, quod opus est fabrile, sed caelare, quod artificis est. Ceterum, quod Buttmannus [5] et Iahnius [6] negarint, de Evandro caelatore esse cogitandum, quippe qui eo tempore nondum Romam venisset, non intelligo, cur eius opera Romam advecta non fuerint ante ipsius adventum. Evander autem sculptor pleno nomine dicebatur C. Avianius Evander. Memmio commendatus fuit a Cicerone [7]. Idem esse videtur, cuius mentionem facit Plinius Nat. Hist. Libr. XXXVI.

---

[1] Gellius Libr. I. c. 10. Ammianus Marc. Libr. XXX. c. 4.

[2] Ita quoque Iunius de Pictura Veterum et Silligius in Catalogo Artificum.

[3] Vid. Salmasius ad Solinum p. 289. et ad Aelii Lampridii Vit. Alex. Sev. c. 24.

[4] Ecl. III. v. 38.

[5] *Mythologus* T. I. p. 327. sq.

[6] In Edit. Horat. sec. p. 253.

[7] Ad Diversos Libr. XIII. Epist. 2.

c. 5. Sect. 4. § 20.: «Timothei manu Diana Romae est in Palatio, Apollinis delubro, cui signo caput reposuit Aulanius Evander,» ubi *Avianius* scribendum esse recte observavit Orellius [1].

[1] In Onomastico Tulliano in voce.

CAPUT OCTAVUM.

PATER, PRAECEPTORES ET FAMILIARES HORATII.

§ 1.

Memini, me puerum in schola legere Horatii Libri I. Satiram 6., in qua omnia se patri debere candide grateque fatetur, quem, quamvis libertinum hominem, tamen, si posset cursum vitae redintegrare suae, parentesque sibi vel ex nobilissimis ditissimisque eligere, omnibus erat praelaturus [1]. Ab hoc inde tempore Horatium amare coepi, eumque poëtae amorem auxit subsequens assidua Carminum lectio. Debuit sane multum patri suo, si quis umquam, Horatius, quem talem nobis depinxit, ut Horatio filio dignissimum fuisse sit iudicandum, atque dubium esse videatur, utrum filio magis de patre, an patri de filio fuerit gratulandum. Ex pectore deprompsit, quae ad Maecenatem de patre suo scribit Horatius l. l. v. 69. sqq.:

> Si neque avaritiam, neque sordis, aut mala lustra
> Obiiciet vere quisquam mihi; purus et insons,
> (Ut me collaudem,) si et vivo carus amicis;
> Causa fuit pater his; qui macro pauper agello

[1] Libr. I. Sat. 6. v. 93. sqq.

Nuluit in Flavi ludum me mittere; magni
Quo pueri magnis e centurionibus orti,
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,
Ibant octonis referentes Idibus aera:
Sed puerum est ausus Romam portare [1], docendum
Artis, quas doceat quivis eques atque senator
Semet prognatos. vestem servosque sequentis,
In magno ut populo, si qui vidisset, avita
Ex re praeberi sumtus mihi crederet illos.
Ipse mihi custos incorruptissimus omnis
Circum doctores aderat. quid multa? pudicum
(Qui primus virtutis honos) servavit ab omni
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi;
Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret olim,
Si praeco parvas, aut (ut fuit ipse) coactor
Mercedes sequerer; neque ego essem questus. Ad haec nunc
Laus illi debetur, et a me gratia maior.
Nil me poeniteat sanum patris huius.

Neque postea bonum Horatium poenituit. Ita Libr. I. Epist. 20. v. 20 sq.:

Me libertino natum patre, et in tenui re,
Maiores pennas nido extendisse loqueris,

ita quoque Libr. II. Carm. 20. v. 5. sq.:

ego, pauperum
Sanguis parentum,

quae longo tempore post Libri I. Satiram 6. scripta esse constat. Auctor Vitae Horatii, Suetonio fere tributae, haec tradidit de Horatii patre: «— Horatius — patre, — libertino et exactionum coactore, ut vero creditum est, salsamentario, cum illi quidam in altercatione exprobrasset: «Quoties ego vidi patrem tuum brachio se emungentem.»» Pro: *exactionum*,

[1] Egregia haec pictura patris, parvum filium suis brachiis portantis, non ducentis, aut servo ad portandum tradentis.

Gesnerus novo vocabulo legere voluit: *exauctionum*, putans finitam et peractam auctionem aeque *exauctionem* dici posse, atque perfectam aedificationem *exaedificationem*. Exactores quidem in auctionibus rerum venditarum pretium ab emtoribus cogebant [1], erant tamen alii quoque, publicanorum ministri, qui vectigalia exigebant. Vectigalium exactionum coactores rem satis amplam congerere poterant, siquidem in decimis exigendis, centesimam sortis sibi ipsi cogebant [2]. Pater autem Horatii, seu in provinciis, publicanorum minister, tributa exigendo, seu Romae venditoribus pretium ab emtoribus cogendo, questum fecerit, Venusiam concessit, ibique sibi agellum comparavit, qui vero post eius mortem, incertum autem est quando obierit, non pervenit ad filium, quandoquidem Venusia quoque fuit inter octodecim oppida illa, quorum agri a triumviris bello Philippensi, militibus destinati fuerunt [3]. Itaque Horatius Libr. II. Epist. 2. v. 49.:

> me dimisere Philippi
> Decisis humilem pennis, inopemque paterni
> Et laris et fundi.

Quae sequuntur in Horatii Vita: «ut vero creditum est, salsamentario cet.,» ea ab inepto quodam librario adiecta fuerunt. Horatius enim quovis melius patris sui vitae genus nosse debuit. Scomma autem erat in salsamentarios iactari solitum, quod cubito se, pro manu, emungerent [4].

---

[1] Cicero pro Cluentio c. 64.

[2] Id. pro Rabirio c. 11.

[3] Appianus de Bello Civili Libr. IV. c. 3.

[4] Auctor ad Herennium Libr. IV. c. 54., Plutarchus Conviv. Disp.

Pater autem ille egregius noluit filium in Flavii cuiusdam ludimagistri oppidi Venusiae, ceteroquin ignoti, mittere, ubi leviter primis disciplinarum elementis imbueretur, quamvis eo filios suos mitterent magni centuriones. Magni, ipsi sibi scilicet, prae civibus, prae libertino praesertim isto, Horatii patre, magni; ut Menas, magnus eques, prae plebecula, in primis sedilibus sedebat [1]. Centuriones quantum literas fastidire solerent, Persius ostendit Sat. V. v. 189. sqq.:

> Dixeris haec inter varicosos centuriones;
> Continuo crassum ridet Vulfenius ingens
> Et centum Graecos curto centusse licetur.

Sed Horatii pater Romae puerum instituendum curavit artibus,

> quas doceat quivis eques atque senator
> Semet prognatos,

dedit illi vestem servosque sequentes, paedagogos nempe capsariosque [2], quum contra magnorum illorum centurionum pueri, Venusiae, in scholam euntes ipsi loculos tabulamque suam gestarent. Loculi, hic

---

Libr. II. Quaest. 1. c. 4., Macrobius Saturn. Libr. VII. c. 3. Idem de patre suo praedicabat Bion Borysthenites, vid. Diogenes Laërtius Libr. IV. § 46. Scommatis ratiouem, sed perperam, reddidit Eustathius, ad Homeri Iliad. Libr. VIII. v. 457., salsamentarios ita facere fuisse solitos: «διὰ τὸ μὴ ἔχειν δηλαδὴ τοῦτο ποιεῖν τῇ χειρὶ ἀσχολουμένῃ περὶ ἁλίσπαρτα,» neque enim ceteri homiues, quamvis manibus quoque occupatis, ita facere solebaut. Sed salsamentarii cubito se, pro manu, emungebant, quia haec, multo sale infecta, tenuem uarium cutem fuerat corrosura.

[1] Epod. IV. v. 15. sq.

[2] Suetonius in Vita Neronis c. 36.

capsae sunt seu thecae calamariae vel graphiariae [1]; tabula, ut recte Acron, buxum, in quo scribere meditabantur. Cum hoc apparatu servi illi sequentes puerum comitabantur in scholam. Tales in puerum sumtus fecit ille, macro pauper agello, cui Venusiae asses octoni in annum ad puerum instituendum suffecissent. Dicit: *aera*, vs. 76., pro: *assibus* Horatius, et ita Gaius Instit. Libr. I. c. 6. § 3.: «Is, qui mancipio accipit, *aes* tenens ita dicit,» pro: *assem* cet. [2]. Assis quoque Romae, Iuvenalis certe temporibus, sed in infimis scholis, merces erat institutionis, non sane in iis, ubi equitum senatorumque filii erudiebantur, vid. Sat. X. v. 114. sqq.:

> Eloquium ac famam Demosthenis aut Ciceronis
> Incipit optare et totis Quinquatribus optat,
> Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam.

Assem autem octonis idibus referebant, id est, octies unoquoque anno, Iduum die, assem magistro pueri Venusini solvebant, quia feriae quadrimestres erant apud Romanos [3].

Puerorum illorum cum tabulis suis loculisque imaginem Horatio in mentem revocabant senes illi Romae, cum tabulis suis expensarum, loculisque nummorum plenis, ad Ianum quotidie convenientes:

> Virtus post nummos: haec Ianus summus ab imo
> Prodocet; haec recinunt invenes dictata senesque,
> Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto [4].

---

[1] Id. in Vita Claudii c. 35.

[2] In Comm. Libr. I. § 119. ex Cod. Veron.: «*rem* tenens ita dicit.»

[3] Martialis Libr. X. Epigr. 62.

[4] Libr. I. Epist. 1. v. 54. sqq.

Quod Ianus prodoceat, quod iuvenes senesque dictata recinant, ea quoque prorsus ad similitudinem puerorum saevi dictata magistri memoriter reddentium in scholis, conficta sunt.

Est haec egregia utriusque loci, Libr. I. Sat. 6. v. 74.—76. et Libr. I. Epist. 1. v. 53.—55., antea nemini recte intellecti, interpretatio, quam debemus Viro Cl. C. F. Hermanno in *Programmate*, edito Marburgi, a. 1838. [1].

Ex praeceptoribus suis unum commemoravit Horatius, Orbilium, nobilem Grammaticum, de quo Libr. II. Epist. 1. v. 69. sqq.:

> Non equidem insector delendave carmina Livi
> Esse reor, memini quae plagosum mihi parvo
> Orbilium dictare:

ut Horatius Orbilium plagosum vocat, ita Domitius Marsus de eo:

> Si quos Orbilius ferula scuticaque cecidit,

erat enim naturae acerbae cum in discipulos, tum quoque in antisophistas, testo Suetonio, qui nobis eius Vitam reliquit [2]. Iam grandis natu fuit, cum Horatius in eius disciplinam traditus est, Cicerone enim consule a. 691., cum Romam transiit, annum agebat quinquagesimum. Mortuus est anno demum centesimo prope. Pauper vixerat, post mortem vero statua marmorea honoratus fuit.

---

[1] Diverse tamen V. Cl. interpretatur illud: *magnis e centurionibus orti*. Vid. p. 18. sqq. Dissentit Orellius a Madvigio, *aera* apud Horatium non singulos asses in mensem, sed minervai quantumvis significare putans. Vid. eius Edit. Horat. Praef. T. II. p. VIII.

[2] De Illustr. Grammaticis c. 9. De Orbilio cf. quoque Obbarius in Iahnii *Jahrb. Bd.* IX. p. 364. sqq.

§ 2.

Pergamus ad ceteros, qui necessitudine quadam cum Horatio coniuncti fuere, vicinos, servos, assentatores; qui vero eius familiaribus adscribi non possunt.

Inducit Horatius CERVIUM, vicinum suum in Sabinis, secum coenantem, convivis fabulas narrantem, Libr. II. Sat. 6. v. 77, sqq.:

> Cervius haec inter vicinus garrit aniles
> Ex re fabellas. si quis nam laudat Arelli
> Sollicitas ignarus opes; sic incipit: Olim
> Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
> Accepisse cavo, cet.

ARELLIUS quis fuerit, non constat. Videtur in vicinia habitasse, suas autem divitias malis artibus contraxisse. Cervius erat fortasse unus ex illis quinque patribus, qui Horatii praedium habitabant, ut ipse significat in Epistola ad villicum suum, Libr. I. 14. v. 1. sqq.:

> Villice silvarum et mihi me reddentis agelli,
> Quem tu fastidis habitatum quinque focis, et
> Quinque bonos solitum Variam dimittere Patres.

Erat Varia vicus in Sabinis, hodie *Varo*, non procul ab eo loco, ubi Digentia, ad quem iacebat Horatii villa, in Anienem influit. Patres autem illi coloni erant, quibus Horatius certa pensione, seu nummorum, seu fructuum partis, fundum collocasse videtur. Iisdem Dacerius satis probabiliter adscripsit VINIUM, cui Horatius sua Carmina tradidit, ut ad Augustum perferret, Libr. I. Epist. 13. v. 1.:

> Ut proficiscentem docui te saepe diuque,
> Augusto reddes signata volumina, Vini;

Si validus, si laetus erit, si denique poscet.
Ne studio nostri pecces, odiumque libellis
Sedulus importes, opera vebemente minister.
Si te forte meae gravis uret sarcina chartae,
Abiicito potius, quam quo perferre iuberis
Clitellas ferus impingas, Asinaeque paternum
Cognomen vertas in risum, et fabula fias.

Vinni, idem Dacerius cum Scholiastis legere volebat, negans, gentem *Viniam* adhuc fuisse Augusti aetate; magno errore, fuit enim T. Vinius, a triumviris proscriptus [1], fuit postea quoque T. Vinius consul a. 822 [2]. Hic ex praetoria familia ortus erat, teste Tacito Hist. Libr. I. c. 48. Utrum ad hanc praetoriam familiam pertinuerit Vinius Horatii, non liquet, certe ingenuus, paternum enim ei cognomen erat. Ab Acrone *Caninius* [l. *Caius*] *Vinnius Fronto* vocatur et ita quoque a Scholiasta Cruquiano; unde vero nomen illud rescierint, prorsus incertum est. Porphyrion eundem vocat *Vinnium Asellam*, quod cognomen Horatius, cum sibi ita videretur, in *Asinam* mutare potuit. *Asinae* autem cognomen erat gentis Corneliae [3], *Asellionis* Semproniorum, Claudiorum *Aselli*, ut iam Torrentius annotavit.

Ad Villicum quoque suum, ut modo vidimus, Epistolam scripsit Horatius, sive potius se scripsisse

---

[1] Suetonius in Vita Octavii c. 27., Appianus de Bello Civili Libr. IV. c. 44., quibus in locis Casaubonus, ad Suetonii locum allatum, pro *Iunio*, *Vinium* legendum esse docuit ex Dione Libr. XLVII. c. 7.

[2] Suetonius in Vita Galbae c. 14., in Vita Vitellii c. 7., Tacitus Hist. Libr. I. c. 11. et 48., Plutarchus in Vita Galbae passim.

[3] Macrobius Saturn. Libr. I. c. 6. De Vinio Asella cf. Weichertus in Lect. Venus. libello p. 78. sqq.

finxit, Libr. I. 14. Inconstantiam ei exprobat vs. 14. sqq.:

> Tu mediastinus tacita prece rura petebas:
> Nunc urbem et ludos et balnea villicus optas.
> Me constare mihi scis; et discedere tristem
> Quandocumque trahunt invisa negotia Romam.
> Non eadem miramur: eo discouvenit inter
> Meque et te. nam quae deserta et inhospita tesqua
> Credis; amoena vocat mecum qui sentit; et odit,
> Quae tu pulchra putas. fornix tibi et uncta popina
> Incutiunt Urbis desiderium, video; et quod
> Angulus iste feret piper et tus ocius uva;
> Nec vicina subest vinum praebere taberna
> Quae possit tibi; nec meretrix tibicina, cuius
> Ad strepitum salias terrae gravis.

Egregia villici pictura, cui nihil de nostro addi potest; Horatius autem, ut festive Orellius observat, in villico instituendo, immemor fuerat praecepti Columellae Libr. I. c. 8. § 1. et 2.: «Praemoneo, ne villicum ex eo genere servorum, qui corpore placuerunt, instituamus; ne ex eo quidem ordine, qui urbanas ac delicatas artes exercuerit. Socors et somniculosum genus id mancipiorum, otiis, campis, circo, theatris, aleae, popinae, lupanaribus consuetum, nunquam non easdem ineptias somniat.» Fuerat ille mediastinus in familia urbana, erant autem inter rusticos quoque servos mediastini, ut idem Columella testatur Libr. I. c. 9. § 3. et 6. et Libr. II. c. 13. § 7. Mediastinorum enim nullum certum ministerii genus fuisse videtur neque honestissimum servitutis locum occupabant [1].

Octo servi in Horatii familia rustica erant, uti no-

[1] Nonius de hon. et nove Vet. dictis in voce *Mediastrinus*.

vimus ex verbis ipsius ad DAVUM, servum urbanum, qui libertate Decembri abusus fuerat ad dominum perstringendum, donec ille impatiens [1]:

> Unde mihi lapidem? - Quorsum est opus? - Unde sagittas? -
> Aut insanit homo, aut versus facit. — Ocius hinc te
> Ni rapis, accedes opera nona agro Sabino.

quem sermonem nunquam habitum fuisse, confictum vero a poëta, non opus esse credo, ut moneam. Davus ipse sese ad vivum depingit vs. 2. sqq.:

> Davus, amicum
> Mancipium domino, et frugi: quod sit satis, hoc est,
> Ut vitale putes.

non tale suum ipsius ingenium, modeste, praedicans, ut, quod solent magna atque praeclara ingenia, morte immatura auferretur.

Habuit parasitos quoque suos Horatius. Quid mirum? Pascebat Diogenes mures [2]. Collocandos autem illos censemus infra servos, infra Davum praesertim, philosophum, suo more, agentem. Itaque dum domini vitia insectatur, MULVIUM quoque ceterosque eius assentatores, sed parcius, perstringit l. l. vs. 32. sqq.:

> Iusserit ad se
> Maecenas serum sub lumina prima venire
> Convivam; Nemon' olenm fert ocius? ecquis
> Audit? cum magno blatcras clamore, furisque.
> Mulvius et scurrae, tibi non referenda precati,
> Discedunt. etenim fatcor me, dixerit ille,
> Duci ventre levem: nasum nidore supinor:
> Imbecillus, iners, si quid vis, adde popino.
> Tu, cum sis quod ego, et fortassis nequior, ultro
> Insectere, velut melior? verbisque decoris
> Obvolvas vitium? —

[1] Libr. II. Sat. 7. v. 116. sqq.

[2] Diogenes Laërtius Libr. VI. § 40.

Parasitorum autem et scurrarum ingenia moresque egregie ipse Horatius, pluribus in locis, depinxit, ut infra videbimus.

Inter Horatii assentatores referendus quoque est quidam, ille, cuius nomen tacuit, in Libr. I. Sat. 9. v. 1. sqq.:

> Ibam forte via Sacra [1], sicut meus est mos,
> Nescio quid meditans nugarum, totus in illis.
> Accurrit quidam notus mihi nomine tantum;
> Arreptaque manu, Quid agis, dulcissime rerum?
> Suaviter, ut nunc est, inquam; et cupio omnia quae vis.
> Cum adsectaretur; Numquid vis? occupo: at ille,
> Noris nos, inquit, docti sumus. Hic ego, Pluris
> Hoc, inquam, mihi eris. Misere discedere quaerens,
> Ire modo ocius, interdum consistere, in aurem
> Dicere nescio quid puero. cum sudor ad imos
> Manaret talos; O te, Bolane, cerebri
> Felicem, aiebam tacitus.

totam vero imprudens Satiram, dum summam poëtae artem satis nequeo mirari, descripturus eram. Egregie illam illustravit Wielandus, qui quoque nebulonis illius ingenium obtusum et summam nequitiam callidissime exposuit. Vulpius, in sua Propertii Editione, quam non vidi, Propertium ab Horatio irrisum fuisse censuit. Doct. Heusdius [2] nuper, Demetrium illum, de quo Libr. I. Sat. 10. v. 90., ubi componitur cum Tigellio Hermagene, haud diversum, secundum Scholiastas a simio illo, de quo est in vs. 18. Bolanus, quem obiter Horatius perstringit, ignotus est. Recte, procul dubio, Scholiastes Cruquianus: «(*Bolanus*) ὀξύχολος *nullius ineptias ferebat, sed statim, vel in fa-*

[1] De hoc loco, deque illu importuno cf. supra p. 400.

[2] I. A. C. van Heusde in Symbol. literar. VI. p. 88.

ciem, quemvis reprehendebat, vel, de eo, quid sentiret, non dissimulabat,» quae tamen ex ipso Horatii loco petita esse, nemo non videt. Bolanum prorsus ignoramus, neque enim esse potest M. Bolanus, quem Cicero, ut virum bonum et fortem, omnibusque rebus ornatum, suum veterem amicum, commendat P. Sulpicio, Libr. XIII. Epist. 77., scripta a. 709. Eichstaedtius, quod miror, comprobavit sententiam Roederi [1], qui putat fictum esse Bolani nomen a Graeco βάλλειν seu BOΛEIN. Est enim nomen formae usitatae apud Romanos, derivatum a nomine oppidi *Bolae*, in Aequis, ut *Cumanus* a *Cumis*, *Nomentanus* a *Nomento*, *Firmanus* a *Firmo*, *Fundanus* a *Fundis*, multaque alia. Praeter Bolanum Ciceronis, notus quoque est Vectius Bolanus, Britanniae praefectus [2].

Importuno illi interpellatori, de quo modo vidimus, subiungemus Roscium, quem Horatius inducit Libr. II. Sat. 6. v. 32. sqq.:

> simul atras
> Ventum est Esquilias, aliena negotia centum
> Per caput et circa saliunt latus. — Ante secundam
> Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras.

Roscius, cui legitimum suum locum tribuere non possum, quisquis fuit, Horatium, ut sponsor pro se proximo die, apud argentarium adesset, rogabat. Ita Naevius apud Ciceronem, pro Quintio c. 6., «suos necessarios — corrogat, ut ad tabulam Sextiam sibi

---

[1] Paradoxon Horat. II. p. 7. Roederi Enarrationem Criticam de Horatii Libr. I. Sat. 9., quam laudat Eichstaedtius, non vidi.

[2] Tacitus Annal. Libr. XV. c. 3., Hist. Libr. II. c. 65. et 97., in Vita Agricolae c. 16., Statius Sylv. Libr. V. Carm. 2. v. 41. sqq.

adsint hora secunda postridie [1].» Ad puteal conveniebant foeneratores, itaque Horatius Libr. I. Epist. 19. v. 8. sq.:

Forum putealque Libonis
Mandabo siccis,

res forenses et argentarias sobriis unice relinquendas esse censens.

§ 3.

Antequam aggrediar recensionem familiarium Horatii, amabilissimi coetus sanctissimorum virorum, pauca quaedam ex eius carminibus colligere iuvat, quae, qualis eius de amicitia sensus fuerit, maxime illustrare possint. Ut enim Horatius omnino haud alienus fuisse videtur ab Epicureorum doctrina, certe, uti iam supra significavimus, in amicitiis contrahendis et tuendis fuit sententia ab iis prorsus aliena. Felix profecto, cui talis amicus contingat, qui vere profiteatur [2]:

Nil ego contulerim iocundo sanus amico,

cuius talis sit indulgentia in amicos [3]:

amatorem quod amicae
Turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec
Delectant; veluti Balbinum polypus Hagnae.
Vellem in amicitia sic erraremus et isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
At, pater ut gnati, sic nos debemus, amici
Si quod sit vitium, non fastidire. strabonem
Appellat Paetum pater; et Pullum, male parvus

[1] Cf. pro Caecina c. 6.
[2] Libr. I. Sat. 5. v. 44.
[3] Libr. I. Sat. 3. v. 38 sqq.

Si cui filius est, ut abortivus fuit olim
Sisyphus; huuc Varum, distortis cruribus; illum
Balbutit Scaurum, pravis fultum male talis.
Parcius hic vivit: frugi dicatur. ineptus
Et iactantior hic paullo est: concinnus amicis
Postulat ut videatur. at est truculentior atque
Plus aequo liber: simplex fortisque habeatur.
Caldior est: acris inter numerethr. opinor,
Haec res et iungit, iunctos et servat amicos.

indignatio vero in eos, qui amicitiam praesentes simulant [1]:

absentem qui rodit amicum;
Qui non defendit, alio culpante; solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis;
Fingere qui non visa potest; commissa tacere
Qui nequit; hic niger est: hunc tu, Romane, caveto.

qui, quum multa patri deberet, tum hoc inprimis ei acceptum referebat [2]:

si et vivo carus amicis;
Causa fuit pater his;

cui vel perpetuo curae erat, qua ratione maxime placeret amicis [3]:

neque enim, cum lectulus aut me
Porticus excepit, desum mihi: Rectius hoc est:
Hoc faciens vivam melius: sic dulcis amicis
Occurram.

Iam, quid dicam eius consolationes amicorum moe-

---

[1] Libr. I. Sat. 4. v. 81. sqq.
[2] Libr. I. Sat. 6. v. 70. sq.
[3] Libr. I. Sat. 4. v. 133. sqq.

rentium et afflictorum, Virgilii [1], Valgii [2], Lamiae [3]? quid sollicitudinem et tristitiam in profectione Virgilii [4], Variique [5]? effusum gaudium in reditu Plotii Numidae [6] et Pompeii Vari [7]? tot cohortationes et admonitiones amicorum, pro sua cuiusque indole, ingenio moribusque? Sunt profecto haec egregia documenta, quali Horatius animo fuerit erga amicos. Quae si quis minus capiat, maligneve detrectet, sit illi pro poena, ut ne umquam in mutua amici caritate et benevolentia conquiescat.

§ 4.

In recensendo Horatii familiares initium ducturi sumus a nobilissimo illo loco, Libr. I. Sat. 10. v. 81. sqq., ubi se comprobatione amicorum consolaturum esse dicit de obtrectatorum calumniis:

> Plotius, et Varius, Maecenas, Virgiliusque,
> Valgius, et probet haec Octavius, optimus atque
> Fuscus; et haec utinam Viscorum laudet uterque:
> Ambitione relegata, te dicere possum,
> Pollio; te Messalla, tuo cum fratre; simulque
> Vos, Bibule et Servi; simul his te, candide Furni;
> Compluris alios, doctos ego quos et amicos
> Prudens praetereo: quibus haec, sunt qualiacumque,
> Adridere velim; doliturus, si placeant spe
> Deterius nostra.

Prima Plotii, Varii Virgiliique mentio fit in descrip-

[1] Libr. I. Carm. 24.
[2] Libr. II. Carm. 9.
[3] Libr. I. Epist. 14. v. 6. sqq.
[4] Libr. I. Carm. 3.
[5] Libr. I. Sat. 5. v. 33.
[6] Libr. I. Carm. 36.
[7] Libr. II. Carm. 8.

tione itineris Brundisini, quod una cum Horatio, in comitatu Maecenatis susceperunt a. 717. [1], Libr. I. Sat. 5. v. 40. sqq.:

> Plotius et Varius Sinuessae Virgiliusque
> Occurrunt, animae, qualis neque candidiores
> Terra tulit, neque quis me sit devinctior alter.
> O qui complexus, et gaudia quanta fuerunt!
> Nil ego contulerim iucundo sanus amico.

Pauca de PLOTIO nota sunt. TUCCA ei cognomen fuit. Est scholion inter glossas Pithoeanas ad Persii Sat. II. v. 42.: « *Tuceta apud Gallos Cisalpinos bubula dicitur caro, condimentis quibusdam crassis oblita ac macerata: et ideo toto anno durat. — Hinc Plotius, Virgilii amicus, in eadem regione est nominatus Tuceta* (l. *Tucca.*)» Vox autem *Tucca* a *Tucetum* derivari nequit, uti recte observavit Vossius [2]. Itaque melius in scholio, quod Scaliger [3] edidit, *Tucetum* derivatur a *Tucca*: « *M. Plotius Tucca Cisalpinus dictus, quod bubula condimentis quibusdam crassis oblita et macerata, quae a Cisalpinis et popularibus ipsius Tuccae vocabatur* (*unde*) *Tucetum.*» Plotium e Gallia Cisalpina oriundum fuisse, verisimile reddit cognomen gentilis eius L. Plotii Galli, qui primus Romae Rhetoricam docuit [4]. Quantopere Virgilius Plotium et Varium

---

[1] Vid. supra p. 327. sqq.

[2] G. I. Vossius Etymol. in voce *Tucetum.*

[3] I. I. Scaliger Animadv. in Chronol. Eusebii p. 171. Ed. Amst. 1658.

[4] Suetonius de illustr. Rhet. c. 2., Hieronymus Chron. Ol. CLXXIII. 1. Idem fortasse atque poëta ille C. Mario iucundus, vid. Cicero pro Archia c. 9. Diversus vero a Plautio, Comoediarum poëta, de quo Gellius Libr. III. c. 3.

dilexerit, docet Donatus in Vita Virgilii c. XV. § 56.: « *Heredes fecit ex dimidia parte Valerium Proculum, fratrem ex alio patre, ex quarta Augustum, ex duodecima Maecenatem, ex reliqua L. Varium et Plotium Tuccam.* » Idem quoque de utriusque opera, ne Virgilius Aeneidem suam ante obitum deleret, c. XIV. § 52.: « *Qui (Virgilius) cum gravari morbo sese sentiret, scrinia saepe et magna instantia petivit, crematurus Aeneida: quibus negatis, testamento comburi iussit, ut rem inemendatam imperfectamque. Verum Tucca et Varius monuerunt, id Augustum non permissurum. Tunc eidem Vario, ac simul Tuccae, scripta sub ea conditione legavit, ne quid adderent, quod a se editum non esset, et versus etiam imperfectos, si qui erant, relinquerent.* » Fidem huius narrationis praestant Plinius [1], Gellius [2] et Macrobius [3], qua vero ratione Plotius et Varius Virgilii versus emendarint, exempla praebent Donatus [4] Serviusque [5].

Varius Virgiliusque saepius ab Horatio componuntur [6]. Maecenati ab iis fuerat commendatus, uti narrat Libr. I. Sat. 6. v. 52. sqq.:

> fellem dicere non hoc
> Me possum, casu quod te sortitus amicum:

---

[1] Nat. Hist. Libr. VII. c. 30. Sect. 31.

[2] Libr. XVII. c. 10.

[3] Saturn. Libr. I. c. 24. Cf. quoque Hieronymus Ol. CXC. 4., Suipicius Carthag. apud Donatum l. l. c. XV. § 57. et Phocas in Epigr. apud Heynium in Edit. Virgilii T. I. p. CLXXXIV. Ed. pr.

[4] L. l. c. XV. § 60.

[5] In Praef. Comm. in Aeneid., ad Libr. II. v. 567. et ad Libr. V. v. ult.

[6] Ita quoque a Martiale Libr. XII. Epigr. 4. et a Saleio Basso in Paneg. ad Pisonem v. 218. sqq.

Nulla etenim tibi me fors obtulit. optimus olim
Virgilius, post hunc Varius, dixere quid essem.

Pervenerat autem Horatius, ut supra vidimus [1], in familiaritatem Maecenatis a. 716. s. 717.; mox iter Brundisinum cum eo suscepit. Comitabantur Maecenatem quoque Virgilius Variusque. Capuae, narrat Horatius, in descriptione itineris, Libr. I. Sat. 5. v. 48.:

Lusum it Maecenas, dormitum ego Virgiliusque:
Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.

Virgilium stomachi cruditate laborasse, testatur quoque Donatus in Vita c. VI. § 19.: «*Fuit — valetudine varia. Nam plerumque ab stomacho, et faucibus, ac dolore capitis laborabat.*» Ut hoc loco vitium corporis, ita, testibus Scholiastis, Virgilii cultum habitumque nimis neglectum tetigit Horatius Libr. I. Sat. 3. v. 30. sqq.:

rideri possit, eo quod
Rusticius tonso toga defluit [2], et male laxus
In pede calceus haeret. at est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam: at tibi amicus: at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore.

Annotat Acron ad vs. 31.: «*male laxus — Hic dicitur pulsare Virgilium, qui indecori et corporis et ha-*

[1] Vid. p. 397.

[2] Est Acronis commentum ad hunc versum: «*Quidam dicunt de Caesare hoc dictum esse, quia fluebat eius semper toga, id est, non erat semper bene composita et imperito tonsore utebatur.*» Cogitabat Acron, sine dubio, de Caesare Augusto, et mirum sane est, Spohnium, apud Iahnium in Horatii Edit. sec. p. 253., scholion retulisse ad C. Iulium Caesarem, qui morosior circa capilli curam erat, vid. Suetonius in Vita c. 45. Augustus contra incuriosus in capite comendo, ut idem ait in Vita c. 79.

bitus fuit,» Cruquianus ibid.: «*De Virgilio hoc dictum esse volunt, quod fluebat semper eius toga, non bene composita, et uteretur imperito tonsore.*» et ad vs. 33.: «*Iterum haec ad Virgilium referuntur, qui habitus erat incompositi,*» quae scholia Weichertus docta disputatione ab omni suspicione vindicavit [1].

Suum comitumque, in itinere Brundisino, amorem in Varium egregie expressit Horatius l. l. vs. 93.: (Canusii)

> Flentibus hic Varius discedit maestus amicis.

Varius inducitur, inter comites Maecenatis, in convivio Nasidieni, cuius picturam, Libr. II. Sat. 8., Fundanius exhibere fingitur. Vs. 20. sq.:

> Summus ego, et prope me Viscus Thurinus, et infra
> (Si memini) Varius.

Prodit iterum vs. 63. sqq.:

> Varius mappa compescere risum
> Vix poterat.

In Libr. I. Sat. 9. v. 22. sq. importunus ille Horatii interpellator Viscum Variumque, ut Horatio amicissimos, nominat:

> Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
> Non Varium facies.

Floruit Varius maxima fama, cum inter aequales, tum apud posteros etiam, pauca tamen de eo nota sunt. Quaecunque pertinent ad eius vitam, res, poëmata, ea omnia diligenter collegit recensuitque

[1] Lect. Venus. Partic. I. Contra iudicavit Cl. Madvigius Opusc. Acad. p. 70.

Weichertus in libro: *de Lucii Varii et Cassii Parmensis Carminibus.* Lucii ei praenomen fuisse constat ex Scholiastis [1]. Rufi cognomen habet in Codice quodam Parisiensi, ut infra videbimus. Natalem eius annum mortisque ignoramus [2]. Carmine epico de Morte Iulii Caesaris [3], Panegyrico Augusti, inprimis vero Thyeste tragoedia [4] inclaruit. Laudat eius epicam poësin Horatius Libr. I. Carm. 6. v. 1. sqq.:

Scriberis Vario fortis et hostium
Victor, Maeonii carminis alite,
Quam res enmque ferox, navibus aut equis,
Miles te duce gesserit.

Nos, Agrippa, neque haec dicere, nec gravem
Pelidae stomachum cedere nescii,
Nec cursum dnplicis per mare Ulixei,
Nec saevam Pelopis domum

Conamur, tenues grandia: cet.

Annotat ad vs. 1. Acron: «*Dicit Agrippae: navales seu terrestres victoriae tuae scribentur a Vario perfecto Oratore,*» Porphyrion: «*Fuit — L. Rarius* (sic) *et ipse carminis, tragoediarum et Eclogarum author, Virgilii contubernalis,*» et Cruquianus: «*Fuit — Varius*

[1] Porphyrion ad Horatii Libr. I. Carm. 6. v. 1. *L. Rarius* (sic), Donatus in Vita Virgilii c. XV. § 56. Apud Macrobium Saturn. Libr. II. c. 4. pro: *Lucius, gravis tragoediarum scriptor,* dudum legitur: *Lucius Varius trag. scr.*

[2] Weichertus Varium aetate multo grandiorem Virgilio Horatioque fuisse censet, aequalem vero Cinnae, amici Catulli, qui mentionem eius facit Carm. X. Vid. supra p. 203.

[3] Cuius fragmenta servavit Macrobius Saturn. Libr. VI. c. 1. et 2.

[4] Quintilianus Instit. Orat. Libr. X. c. 1. § 98., Dial. de Orat. c. 12.

Tragoediographus nobilis, nec non Eclogarum scriptor, Horatii Virgiliique contubernalis.» Unde Acron oratoriam facultatem Vario tribuerit, prorsus incertum. Porphyrion et Cruquianus inter bucolicos poëtas illum referunt, ea de causa fortasse, quod Virgilius Bucolica scribens se Vario et Cinnae inferiorem fateatur, Ecl. IX. v. 35. sq.:

> Nam neque adhuc Vario videor, nec dicere Cinna
> Digna, sed argutos inter strepere anser olores,

ita vero inter Epigrammatum scriptores quoque referetur, propter Martialis locum Libr. VIII. Epig. 56. v. 21.:

> Quid Varios Marsosque loquar.

Horatium l. l. v. 8. ad Varii tragoediam Thyesten respicere, putant Acron et Schol. Cruquianus, idemque Rutgersius [1] censuit. Mira sane res est, Varium hac sua tragoedia, duplici modo, plagii suspicionem incurrisse, cum alii, ut vidimus [2], eam Cassio Parmensi, alii Virgilio tribuerent [3]. Thyestē edita Varius laudem obscuravit epica sibi poësi partam, cuius ante Virgilium principatum tenebat. Ita Horatius Libr. I. Sat. 10. v. 43. sq.:

> forte epos acer
> Ut nemo Varius ducit: molle atque facetum [4]
> Virgilio adnuerunt gaudentes rure Camenae,

---

[1] Lect. Ven. p. 246. Edit. 1699.

[2] Pag. 117. sq.

[3] Donatus in Vita Virgilii c. XX. § 81., Servius ad Ecl. III. v. 20. Cf. Donatus ibid. c. V. § 21. et Pseudo-Servius ad Ecl. VI. v. 3. Fuse hac de re disputavit Weichertus l. l. § 14. et 15.

[4] De hoc loco cf. Quintilianus Instit. Orat. Libr. VI. c. 3. § 20.

ubi haec recte Scholiastae, Acron: « *Virgilio concesserunt Musae Georgica scribere. — Apparet, illo tempore Virgilium adhuc Bucolica et Georgica scripta habuisse,* » eademque fere Porphyrion et Scholiastes Cruquianus. Observandum autem est, quo tempore Horatius illam Satiram composuerit [1], Virgilium nondum absolvisse Georgica sua, quibus non ante a. 724. ultimam manum imposuit [2].

Ex Panegyrico, quem scripsit Varius ad Augustum, sumpta sunt, quae legimus apud Horatium Libr. I. Epist. 16. v. 27. sqq.:

> Teue magis salvum populus velit, an populum tu,
> Servet in ambiguo, qui consulit et tibi et Urbi,
> Iuppiter;

ubi annotant Scholiastae; Acron: « *Haec enim Varus de Augusto scripserat,* » Porphyrion: « *versus — sunt ex notissimo Panegyrico Augusti,* » et Cruquianus: « *— ex Panegyrico Augusti, scripta a Varo,* » quibus in locis iam dudum Rutgersius: *Varium*, pro: *Varo* legendum esse censuit.

Varium Virgilio superstitem fuisse, supra iam vidimus, quando vero ipse supremum diem obierit, prorsus non constat. Interpretes fere statuunt, utrumque mortuum fuisse, cum Horatius scriberet ad Augustum Libr. II. Epist. 1. v. 345. sqq.:

> At neque dedecorant tua de se iudicia, atque
> Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt,
> Dilecti tibi Virgilius Variusque poëtae,

quod tamen, cum in vivis adhuc esset uterque, recte

[1] Vid. supra p. 97. n. 2.

[2] Sequitur hoc ex Libr. IV. v. 559. sqq. Vid. Massonus, Iani Templum — reseratum p. 67.

quoque affirmare potuit. Contraria ratio est loci in Arte Poëtica v. 53. sqq., ubi loquitur Horatius de licentia nova vocabula fingendi:

quid autem
Caecilio Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio Varioque?

ubi uterqne adhuc inter vivos recensetur [1].

Annotat Scholiastes Cruquianus ad locum priorem: «*Quia iam his singulis donaverat Augustus decies Sestertium*,» quod unde rescierit, non constat. Virgilium ditissimnm fuisse ex liberalitatibus amicorum, tradit quoqne Donatus [2]. De Vario antem legitur in illo Codice Bibliothecae Parisiensis, ex qno Quicheratius edidit poëma *de Figuris*: «Lucius Varius cognomento Rufus thyesten tragoed... magna cura absoluto post actiacam victoriam aug.... ludis eius in scaena edidit, pro qna fabula sestertium deciens accepit.»

Donatus [3] narrat, Virgilium a. 735. profectum in Graeciam fuisse, ut ibi manum nltimam Aeneidi imponeret, cum vero Athenis Angusto occurrisset, una cum illo in Italiam fuisse reversum. Quo cum pervenisset, morbo, in qnem in itinere inciderat, diem Brundisii obiit a. d. X. Kal. Oct. Virgilio in Graeciam proficiscenti prosperam navigationem precatus est Horatius Libr. I. Carm. 2.:

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida sidera,

---

[1] Vid. supra p. 292.

[2] In Vita c. VI. § 24.

[3] L. l. c. XIII. § 50. et 51.

Ventorumque regat pater,
Obstrictis aliis praeter Iapyga;
Navis, quae tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animae dimidium meae.

Irrita autem Horatii vota fuerunt, ut modo iam vidimus. Egregiam quoque sui in Virgilium amoris significationem exhibet Horatius Libr. I. Carm. 24., quo illum de morte Quintilii, communis amici, solatus est. Sed de Quintilio supra iam egimus [1].

Diversus a Virgilio poëta, quamquam alii eundem esse statuerint, fuit Virgilius ille, quem ad coenam invitat Horatius Libr. IV. Carm. 12. v. 1. sqq.:

Iam veris comites, quae mare temperant,
Impellunt animae lintea Thraciae:

vs. 13. sqq.:

Adduxere sitim tempora, Virgili:
Sed pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis, iuvenum nobilium cliens,
Nardo vina mereberis.

Iuvenum nobilium cliens, seu intelligas cum Scholiastis Tiberium et Drusum, seu cum Bentleio nobiles iuvenes quoscunque, non recte dictus fuisset Virgilius poëta, Augusti ipsius sodalis.

Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis accubat horreis,
Spes donare novas largus, amaraque
Curarum eluere efficax.

Annotat Acron: «*Sulpicia horrea dicebantur, ubi nunc*

[1] Pag. 201. sqq.

Galbae,» et ita quoque Porphyrion: «*Sulpitii Galbae horrea dicit, hodieque autem Galbae horrea vino et oleo similibusque aliis rebus referta sunt*,» quae sane antiquissimam produnt aetatem. Notaque sunt praeterea *Horrea Galbana* ex inscriptionibus [1].

Quae sequuntur vs. 25. ea quoque prorsus non cadunt in Virgilium poëtam:

> Vernm pone moras et studium lucri;
> Nigrorumque memor dum licet ignium,
> Misce stultitiam consiliis brevem:
> Dulce est desipere in loco,

Virgilii enim liberalitas ex Donato nota est [2]. Ridicule tamen Scholiastae Acron et Cruquianus hunc Virgilium negotiatorem, Landinus myropolam [3] faciunt; rectius fortasse in scholio apud Vanderburgium [4] negotiator et medicus Neronis vocatur, modo illud *negotiator* omittamus; sed totius Carminis rationem bene explicavit Doeringius collato Catulli Carmine XIII., quo Fabullum ea conditione ad coenam

---

[1] In Notitia utrinsque Imperii, in Graevii Thesanro T. VII. p. 1797., prodit Curator Horreorum Galbanorum. Erant haec in Regione XIII. Urbis, vid. P. Victor, in Graevii Thesanro T. III. p. 48. et Curiosum Urbis Romae in Beckeri *Handb. d. Roem. Alterth.* T. I. p. 715. cl. 465. Est inscriptio apud Orellium n. 4092. Horr. Galban; apud Gruterum p. LXXV. n. 2. in qua *Horrea Galbiana* commemorantur. Eadem esse possunt *Galbana* atque *Galbiana*. A nomine *Galbae* enim cum *Galbianus*, tum quoque *Galbanus* deducitur, vid. Tacitus Annal. Libr. I. p. 51.

[2] In Vita c. VI. § 25.

[3] Unde Monich.: «*Ein Salbenhaendler mit 500,000 Fl.?*» *Die Horaz. Lyra.* p. 49.

[4] T. III. p. 598. Cf. eiusdem disputatio de Virgilio Libri IV. Carm. 12. T. II. p. 390. sqq.

invitat Catullus ut ille vinum afferat, ipse unguentum sit praebiturus.

Valgio, qui sequitur, Libri II. Carmen 9., inscripsit Horatius, quo eius luctum ex Mystae morte susceptum allevaret. Tu semper, ait vs. 9. sqq.,

> Tu semper urgues flebilibus modis
> Mysten ademtum; nec tibi vespero
> Surgente decedunt amores,
> Nec rapidum fugiente solem.

Erigere illum conatur novo Carminis argumento proposito, vs. 17. sqq.:

> desine mollium
> Tandem querelarum; et potius nova
> Cantemus Augusti tropaea
> Caesaris.

Pauca admodum testimonia de Valgii poëtica facultate supersunt. Elegos [1] et Epigrammata [2], testibus grammaticis, scripsit. Epicis quoque poëtis annumeratur a multis propter locum Auctoris Panegyrici in Messallam [3]:

> Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,
> Valgius, aeterno propior non alter Homero.

Ut hic Messallae laudes, ita Horatius, ut modo vidimus, Augusti tropaea Valgio, ut celebret, demandat, omissis flebilibus modis, querelisque mollibus, i. e. elegis, quibus Mysten mortuum lamentabatur. Servavit Servius duos Valgii versus [4], incertum ex

---

[1] Servius ad Virgilii Ecl. VII. v. 22., Aeneid. Libr. XI. v. 457.

[2] Charisius Instit. Gramm. Libr. I. p. 84. Ed. Putschii.

[3] Inter Tibulli Carmina Libri IV. 1. v. 179. sq.

[4] Ad Virgilii Georg. Libr. III. v. 177., Philargyrius ibid.

quonam eius Carmine petitos, duos quoque Isidorus [1], sed alios, nonnullos Donatus, in Vita Terentii, ex eius Actaeone [2], cuius Carminis argumentum, titulique ratio prorsus ignorantur. Scripsit quoque prosa oratione, de natura plantarum [3], et de rebus per epistolam quaesitis [4]. Apollodori, rhetoris Pergameni, magistri sui [5], praecepta latine tradidit [6]. Consulatu functus est a. 742., suffectus Messallae, ut ipsi Caninius fuit. Hac de causa consularis vocatur a Scholiastis ad Libri II. Carm. 9., quod tamen Carmen cum illi ab Horatio inscriberetur, nondum eo magistratu functus erat [7].

In Valgii persona describenda, mirum quantum turbatum est a Viris Doctis. Nomen C. Valgii Saturnini Glandorpius illi in Onomastico, C. Valgii Saturnini Rufi Pighius in Annalibus, quamvis dubitanter, tribuit [8]. Torrentius, nullo argumento, distinxit inter C. Valgium Rufum, consulem, prosae orationis scriptorem, et T. Valgium Rufum, poëtam, Titi praenomine huic, prorsus de suo, tributo. Secuti tamen

---

[1] Libr. XIX. c. 4.

[2] De iis versibus cf. Rutgersius Var. Lect p. 17. Ed. 1618.

[3] Plinius Nat. Hist. Libr. XXV. c. 2. Sect. 2.

[4] Gellius Libr. XII. c. 3.

[5] De eo Strabo Libr. XIII. p. 625., Suetonius in Vita Augusti c. 89.

[6] Quintilianus Instit. Orat. Libr. III. c. I.

[7] De aetate Carminis vid. supra p. 349.

[8] Glandorpius in Onomastico p. 878., Pighius Annal. T. III. p. 522. ad a. 741. (Fast.) Uterque propter nummum Goltzii in Morelii Thesauro, quem edidit Havercampius T. I. Tab. XXXIV. 15., in quo legitur C. VALGI C. F. Q. N., in aversa parte SATURNIN. RUFUS.

sunt Broukhusius [1], Vossiusque [2], quibus omnes deinceps Horatii Interpretes fidem habuerunt [3], quin tertium Valgium, comicum poëtam, duobus illis Bothius adiecit [4], donec Weichertus tandem [5], docta de Valgio disputatione, pervicit, unum tantummodo esse Valgium scriptorem, eundemque consulem a. 741., pleno suo nomine dictum C. Valgium Rufum [6].

Mystes, quem Valgius deflebat, verna potissimum eius puer fuisse videtur. Mystes enim servile nomen, quod sine causa in *Muiscum* mutare voluit Reiskius [7]; itaque illum, ut Cicero Sositheum suum [8], amavit Valgius; neque enim necesse est, ut Mysten inter pueros delicatos referamus; sed solebant Romani vernarum licentia et procacitate otium oblectare [9]. Ita Horatius Libr. II. Sat. 6. v. 66. sq.:

Vernasque procaeis
Pasco libatis dapibus.

Ita quoque Tibullus Libr. I. Eleg. 5. v. 25. sq.

[1] Ad Tibulli Libr. IV. Eleg. 1. v. 180.

[2] De Poëtis Latinis p. 241. T. III. Opp. Ed. 1696.

[3] Ita Dacerius, Sanadonus, Heynius ad Tibulli l. l., Ianius, Mitscherlichius, Vanderburgius, Doeringius, Iahnius, I. H. M. Ernestius in Clavi Horat., Baehrius *Gesch. d. Roem. Litter.* T. I. p. 82. Ed. sec.

[4] Poët. Scen. Lat. T. V. p. 201.

[5] Poët. Lat. Rei. p. 203. sqq.

[6] Landinus *Valgium Furem* vocat, unde nescio. Prodit apud Caesarem, de Bello Hispaniensi c. 13., A. Valgius, apud Ciceronem ad Diversos, Libr. XIII. Epist. 76., C. Valgius Hippianus.

[7] Ad Antholog. Constant. Cephalae p. 243. *Muisci* nomen frequens est in pueris Meleagri.

[8] Ad Atticum Libr I. Epist. 12.

[9] Suetonius in Vita Augusti c. 88., Seneca Epist. XII. § 3., cf. de Providentia c. 1. § 6., de Const. Sap. c. 11. § 3.

Deliam suam cum vernis pueris ludentem videre se putat:

consuescet amantis
Garrulus in dominae ludere verna sinu [1].

Dacerius, quocum fecit Sanadonus, Mysten filium Valgii fuisse putavit, ita dictum, quod revera esset μύστης, initiatus. Ianius, aut filium aut filii loco fuisse colligit e comparatione, quam Horatius instituit inter Valgium et Priamum Nestoremque, filium utrumque suum deflentem. Sivrius, Mysten Tibullum poëtam esse censuit [2].

Pergamus ad ceteros Horatii amicos, quos in Libri I. Sat. 10. composuit. Vs. 82. sq.:

probet haec Octavius, optimus atque
Fuscus; et haec utinam Viscorum laudet uterque.

Sunt qui vocem: *optimus*, coniungendam esse censeant cum: *Octavius;* nos vero, duce Bentleio, cum: *Fuscum*, coniungimus, eadem prorsus ratione, qua Libr. IV. Carm. 7. v. 15., *dives et Ancus*, Libr. I. Sat. 5. v. 27. sq., *optimus atque Cocceius*, et Libr. I. Sat. 10. v. 28. sq. *Poplicola atque Corvinus*, recte quoque componuntur.

Ignoramus, quis Octavius fuerit. Suspicatus est Victorius [3], et recte fortasse, hunc esse eundem Octavium, cui Virgilius Culicem suum inscripsit, cuiusque mortem immaturam Epigrammate deflevit, in quo multa eius scripta, inprimis vero Historiam Romanam laudibus effert [4].

[1] Cf. Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 44.

[2] Plura eiusmodi commenta in sua Horatii editione, Paris. 1777., qua aegre carui, protulit Poinsinet de Sivry.

[3] Variar. Lect. Libr. XIV. c. 7.

[4] Burmannus Anthol. Lat. Libr. II. Epigr. 65. T. I. p. 222., Heynius in Virgilii Edit. T. IV. p. 162. Ed. 1775.

Cruquius hunc Octavium haud diversum statuit a Caesare Octaviano, quod idem quoque fecisse videtur Bentleius [1]. Fuit M. Octavius, aedilis curulis a. 704. [2], Pompeianus [3], post in pugna Actiaca inter duces Antonianos [4], hic vero Octavius esse non potest, cui puero Virgilius, annos quindecim natus, suum Culicem inscripsit [5].

Nec Fuscus notior est. Pleno suo nomine Aristius Fuscus vocatur, Libr. I. Sat. 9. v. 61., ex quo loco ingenium eius promtum et iocosum pulchre cognoscimus. Inscripsit illi Horatius Libr. I. Carm. 22.:

> Integer vitae, scelerisque purus
> Non eget Mauris iaculis, neque arcu,
> Nec venenatis gravida sagittis,
> Fusce, pharetra.

tum quoque Libr. I. Epist. 10., quae egregiam suae in illum amicitiae significationem habet:

> Urbis amatorem Fuscum salvere iubemus
> Ruris amatores; hac in re scilicet una
> Multum dissimiles: at cetera pene gemelli,
> Fraternis animis: quicquid negat alter, et alter:
> Adnuimus pariter: vetuli notique columbi,
> Tu nidum servas; ego laudo ruris amoeni
> Rivos, et musco circumlita saxa nemusque.

Fuscus ab Acrone ad hunc locum Tragoediarum scriptor, a Porphyrione Comoediarum, a Cruquiano Gram-

---

[1] Vid. supra p. 173. Cruquium refellit Burmannus l. l.

[2] Cicero ad Atticum Libr. V. Epist. 21., Libr. VI. Epist. 1., cf. ad Diversos Libr. III. Epist. 4., Libr. VIII. Epist. 2. et 3.

[3] Caesar de Bello Civili Libr. III. c. 5. et 9., de Bello Alexandrino c. 42.—47., de Bello Africano c. 44.

[4] Plutarchus in Vita Antonii c. 65.

[5] Vid. vs. 25. sq. Cf. Donatus in Vita Virgilii c. VII. § 28.

maticus fuisse dicitur. Ad Libr. 1. Sat. 9. v. 61. Grammaticus praestantissimus a tribus omnibus Scholiastis vocatur. Glandorpius in Onomastico, mirum sane, hunc fuisse Augnsti in Hispania legatum censuit, qui a Dione [1] et Floro [2] Carisius vocatur, quod nomen in C. Aristium mutandum esse putabat.

Viscorum quoque uterque ignoratur. Annotat Acron: « *Visci duo fratres fuerunt, optimi poëtae. Alii dicunt criticos fuisse. Pater eorum Vibius Viscus, quamvis et divitiis et amicitia Augusti clarus esset in equestri tamen ordine perduravit, cum filios suos senatores fecisset,* » eademque Scholiastes Cruqnianus. Incertum quoque est, utrum Viscus Thurinus, qui commemoratur inter convivas Nasidieni Libr. II. Carm. 8. v. 20., alter horum Viscorum fuerit, an diversus ab illis. Thurini cognomen derivatum est a nomine Thuriorum, Lucaniae oppidi. Idem cognomen Augusto infanti, incertum qua de causa, datum fuerat [3]. Viscus deniqne, seu unus ex hisce, seu tertius quartusve recensetur inter Horatii intimos amicos, ab illo nebulone, de qno supra vidimus, Libr. I. Sat. 9. v. 22. sq.:

> Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
> Non Varium facies.

ubi haec de eo annotavit Acron: « *Viscus disertus illius temporis homo. Nonnulli poëtam dicunt, amicum Horatii.* » Porphyrion: « *Non Fuscum,) et Fuscum et Varum* [l. *Varium*] *Horatius amicos habuit. De Fusco infra dicetur,* » quod tamen a Porphyrione non factum

[1] Libr. LIII. c. 25.

[2] Libr. IV. c. 12. § 56.

[3] Suetonius in Vita c. 7.

est. Pro: *Fusco*, Glareanus apud eundem legerat: *Tuscum*. Scholiastes Cruquianus [1] inter utrumque nomen *Visci* et *Fusci* fluctuat: «*Et Viscum et Varium Horatius amicos habuit. De Fusco infra dicetur.*» Weichertus [2] propter haec scholia utroque in loco, Libr. I. Sat. 9. v. 22. et Libr. II. Sat. 8. v. 20., pro: *Visco*, *Fuscum* (*Aristium*) reponendum esse putabat.

De Pollione, Messalla eiusque fratre iam vidimus, itaque pergamus ad Bibulum, Servium Furniumque.

Bibulum statuimus filium fuisse M. Calpurnii Bibuli cs. a. 695. Quatuor, ut mihi videtur, huius filii ab historicis commemorantur. Duo maiores, patre vivente, interfecti fuerant ab iis militibus [3], quos A. Gabinius, cum a. 699. Ptolemaeum regem Aegypti in regnum reduxisset, Alexandriae reliquerat [4]. Tertius, L. Bibulus, in castris Bruti Cassiique fuerat, post mortem eorum, cum Messalla simul, sese Antonio reddidit, qui saepius illo usus fuit legato ad Caesarem, Syriaeque illum praefecit, ubi mortuus est, ante quam Saxa victus interfectusque fuerit a Parthis [5] a. 714. De hoc igitur in Satira 10. Libr. I., quae illo tempore scripta nondum fuit, cogitare non possumus; sed fuit praeterea filius Bibuli, quem Plutarchus, in Vita Bruti c. 13., tradit puerulum adhuc fuisse, quo tempore mater eius Porcia, post mortem

[1] In Auctario p. 691. b.

[2] Poët. Lat. Rel. p. 222.

[3] Caesar de Bello Civili Libr. III. c. 110., Valerius Max. Libr. IV. c. 1. n. 15., Seneca Cons. ad Martiam c. 14.

[4] Caesar l. l. et c. 103., Dio Cassius Libr. XXXIX. c. 55., Libr. XLII. c. 3.

[5] De eo Cicero ad Atticum Libr. XII. Epist. 32., Appianus de Bello Civili Libr. IV. c. 38., 104. et 130., de Rebus Syr. c. 51.

prioris viri, nupserit Bruto. Is diversus fuerit necesse est ab illo Bruti Cassiique socio, neque enim is, qui ante a. 714. praefectus Syriae obiit, a. 710. *παίδιον μικρὸν* fuit. Memorabilia Bruti conscripsit, quibus ipse Plutarchus est usus l. l. c. 23. Is igitur recte apud Horatium cogitari potest.

Servius filius esse potuit Servii Sulpicii Rufi, Iureconsulti illius celeberrimi, Ciceronis amici, qui consul fuerat a. 703., obierat autem a. 711., cum legatus missus esset ad M. Antonium [1]. Haec certe probabilior sententia est quam Ernestii Braunhardique [2], esse Servium grammaticum, qui, teste Cicerone [3], a. 694. vita functus iam fuerat. Servii autem filius, propter probitatem, virtutem, studia et doctrinam valde gratus atque acceptus erat Ciceroni [4]. Subscripserat accusationi L. Murenae, qui

---

[1] Cicero ad Diversos Libr. X. Epist. 28., Libr. XI. Epist. 8., Libr. XII. Epist. 4., 5. et 24., ad Atticum Libr. XIV. Epist. 18., Phil. IX. c. 1. 7., Appianus de Bello Civili Libr. III. c. 61. sqq., Dio Cassius Libr. XLVI. c. 29. Pomponius L. 2. Dig. *de Orig. Iuris* § 43.

[2] In Onomasticis Horatianis in voce.

[3] Ad Atticum Libr. I. Epist. 20. De eodem ad Div. Libr. IX. Epist. 16. De eo Suetonius de claris Grammat. c. 2., cf. Plinius Nat. Hist. Libr. XXV. c. 3. Sect. 7. Landatur a Gellio Libr. XIII. c. 22. Eundem Orellius (in Onomastico Tulliano) cogitat, atque eum, quem nominat Rufinus (p. 2720. Ed. Putschii,) inter scriptores de re metrica. Equidem potius Marium Servium Honoratum a Rufino significari puto.

[4] Ad Diversos Libr. IV. Epist. 3. et 4., Libr. XIII. Epist. 27., Phil. IX. c. 3. et 5. Non video, qua de causa Ernestius et Orellius ad Servium filium retulerint iocum Libr. XI. Epist. 7., ubi sermo est de Servio, D. Bruti consobrino. Rectius enim, ut mihi videtur, Servius pater intelligitur. Filius significatur Epist. 24., scripta, cum Servius pater mortuus iam esset.

consul creatus fuerat, cum pater Servius repulsam tulisset [1]. Contra Pompeium, Italia decedentem, a patre missus fuit, idque hunc postea, cum de sua ipsius ad Pompeium profectione cogitaret, valde vexabat [2]. Filius eam expeditionem non invitus susceperturus fuit, quippe quem postea in castris Caesaris fuisse legimus [3]. Ceterum de eo nihil compertum habemus. Tradit Pighius, eum tribunum plebis fuisse a. 707. [4], id quod tamen ex Ciceronis Epistola ad Atticum Libr. X. 3., quo provocat Pighius, colligere non possum.

simul bis te, candide [5] FURNI;

Animi candorem Furnii, quem sine amoris significatione praeterire non potest Horatius, ex uno Senecae loco de Benef. Libr. II. c. 25., ex illo vero penitus cognoscimus: «Nullo magis Caesarem Augustum demeruit, et ad alia impetranda facilem sibi reddidit Furnius, quam quod, quum patri, Antonianas partes secuto, veniam impetrasset, dixit: «Hanc unam, Caesar, habeo iniuriam tuam, effecisti ut viverem et morerer ingratus.»» Pater eius C. Furnius, trib. pl. a. 704. [6], primum in Caesaris comitatu [7], deinde Planci legatus [8], post, tempore belli Perusini, inter

[1] Pro Murena c. 26. et 27.

[2] Ad Atticum Libr. IX. Epist. 19., Libr. X. Epist. 3. et 14.

[3] Ibid. Libr. IX. Epist. 18.

[4] Annal. T. III. p. 451.

[5] Egregie de voce *candidus* disputavit Wielandus, *Horazens Satyren*, T. I. p. 183.

[6] Cicero ad Atticum Libr. V. Epist. 2. et 18.

[7] Id. ibid. Libr. IX. Epist. 6.

[8] Planci Epist. inter Cic. ad Div. Libr. X. 8. cf. ibid. Epist. 1., 3., 6. et 24.

duces Antonianos fuerat [1]. Antonium denique adiit, a quo missus contra S. Pompeium, hunc, cum Titio, altero Antoniano duce, saepius superavit, tandem vivum cepit [2]. Veniam Furnio, ut vidimus, Antonio superato, filius impetravit a Caesare Octaviano, qui hunc praeterea illi honorem habuit, ut, quum antea consul designatus, consulatu vero functus non esset, illum inter consulares retulerit a. 725 [3]. Quo anno designatus fuerit, non constat, praeturam autem a. 710. cum petere vellet, id illi Cicero dissuasit [4]. Hanc igitur, Antonii gratia, serius adeptus fuit. Utrum pater an filius, uterque enim C. Furnius vocatur, Cantabros a. 732., vicerit [5], incertum est; magis tamen verisimile est, patrem, iam dudum in armis versatum, ab Augusto contra populum bellicosissimum fuisse missum, quam filium, qui nulla belli scientia inclaruit. Filius autem consul fuit cum Iunio Silano, a. 737., quo anno ludi seculares celebrati fuerunt ab Augusto [6]. Pater et filius, uterque eloquentia, clari fuerunt. Filium, consularem ante patrem obiisse, Hieronymus auctor est [7].

Laudatur praeterea ab Horatio in eadem Libr. I.

---

[1] Appianus de Bello Civili Libr. V. c. 30., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 13.

[2] Appianus l. l. c. 140. et 142., Dio Cassius Libr. XLIX. c. 17. et 18., Orosius Libr. VI. c. 18.

[3] Dio Cassius Libr. LII. c. 42.

[4] Cicero ad Diversos Libr. X. Epist. 25. et 26.

[5] Florus Libr. IV. c. 12. § 51., Dio Cassius Libr. LIV. c. 5. Cf. supra p. 411. n. I.

[6] Censorinus de Die Natali c. 17.

[7] Ol. CLXXXVI. 1., i. c. 718. s. 719. Varr., cf. Plutarchus in Vita Antonii c. 58.

Sat. 10. FUNDANIUS, comoediarum scriptor, de quo vs. 40. sqq.:

> Arguta meretrice potes, Davoque Chremeta
> Eludente senem, comis garrire libellos
> Unus vivorum, Fundani:

Eundem Libr. II. Sat. 8. Horatius inducit, suo rogatu, Nasidieni convivium lepidissime narrantem. Fundanius, quam magnus poëta Horatii tempore fuerit, hodie certe prorsus ignoratur; neque per nosmet ipsos iudicare possumus, quam apte DAVI personam induxerit CHREMETEM eludentem. Nec a Quintiliano inter poëtas numeratur. Habet hoc autem commune cum Pollione, qui in versu eodem, ut tragicus praestantissimus, effertur, adeo ut de hisce quoque, ut de Lucilio [1], diverse ab Horatio iudicaverit Quintilianus. Fuerat C. Fundanius, socer M. Terentii Varronis, cuius Cicero meminit in Epistola ad Q. Fratrem Libr. I. 2., scripta a. 695.; huius filius Fundanius comicus fortasse fuit, qui tamen M. Fundanium, quem Cicero defendit a. 689., patrem habere quoque potuit, ut suspicatus est Iahnius. Fuit C. Fundanius eques, quem a Sexto Pompeio ad Caesarem transfugisse a. 709. narrat Auctor de Bello Hispan. c. 11. Hic quoque comicus ille Horatianus fuisse potest, quam coniecturam, ex opinione Weicherti [2], aliquatenus firmat coniuncta Pollionis mentio, qui, ut ille, finitis belli laboribus, in otio Musis vixit.

---

[1] Vid. supra p. 88. n. 3.

[2] Poët. Lat. Rel. p. 51. n. 41.

§ 5.

Cum hisce Horatii familiaribus, qui prodeunt in Satira 10. Libri I., simul absolvimus de omnibus iis, qui in utroque Satirarum Libro commemorantur. In Epodis unius PETTII nomen legitur, quod alibi non invenitur, Epod. XI. v. 1. Est homo aliunde ignotus, qui tamen inter familiarissimos Horatii esse debuit. Pro: *Petti*, legitur quoque: *Pecti*, frequenti literarum *tt* cum *ct* permutatione. Sivrius vocem *Petti* interpretatus est *πέττοι*, ut, tesseras Horatius fuerit allocutus. Sed pergendum est ad Horatii familiares, qui in Odarum libris laudantur. Cum enim idoneam rationem non baberem, qua potissimum recenserentur, commodissimum visum fuit ita facere secundum libros Horatianos, in quibus eorum mentio facta fuit.

§ 6.

Erat AELIUS LAMIA inter intimos Horatii amicos, qui non uno loco egregiam suam in illum amicitiam significavit. Ita Libr. I. Carm. 26., quod illi inscripsit, v. 6. sqq.:

O quae fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiae coronam,

Pimpleï dulcis.

Eidem inscripsit praeterea Libr. III. Carm. 17.:

Aeli, vetusto nobilis ab Lamo
(Quando et priores hinc Lamias ferunt
Denominatos: et nepotum
Per memores genus omne fastos

Auctore ab illo ducit [1] originem,
Qui Formiarum moenia dicitur
Princeps, et innantem Maricae
Litoribus tenuisse Lirim
Late tyrannus)

cuius versus 2., 3., 4. et 5. expunxit Sanadonus, totum vero Carmen Horatio abiudicavit Cl. Peerlkampius. Gens Aelia, sive Ailia, quamvis plebeia, antiquissima tamen et nobilissima fuit [2]. Ut Iulia gens ad Iulum, Aeneae filium, Antonia ad Anteonem, Herculis, aliae ad alium heroem semideumve originem referebant, ita Aelia Lamia ad Lamum, Neptuni filium, Laestrygonum regem, conditorem urbis Formiarum [3]. Hac de causa indignatur Cicero, hominem quendam obscurum, Staienum, se Aelium fecisse [4], Lamiasque Iuvenalis in exemplum nobilissimae familiae proponit [5].

Horatii tempore duo Lamiae fuerunt. Alter L. Aelius Lamia consul fuit a. 756. cum M. Servilio, mortuus autem est anno demum 786., quum censuram quoque et urbis praefecturam gessisset [6], alter Q. Aelius Lamia III. vir monetalis fuit [7]. Erant

---

[1] *Ducit* pro *ducis* egregie D. Heinsius. vid. Bentleius. Cf. quoque Eichstaedtius Paradoxon Horat. VII. et Duentzerus *Kritik u. Erklaerung d. Oden d. Horaz*, p. 181.

[2] Fulvius Ursinus, Familiae Romanae, p. 4.

[3] Homerus Odyss. Libr. X. v. 81., Cicero ad Atticum Libr. II. Epist. 13., Ovidius Metamorph. Libr. XIV. v. 239., Plinius Nat. Hist. Libr. III. c. 5. Sect. 9.

[4] In Bruto c. 68. cf. pro Cluentio c. 26.

[5] Sat. VI. v. 385., IV. v. 154. ibique Schol. Cf. Valerius Max. Libr. IV. c. 4. n. 8.

[6] Dio Cassius Libr. LVIII. c 19., Tacitus Annal. Libr. VI. c. 27.

[7] Vid. nummi in Thesauro Morelliano, ibique Havercampius. Hic,

filii L. Aelii Lamiae, Ciceronis summi amici, aedilis a. 709., qui praetura quoque, sed incertum quo anno, functus est [1]. Itaque Lucius designatur Libr. I. Epist. 14. v. 6. sqq.:

> Me quamvis Lamiae pietas et cura moratur
> Fratrem maerentis, rapto de fratre dolentis
> Insolabiliter;

uter vero ceteris in locis sit intelligendus, non constat. Aelium Lamiam quendam a Scholiastis inter scenicos poëtas referri, supra iam vidimus [2].

Anno 727. Aelius Gallus Roma, ab Augusto, missus fuit, ut Aegypto praeësset, bellumque Arabibus inferret [3]. Arabes autem, inprimis Sabaei, divitiis affluebant, quas sibi comparaverant ex mercatura [4]. Sabaeos, Arabiae felicis incolas, nullus adhuc Romanus imperator aggressus fuerat [5], quamvis cum aliis Arabiae gentibus bellum iam gessissent Pompeius [6]

---

nescio qua de causa, T. II. p. 7. et 484., Lucio A. L. consuli, praetoris filio, duos dat filios Lucium et Quintum. Doeringius Lamias perperam refert ad gentem Aemiliam.

[1] Cicero pro Sestio c. 12., in Pisonem c. 27., post. red. in Sen. c. 5., ad Atticum Libr. XIII. Epist. 45., ad Diversos Libr. XI. Epist 16. et 17., Valerius Max. Libr. I. c. 8. n. 12., Plinius Nat. Hist. Libr. VII. c. 52. Sect. 53. Diversus est L. Aelius Lamia de quo Cicero de Oratore Libr. II. c. 65.

[2] Vid. p. 308. cl. p. 61. n. 7.

[3] Itaque Carmen Libr. I. 29. referendum est ad eundem annum. Vid. Massonus in Vita Horatii p. 196. sqq. Cf. Iosephus Antiq. Rom. Libr. XV. c. 9.

[4] Strabo Libr. XVI. p. 778. et 780.
Plinius Nat. Hist. Libr. VI. c. 28. Sect. 32.
Appianus de Bello Mithrid. c. 114., Dio Cassius Libr. XXXVII c. 15.

et Gabinius [1]. Cum Gallo profecturus quoque erat Iccius, cui illa occasione Horatius amicus Libr. I. Carm. 29. v. 1. sqq.:

Icci, beatis nunc Arabum invides
Gazis; et acrem militiam paras
Non ante devictis Sabaeae
Regibus.

Illud belli studium Iccius cum philosophiae studio, quo antea tenebatur, permutaverat, itaque Horatius vs. 10. sqq.:

quis neget arduis
Pronos relabi posse rivos
Montibus, et Tiberim reverti:

Cum tu coëmtos undique nobilis
Libros Panaeti, Socraticam et domum
Mutare loricis Hiberis,
Pollicitus meliora, tendis?

Gallo, comitibusque prosperam fortunam precatur Horatius Libr. I. Carm. 35. [2], infelicissima vero eorum expeditio fuit. Milites fame, laboribus, morbis et itineris difficultate sunt consumti, quamquam hostes, imbellissimi homines, ubique superati fuissent [3]. Inter superstites fuit Iccius, cui a. 735. [4], Agrippae eo tempore in Sicilia procuratori, Epistolam Libri I. 12. eo consilio Horatius scripsit, ut illi amicum suum Pompeium Grosphum commendaret:

---

[1] Cicero ad Atticum Libr. VII. Epist. 11.

[2] Vid. supra p. 344.

[3] Strabo l. l. p. 780. sqq., Plinius l. l. Libr. VI. c. 28. Sect. 32. § 17., Dio Cassius Libr. LIII. c. 29., qui aliter atque Strabo, Arabes pugna quoque Romanos fuisse superiores tradit.

[4] Vid. supra p. 410. n. 4.

Fructibus Agrippae Siculis, quos colligis, Icci,
Si recte frueris; non est ut copia maior
Ab Iove donari possit tibi. tolle querelas:
Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis; nil
Divitiae poterunt regales addere maius.

Videtur Iccius sorte sua minus contentus fuisse, Horatius contra summum illi bonum, ex sententia Academicorum, contigisse contendit; quippe cui, virtute adhibita, primis a natura datis frui liceret. Academiae autem nomen suum dedisse Iccium, recte, ut mihi quidem videtur, ex illa Academicorum dubitatione colligimus, quam in sapientiae studio adhibebat Iccius. Ita Horatius vs. 12. sqq.:

Miramur, si Democriti pecus edit agellos
Cultaque, dum peregre est animus sine corpore velox?
Cum tu inter contagiem tantam et contagia lucri
Nil parvum sapias, et adhuc sublimia cures:
Quae mare conpescant caussae; quid temperet annum:
Stellae sponte sua, Iussaeue vagentur et errent:
Quid premat obscurum lunae, quid proferat orbem:
Quid velit et possit rerum concordia discors:
Empedocles an Stertinium deliret acumen.
Verum seu piscis, seu porrum et caepe trucidas,
Utere Pompeio Grospho; et, si quid petet, ultro
Defer, nil Grosphus nisi verum orabit et aequum.
Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest.

Male, sed iniuria, Iccius ut homo sordidus et avarus apud Interpretes audierat, iam inde a Scholiastarum temporibus, donec eius memoria a Iacobsio omni crimine liberata fuit. Pro nomine: *Iccio*, Ursinus[1]: *Itium* substituere volebat, qui in denario nomen

[1] Fulvius Ursinus, Familiae Rom. p. 112. Cf. Havercampius ad Morellii Thesaurum T. I. p. 200.

L. Iti invenerat, *Itius* autem, *Ittius*, *Ictius*, *Iccius* inter se permutari potuerunt, ut *Accius* quoque, *Actius*, *Attius*, *Atius* et similia. Iccius Horatianus quis fuerit, ignoratur. Sed diversus fuit procul dubio ab illo M. Iccio, qui, M. Antonio consule a. 710. sortiente, Siciliam praetor sortitus est [1].

Neque notior est Pompeius Grosphus, quem Iccio amico suo commendat Horatius. A Scholiasta Cruquiano ad l. l. eques Romanus fuisse dicitur, ex Sicilia oriundus et ita quoque a Porphyrione ad Libri II. Carm. 16. Grospho inscriptum:

> Otium Divos rogat in paten
> Prensus Aegaeo, simul atra nubes
> Condidit Lunam, neque certa fulgent
> Sidera nautis:
>
> Otium bello furiosa Thrace,
> Otium Medi pharetra decori,
> Grosphe, non gemmis, neque purpura venale, nec auro.

Prodit quoque Grosphus quidam, Siculus, apud Ciceronem in Verrem Libr. III. c. 23.: «Eubulides est Grosphus, Centuripinus, homo cum virtute et nobilitate domi suae, tum etiam pecunia princeps.» Hunc Eubuliden postea ius civitatis Romanae, Pompeii beneficio, obtinuisse, eiusque nomen, de more, adsumsisse, quod filio suo nepotive, Grospho Horatiano, relicturus fuisset, cum magna veri specie docuit Vanderburgius. Noster enim quoque Grosphus magnas in Sicilia habebat possessiones, uti apparet ex vs. 33. sqq.:

---

[1] Cicero Philipp. III. c. 10.

Te greges centum, Siculaeque circum
Mugiunt vaccae; tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa; te bis afro
Murice tinctae

Vestiunt lanae:

tum praeterea erat eques Romanus, Siciliensis, testibus Scholiastis. Nomen Grosphi Silius ex Cicerone, seu Horatio arripuit, ducique Agrigentino tribuit in bello Punico secundo, Libr. XIV. v. 211.

Diversus ab hoc Pompeio Grospho est Pompeius ille, cui Horatius Libr. II. Carm. 7. inscripsit:

O saepe mecum tempus in ultimum
Deducte, Bruto militiae duce,
Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis, Italoque coelo,

Pompei, meorum prime sodalium?
Cum quo morantem saepe diem mero
Fregi, coronatus nitentis
Malobathro Syrio capillos.

Tecum Philippos et celerem fugam
Sensi, relicta non bene parmula;
Cum fracta virtus, et minaces,
Turpe! [1] solum tetigere mento.

Sed me per hostis Mercurius celer
Denso paventem sustulit aëre:
Te rursus in bellum resorbens
Unda fretis tulit aestuosis.

Hic enim, Bruti Cassiique sectator, bona sua, si umquam habuerat, perdidisse debuit, proscriptus a triumviris, neque tam magnas possessiones in Sicilia superstites habere poterat, ut habebat Pompeius

[1] Ita Cl. Peerlkamplus secutus Acronem.

Grosphus. Hic quoque, nuper civitate donatus, aut certe civis tantumnodo ex patre vel avo, non recte ab Horatio Quiris, redonatus Dis patriis Italoque coelo, fuisset appellatus, ut recte observavit Vanderburgius [1]. Itaque perperam Sanadonus, Ianius, Mitscherlichius, alii, fidem non habuerunt Acroni, Scholiastae Cruqniano et MSS. Torrentii, qui Pompeio in Libri II. Carm. 7. nomen dant POMPEII VARI. Habebant, quod gauderent, Horatius et Pompeius, qui salvi profugissent post pngnam Philippensem, cum Antonins et Octavianus crudelissime victoria essent abusi in splendidissimos quosque viros ex amicis Bruti dncibusque, venia non nisi gregariis militibus concessa [2]. Pompeius autem ad Sextum Pompeinm, sive Cn. Domitium Statiumve Murcum se contulisse videtur, ut plures quoque ex profngis fecerant [3], quibus, pace inter triumviros et S. Pompeium circa Misenum facta a. 715., redeundi potestas data fuit. Quare omnes Interpretes, duce Massono [4], Carmen, de quo nunc agimus, ad reditum Pompeii in patriam, cnm ceteris exsulibus, referendum esse censuerunt, qui quam effusa laetitia recepti fuerint a snis, egregie depinxit Dio Cassins [5]. Solus Dacerius, et acute quidem, huic sententiae obstare vidit Horatii verba: « *Quis* te redonavit cet.,» quod rogaturus non fuisset Horatius illo tempore, cnm a triumviris omnibus ex-

[1] T. I. p. 364. sq.

[2] Suetonius in Vita Augusti c. 13., Dio Cassius Libr. XLVII c. 49.

[3] Dio Cassius l. l., Velleius Libr. II. c. 72.

[4] In Vita Horatii p. 88. sq.

[5] Libr. XLVIII. c. 37.

sulibus reditus in patriam fuit concessus. Tum praeterea rectissime negavit Grotefendus [1], Horatium a. 715., si omnino carmina iam composuerit, Oden tam praeclaram et consummatam scribere potuisse. Quare verisimilius est, Pompeium Varum, ut Cassius Parmensis, L. Bibulus, aliique Bruti Cassiique socii fecerant, se ad M. Antonium contulisse, itaque post pugnam demum Actiacam, venia impetrata, improviso Romam amicis suis advenisse.

Albio Tibullo, Elegiarum scriptori nobilissimo, Oden Epistolamque Horatius inscripsit. Ode est Libri I. 33.:

> Albi, ne doleas plus nimio memor
> Immitis Glycerae, neu miserabilis
> Decantes elegos, cur tibi iunior
> Laesa praeniteat fide; cet.

Epistola est Libri I. 4.:

> Albi, nostrorum sermonum candide iudex,
> Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
> Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat?
> An tacitum silvas inter reptare salubris,
> Curantem quicquid dignum sapiente bonoque est?
> Non tu corpus eras sine pectore. Di tibi formam,
> Di tibi divitias dederunt, artemque fruendi.

Carminis Epistolaeque aetates, quum utrumque certa temporum nota careat, quam diverse constituerint VV. DD., fuse exposuit Frankius [2]. Ea omnia referre nostri propositi non est, nec ipsi certiora ha-

---

[1] In Erschii et Gruberi *Allg. Encyclop.* Sect. II. Tom. X. p. 460. Pompeium, cui Libr. II. Carm. 7. est inscriptum, eundem esse censet atque Pompeium Grosphum.

[2] Fast. Horat. p. 166. sqq. et 201.

bemus. Vocem: *iunior*, Interpretes urgere solent quo Carmen ad ultimum Tibulli vitae spatium referatur, quem iuvenem adhuc, non ita diu post Virgilium, diem obiisse, constat ex Epigrammate Domitii Marsi:

Te quoque Virgilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors iuvenem campos misit ad Elysios:

Virgilius autem obiit a. 735. Nescio tamen, an vocem: *iunior*, rectius interpretemur: *recentior*, ut iunior ille sit non aetate sed in Glycerae amore. Ceterum nota res est, quantopere Interpretes de anno natali Tibulli dissenserint, quem alii 690., alii 695., alii 705., alii denique 711. u. c. fuisse contendunt [1]. Formam Tibullo tribuit quoque auctor illius Vitae, quam emendatissime Broukhusius edidit. «*Albius Tibullus*,» inquit, «*eques Romanus insignis forma, cultuque corporis observabilis.*» Ita quoque in Vita eius, Editioni Venetae a. 1475. praefixa, *pulchra statura* ei tribuitur. Divitias Tibullo tribuit Horatius. Ipse Tibullus focum suum, patrios Penates, antiquum Larem celebrat [2], tum quoque metum significat, ne sedes avitas vendere iubeat Nemesis avara [3]. Patrimonium tamen suum imminutum esse ostendit Libr. I. Eleg. 1. v. 19. sq.:

Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra, Lares.

Ita quoque Libr. IV. Carm. 1. v. 181. sqq., quod vero iam dudum a VV. DD. Tibullo abiudicatum

[1] Vid. Dousa in Sched. succid. ad Tibullum in Broukhusii Edit., Bachius in sua, Ayrmannus in Vita Tibulli, Goiberius in Tibulli Edit.

[2] Libr. I. Eleg. 1. v. 6., Eleg. 3. v. 33. sq., Eleg. 10. v. 15.

[3] Libr. II. Eleg. 4. v. 53.

est. Causam Tibullus non addidit, itaque alii aliam excogitaverunt Interpretes, quum Scholiastes Barthianus [1], Iosephus Scaliger et Dacerius Tibulli luxuria ita factum fuisse contenderint, quin Baxterus Albium Tibullum non diversum ab illo Albio prodigo ab Horatio notato Libr. I. Sat. 4. v. 28. et 109. pronuntiaverit [2], Dousa contra, quem plures secuti fuerunt, Tibullo tempore belli civilis agros fuisse ereptos statuerit.

Elegi miserabiles, quibus suum in Glyceram amorem celebravit Tibullus, non supersunt, quin incertum est, utrum omnino scripserit, si vero scripsit, utrum in vulgus ediderit. GLYCERA nusquam ab eo commemoratur, itaque Spohnius [3] coniecit, Glyceram esse Tibulli Deliam, quae mutato nomine Nemesis quoque et Neaera ab illo fuerit appellata. Deliae nomen verum, ut hoc obiter observem, *Plania* erat, ut testatur Apuleius [4], quod uti a *planus*, ita *Delia* a Graeco δῆλος esse deductum, Reisigius docuit [5]. Deliam autem a Nemesi fuisse diversam, Ovidius ostendit, Amorum Libr. III. Eleg. 9. v. 31. sq.:

Sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt,
Altera cura recens, altera primus amor;

tum quoque v. 55. sqq.:

---

[1] Ad Horatii Epist. Libr. I. 4. apud Barthium in Advers. Libr. XXXVII. c. 19. Legit ille: «Di tibi divitias *dederant*.»

[2] Cruquii somnia de Albio illo referre non attinet.

[3] De A. Tibulli Vita et Carminibus p. 50. et 96.

[4] In Apologia T. II. p. 405. sq. Ed. Bosschae. *Plautia* vocatur in Vita Tibulli Edit. Venet. 1475. praefixa.

[5] Vid. Weichertus de Vario et Cassio p. 375.

Delia discedens, «Felicius,» inquit, «amata
Sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram.»
Cui Nemesis, «Quid,» ait, «tibi sunt mea damna dolori?
Me tenuit moriens deficiente manu?»

quare Passovius [1] statuit duas puellas, Deliam et Nemesin, amatas fuisse a Tibullo; hanc avaram [2], saevam [3] duramque [4], ab Horatio Glycerae immitis nomine, pari syllabarum numero et quantitate, significatam fuisse; Neaeram vero, celebratam in Libro III., quem, post Vossium, Tibullo fere abiudicarunt, VV. DD. [5], ex amoribus Tibulli eximendam esse. Singularis Golberii opinio fuit, Deliam, post suas nuptias, Neaerae nomine a Tibullo fuisse significatam, eamque haud diversam esse a Glycera Horatiana.

Qua ratione Tibullus Sermonum candidus iudex ab Horatio dictus fuerit, supra iam vidimus [6].

A. 730. Augustus ex Hispania Romam, post triennii absentiam, rediit. Reversus est cum illo PLOTIUS NUMIDA [7], cui Horatius felicem reditum gratulatur Libr. I. Carm. 36. v. 1. sqq.:

Et ture et fidibus iuvat
Placare, et vituli sanguine debito
Custodes Numidae Deos:
Qui nunc Hesperia sospes ab ultima,

---

[1] Fr. Passovius in Scebodii *Archiv f. Philol. u. Paedag.* T. II. p. 189. sqq.

[2] Libr. II. Eleg. 4.

[3] L. i. v. 6.

[4] L. i. Eleg. 6. v. 28.

[5] Cf. tamen supra p. 392.

[6] Pag. 359.

[7] Unde resciit Orellius, Numidam post absentiam annorum decem reversum esse?

Caris multa sodalibus,
    Nulli plura tamen dividit oscula,
Quam dulci Lamiae; memor
    Actae non alio rege puertiae,
Mutataeque simul togae.

De Lamia, seu Lucius sive Quintus fuerit, supra iam vidimus. Puerum adhuc illum iam amicitia coniunctum fuisse cum Numida, saepiusque inter ludendum regem a collusoribus fuisse creatum, ex hoc loco apparet [1]. Numida ab Acrone et Porphyrione *Pomponius Numida*, a Scholiasta Cruquiano rectius *Plotius* vocatur; est enim Numida Plautiorum seu Plotiorum cognomen, ut bene observavit Torrentius. Plotius autem Numida, Horatii familiaris, homo est prorsus ignotus, huic vero carissimus fuisse videtur. Itaque illi coenam adventiciam summo cum gaudio indicit vs. 10. sqq.:

    Cressa ne careat pulchra dies nota:
Neu promtae modus amphorae,
    Neu morem in Salium sit requies pedum:
Neu multi Damalis meri
    Bassum Threicia vincat amystide:
Neu desint epulis rosae,
    Neu vivax apium, neu breve lilium.
Omnes in Damalin putris
    Deponent oculos: nec Damalis novo
Divelletur adultero,
    Lascivis ederis ambitiosior.

Damalin, Numidae amicam, affore ad coenam promittit Horatius, quemadmodum Cinara apud Maecenatem [2], Cytherisque aderat apud Volumnium Eu-

[1] Cf. Orellius ad hunc locum.

[2] Horatius Libr. I. Epist. 7. v. 28.

trapelum [1]. Vox *Damalis* Graeca cum *puellam* significat, tum *iuvencam*, uti Latine quoque haec cum illa permutari solet [2]. Est autem libertinae nomen, legiturque in inscriptionibus apud Gruterum [3]. Damalis, velut altera Clio Callistiumve [4], male audierat, ut puella multi meri; sed Cl. Peerlkampius: *Nec* multi Damalis meri, pro: *Neu* multi, legendum esse probavit.

Incertum est, quis fuerit Bassus ille potator, Numidae conviva. Ianius cogitabat de Basso iambographo, Ovidii [5] Propertiique [6] aequali et amico, ille vero Horatii convictor et aequalis esse non potuit, quamvis ab Apuleio [7] Varii adeo et Cinnae contubernalis, sed perperam, vocatur. Fuit Bassus quidam, de quo Cicero ita ad Trebatium Libr. VII. Epist. 20.: «Ego a Sexto Fadio, Niconis discipulo librum abstuli: Νίκωνος περὶ πολυφαγίας. O medicum suavem, meque docilem ad hanc disciplinam! Sed Bassus noster me de hoc libro celavit, te quidem non videtur.» Scripta autem haec Epistola est a. 710. Hunc Bassum non esse diversum a Q. Caecilio Basso, quaestore a. 695., Ernestius statuit in Clavi Ciceroniana, Orellius vero de iis non pronuntiavit. Sed diversi sunt. Q. enim Caecilius Bassus,

[1] Cicero ad Diversos Libr. IX. Epist. 26.

[2] Ovidius Herold. V. v. 117., 118. et 124., cf. Horatius Libr. II. Carm. 5. v. 6.

[3] P. DCCCCXXXV. n. 13., p. DCCCCXLVII. n. 5.

[4] Athenaeus Libr. X. c. 11. p. 440. D, E, Libr. XI. c. 11. p. 486. B.

[5] Trist. Libr. IV. Eleg. 10. v. 47. sq.

[6] Libr. I. Eleg. 4. v. 1. sq.

[7] De Orthographia. Vid. Weichertus de Vario et Cassio p. 139. sqq.

olim Pompeii partes secutus [1], a C. I. Caesare cum copiis in Syria relictus fuerat a. 707., quum vero milites eius Sextum Iulium, cognatum dictatoris, in seditione interfecissent, metu vindictae Caesaris, turbas agere coepit [2]. Duces, qui contra illum missi sunt, non multum egerunt [3], donec tandem milites eius sponte sua sese Cassio, Caesaris interfectori, dederunt [4]. De hoc autem Cicero ad Cornificium: «iste nescio quis Caecilius Bassus [5].» Hanc Epistolam scripsit a. 708 [6]. Qui fieri potest, ut hic idem ille Bassus fuerit, quem a. 710. in Epistola ad Trebatium suum Bassum vocavit, quum praesertim Q. Caecilium Bassum interea ne videre quidem potuit? Buttmannus [7] apud Horatium de filio huius Bassi cogitavit. Weichertus [8] suspicatus est, Horatium usurpasse nomen Bassi alterius, Trebatii combibonis, hominis gulosi, ut strenuum potatorem inter Numidae sodales significaret, uti quoque factum est a Martiale Libr. VI. Epigr. 69.:

Non miror, quod potat aquam tua Bassa, Catulle;
Miror, quod Bassi filia potat aquam.

---

[1] Dio Cassius Libr. XLVII. c. 26.

[2] Applanus de Bello Civili Libr. IV. c. 58. Cf. Cicero pro Rege Deiotaro c. 8. et 9. Iosephus Antiq. Iud. Libr. XIV. c. 11. et Dio Cassius l. l., rem diverse tradunt.

[3] Strabo Libr. XVI. p. 752. sq., Cicero ad Atticum Libr. XIV. Epist. 9., Libr. XV. Epist. 13., Applanus l. l., Dio Cassius l. l. c. 27.

[4] Applanus l l. c. 59., Dio Cassius l. l. c. 28. Cf. Cicero Philipp. XI. c. 13., ad Diversos Libr. XII. c. 11. et 12.

[5] Ad Diversos Libr. XII. Epist. 18.

[6] Secundum Gruberum. Anno vero 709. secundum Ragazonium.

[7] *Mythologus* T. I. p. 314.

[8] De Vario et Cassio p. 143.

Septimius, quisquis fuerit, intimis Horatii amicis adscribi debet, propter egregiam amoris significationem, quam habet Libri II. Carmen 6., quod illi ab Horatio inscriptum fuit:

Septimi, Gadis aditure mecum, et
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra, et
Barbaras Syrtis, ubi Maura semper
Aestuat unda;

Tibur Argeo positum colono
Sit meae sedes utinam senectae:
Sit modus lasso maris et viarum
Militiaeque.

Unde si Parcae prohibent iniquae;
Dulce pellitis ovibus Galesi
Flumen, et regnata petam Laconi
Rura Phalantho.

Miror fuisse, qui Carmen hoc a. 718. [1], 720. [2], vel 728. seu 729. adeo [3] adscripserint, quo tempore Horatius iamdudum recreatus esse debuit e sua itinerum militiaeque lassitudine, tum praeterea iam habebat praedium Tiburtinum, neque Parcae, quamvis eum inde eiicere poterant, prohibere poterant ex illo, ut legitur vs. 9., id quod acutissime observavit Peerlkampius V. Cl. Carmen autem non ita diu post suum in patriam reditum scripsisse videtur Horatius. Sed addamus ultimam stropham vs. 21. sqq., ubi de Tarento:

Ille te mecum locus et beatae
Postulant arces: ibi tu calentem
Debita sparges lacrima favillam
Vatis amici.

[1] Vanderburgius T. I. p. 231.

[2] Kirchnerus Quaest. Horat. p. 32.

[3] Frankius Fast. Horat. p. 176.

Septimius versabatur cum Augusto et Tiberio. Scribit enim Augustus Horatio: «Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire; nam incidit, ut illo coram fieret a me tui mentio [1].» Tiberio, cum expeditionem pararet in Orientem [2], Septimium commendavit Horatius Libr. I. Epist. 9.:

> Septimius, Claudi, nimirum intelligit unus,
> Quanti me facias. nam cum rogat, et prece cogit
> Scilicet, ut tibi se laudare et tradere coner,
> Dignum mente domoque legentis honesta Neronis;
> Munere cum fungi censet propioris amici;
> Quid possim, videt ac novit me valdius ipso.

Parum profecto utilitatis et iucunditatis suscepturus erat Septimius in Tiberii comitatu, cuius ingenium suspicax et morosum, tum illiberalitatem et parcimoniam in comites Suetonius in Vita [3] exposuit. De rebus Septimii prorsus nihil novimus, nisi quod Scholiastes Cruquianus, illum equitem Romanum et Horatii commilitonem vocet. Sunt autem, qui illum non diversum fuisse censeant a Titio illo, de quo Horatius in Epistola ad Iulium Florum Libr. I. 3. v. 9. sqq.:

> Quid Titius, Romana brevi venturus in ora?
> Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
> Fastidire lacus et rivos ausus apertos:
> Ut valet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis
> Thebanos aptare modos studet, auspice Musa?
> An tragica desaevit et ampullatur in arte?

---

[1] Suetonius in Vita Horatii § 8.

[2] Vid. supra p. 371. sq.

[3] Cap. 46.

Ubi Scholiastes Cruquianus haec annotavit: « *Titius Septimius lyrica carmina et tragoedias scripsit Augusti tempore, sed libri eius nulli extant, huius autem insigne monumentum est infra Ariciam,* » cui scholio multi VV. DD. adeoque Cl. Weichertus [1] fidem habuerent. Sed recte alii negarunt, Horatii tempore Romanis hominibus duo nomina gentilicia fuisse, ut erant saepe hominibus Italicis, postea civibus quoque Romanis [2], itaque inter utrumque distinguendum esse censuerunt. Torrentius pro: *Titius Septimius*, legendum esse: *Titius Septiminus*, coniecit. Titius autem notior non est, quam Septimius. Plures Titii hoc tempore vixerunt, a quibus tamen hic noster diversus fuerit necesse est [3]. Sed idem esse potuit atque Titius ille, de quo Tibullus Libr. I. Eleg. 4. v. 73.:

Haec mihi, quae canerem Titio, Deus edidit ore, cet.,

uti Broukhusius, Heynius aliique censuerunt. Est scholion, apud Barthium [4], ad Libr. I. Epist. 13. v. 14, ubi Horatius villico suo auctor est, ne mandata deferat ad Augustum,

Ut vinosa glomus furtivae Pyrrhia lanae,

quod sic se habet: «*apud Ticium poëtam introducitur Pyrrhia, furans lanam dominae suae,* » ubi Barthius: *Licinium* [5], Pricaeus [6]: *Ticidam*, legebat, Broukhu-

[1] Poet. Lat. Rel. In Capite de *Titio Septimio*.

[2] Vid. Drakenborchius ad Livii Libr. I. c. 40., Libr. IX. c. 26., Libr. XXII. c. 42., Libr. XXIII. c. 6. et 7.

[3] Vid. Wielandus et Weichertus l. l. p. 372.

[4] Advers. Libr. XXXVII. c. 22.

[5] De quo Gellius Libr. XV. c. 24.

[6] Ad Apulei Apol. p. 105. Edit. Bosschae.

sius [1] nostrum Titium cogitabat. Annotat autem Scholiastes Cruq.: (*Pyrrhia*) *nomen est ancillae in quadam fabula Titinii,*» quare pro Titii, Titinii nomen substituendum esse videtur [2].

Erat Titius in comitatu Tiberii Neronis, ut erat Septimius, erant quoque Iulius Florus, Munatius et Celsus Albinovanus, quare hoc in loco potissimum de iis agemus, etiamsi in Epistolis demum prodeant.

Floro, dum aberat cum Tiberio, Epistolam inscripsit Horatius Libr. I. 3.:

> Iuli Flore, quibus terrarum militet oris
> Claudius Augusti privignus, scire laboro.
> Thracane vos Hebrusque nivali compede vinctus;
> An freta vicinas inter currentia turris [3];
> Au pingues Asiae campi collesque morantur?
> Quid studiosa cohors operum struit?

et paullo post vs. 20. sqq.:

> ipse qnid audes?
> Quae circumvulitas agilis thyma? non tibi parvum
> Ingenium, non incultum est et turpiter hirtum.
> Seu linguam causis acuis; seu civica iura
> Respondere paras; seu coudis amabile carmen:
> Prima feres edcrae victricis praemia. quod si
> Frigida curarum fomenta relinquere posses;
> Quo te caelestis sapientia duceret, ires.

Annotat Porphyrion: «*Hic Florus fuit Satirarum*

---

[1] Ad Tibullum p. 92.

[2] Perperam Fabricius aliique eum Vectium cognominant, propter locum Q. Sereni Sammonici v. 1046. c. LIX., ubi mendose pro: *necti*, legebatur: *vecti*.

[3] Miror, Bentleinm in textum recepisse *terras*. Cf. Strabo Libr. XIII. p. 591.

Scriptor, cuius sunt Electae [1] *ex Ennio, Lucilio, Varrone, cet.*» Satirarum scriptorem eum non fuisse, e Libri II. Epist. 2., quae illi quoque inscripta est, vs. 59. sqq.:

> Carmine tu gaudes: hic delectatur iambis:
> Ille Bioncis sermonibus, et sale nigro,

dubito an minus recte, collegit Wielandus. Electas scripsit, id est loca insigniora ex Ennio, Lucilio ceterisque excerpsit. Electae sunt, quas Cicero Eclogarios, eademque ἄνθη vocat [2], Plinius Secundus Electa [3]. Carmina ipse quoque amatoria scripsisse videtur, propter Horatii verba vs. 24.:

> seu condis amabile carmen.

Cognomen Flori ad gentem Aquiliam pertinet, et legitur in nummis aetatis Horatii nomen Lucii Aquilii Flori; quare Marcilius, quem vero non vidi, pro: *Iuli Flore*, apud Horatium: *Luci Flore*, substituere volebat. Negavit Dacerius, ullum Aquilium Florum a. 734., quum Horatius scripserit ad Iulium Florum, superstitem fuisse [4], sed contrarium ex nummis probavit Massonus [5]. Nihil tamen mutandum est. Fuit

---

[1] Casaubonus de Sat. Graec. poësi, Paris. 1605., p. 295., legit: *Sublectae*, quod sensum iungo diversum efficit.

[2] Cicero ad Atticum Libr. XVI. Epist. 2. et 11.

[3] Libr. VIII. Epist. 21. Sed diversi sunt Plinii maiuris Electorum commentarii, de quibus vid. Plinius Secundus Libr. III. Epist. 5.

[4] Ita collegerat ex loco Dionis Libr. LI. c. 2. Cf. Suetonius in Vita Aug. c. 13.

[5] In Vita Horatii p. 290. De nummis L. Aquillii Flori III. Viri A. A. A. F. F., sub Caesare Augusto, vid. Fulv. Ursinus, Fam. Rom. p. 29., Haverkamplus in Morellii Thes. T. II. p. 33. sq.

enim illo tempore Iulius Florus, Latronis discipulus [1], Galliarum, teste Quintiliano [2], in eloquentia princeps, quem a nostro Iulio Floro diversum non fuisse iamdudum multi opinati sunt. Is autem, ut multi alii, civitatem Iulii Caesaris beneficio adipisci potuit, eiusque nomen sibi assumere. Laus eloquentiae ab Horatio quoque illi tribuitur vs. 23.:

Seu linguam causis acuis.

tum iuris scientiam, quae in comite principis utilissima esse debuit, vs. eodem:

seu civica iura
Respondere paras.

Miror, Weichertum non distinxisse hunc ab altero Iulio Floro, rebellionis Trevirorum a. 774., acerrimo exstimulatore [3].

Florus autem non erat ex iis, qui Ennium, Lucilium ceterosque veteres unice probarent, Horatium enim quanti fecerit, satis apparet ex Libr. II. Epist. 2., illi inscripta:

Flore, bono claroque fidelis amice Neroni, cet.

Excusat enim Horatius tarditatem suam, qui Floro Carmina promissa, quamvis rogatus, nondum mittat. Causatur aetatem, strepitum urbis, alia, v. 55. sqq.:

---

[1] De quo Plinius Nat. Hist. Libr. XX. c. 14. Sect. 57., Quintilianus Instit. Orat. Libr. IX. c. 2. § 91., Libr. X. c. 5. § 18.

[2] L. l. Libr. X. c. 3. § 13. De eo quoque Seneca Controv. Libr. I. Praef. p. 55. sqq., Libr. IV. Praef. p. 233. et Controv. 25. p. 249. Ed. 1649.

[3] Tacitus Annal Libr. III c. 40.

Singula de nobis anni praedantur euntes;
Eripuere iocos, venerem, convivia, ludum;
Tendunt extorquere poëmata. quid faciam vis?
Denique non omnes eadem mirantur amantque.
Carmine tu gaudes: hic delectatur iambis:
Ille Bionels sermonibus, et sale nigro.
Tres mihi convivae prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.
Quid dem? quid non dem? renuis quod tu, lubet alter:
Quod petis id sane est invisum acidumque duobus.
Praeter caetera, me Romaene poëmata censes,
Scribere posse, inter tot curas totque labores?
Hic sponsum vocat, hic auditum scripta, relictis
Omnibus officiis: cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Aventino. visendus uterque:
Intervalla vides humane commoda. verum
Purae sunt plateae, nihil ut meditantibus obstet.
Festinat calidus mulis gerulisque redemtor:
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum:
Tristia robustis luctantur funera plaustris:
Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus.
I nunc et versus tecum meditare canoros.

Sed bonus Horatius suam ita negligentiam excusat, ut simul Carmen, quod Florus desiderabat, hac pulcherrima eaque longissima Epistola compenset. Fuit, qui fucum facere conatus sit lectoribus Horatii, Carmen a se ipso confictum, pro Horatiano, Iulio Floro inscripto, illis obtrudens. Legebatur illud, cum altero, spurio quoque, ad calcem Libri I. Carminum, in Codice MS. Bibliothecae Palatinae, primumque edita fuerunt a Villoisono in animadversionibus ad Longum [1].

[1] P. 311. sq. anno 1778. Quare legi non possunt in Horatii Editione, quae Pragae prodiit, a. 1760., ut testatur Mitscherlichius, Prol. p. CLII., id quod rectissime observavit Vanderburgius T. I. p. 356. sq. De Carmine ad Iulium Florum vid Cl. Peerlkampius in Edit. Horatii p. XXVII. sqq.

Mox vero pro spuriis agnita fueruut. Sed redeundum adhuc est ad priorem Epistolam, in cuins fine ita Horatius vs. 30.:

> Debes hoc etiam rescribere, Si tibi curae est,
> Quantae conveniat, Munatius; an male sarta
> Gratia nequicquam coit, et rescinditur; ac vos
> Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat,
> Indomita cervice feros? ubicumque locorum
> Vivitis, indigni fraternum abrumpere foedus,
> Pascitur in vestrum reditum votiva invenca.

MUNATIUS, quocum fraterno foedere iunctus erat Iulius Florus, quod perperam Scholiastes Cruquianus aliique ita interpretati sunt, quasi fuerint fratres naturales, nusquam alibi ab Horatio commemoratur; nisi, ut equidem censeo, sit Plancus ille Carminis 7. Libri I., quem non esse Lucium illum Munatium Plancum, desultorem partium, supra [1] probavimus. Quod si statuimus, Carmen laudatum fiet multo facilius ad intelligendum, quam si alterum Plancum cogitamus. Inscriptum enim est iuveni, uon ita diu ex Graecia Asiaque in patriam reduci, quem modo, ut est in vs. 19. et 20., fulgentia signis castra tenuerant. Haec in Munatium, a. 734. Tiberii Neronis comitem in expeditione contra Armeniam, recte cadunt, quamvis tristitiae, qua laborabat, solatur enim illum Horatius et erigere conatur, causam prorsus ignoramus. Is autem, qui a. 734. aetate erat militari, consulatu fungi potuit a. 766., id quod supra de Planco suspicati fuimus. Disseusionis causam inter illum et Iulinm Florum nou significavit Horatius, nec nos divinando assequi tentabimus.

[1] Pag. 316. sqq.

Pauca quoque, vel nihil dicam, de CELSO nota sunt, cuius in eadem Epistola Libri I. 3. fit mentio vs. 15. sqq.:

> Quid mihi Celsus agit? monitus, multumque monendus,
> Privatas ut quaerat opes, et tangere vitet
> Scripta, Palatinus quaecumque recepit Apollo:
> Ne, si forte suas repetitum venerit olim
> Grex avium plumas, moveat cornicula risum
> Furtivis nudata coloribus.

Bibliothecam in templo Apollinis Palatini Caesar Octavianus publicaverat a. 726 [1]. Recipiebantur in eam cum veterum scripta, tum quoque recentiorum [2], qui ne sua repetitum venirent inprimis Celso cavendum erat.

Celsus hic idem profecto est atque Celsus Albinovanus, cui Libri I. Epistolam 8. inscripsit Horatius:

> Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano,
> Musa, rogata, refer comiti scribaeque Neronis.
> Si quaeret, quid agam, dic, multa et pulchra minantem,
> Vivere nec recte, nec suaviter: cet.

Tangit illum lepidissime admonetque insolenti fortuna, ut videtur, superbientem vs. 13. sqq.:

> Post haec, ut valeat; quo pacto rem gerat et se,
> Ut placeat Iuveni, percontare utque cohorti.
> Si dicet, Recte: primum gaudere, subiude
> Praeceptum auriculis hoc instillare memento;
> Ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus.

Fuerunt, qui Celsum distinxerint a Celso Albino-

[1] Dio Cassius Libr. LIII. c. 1.

[2] Horatius Libr. II. Epist. 1. v. 216. sq., Ovidius Trist. Libr. III. Eleg. I. v. 65. sqq.

vano, cuius rei idoneam causam non video. Sed diversus profecto hic est a Pedone Albinovano, cui Ovidius Epistolam ex Ponto Libr. IV. 10. inscripsit [1], id quod suspicatus fuit Dacerius.

Septimium, Titium, Florum Celsumque, Tiberii in Asiatica expeditione comites, disiungendos non esse censuimus. Iam vero, ex instituto nostro, absolvendum est de iis Horatii familiaribus, qui in Odarum libris commemorantur.

Quintius Hirpinus prodit in Libri II. Carm. 11., quod, quam multas magnasque habeat difficultates ad interpretandum, iam supra vidimus [2]. Est praeterea ipsum Quintii Hirpini nomen suspectum. Nemo enim e gente Quintia illo cognomine appellatus fuit. Quapropter Fulvius Ursinus nomen *Hirpini* spurium iam habuit, comprobavitque amici cuiusdam sui emendationem, qui *Crispine Quinti* legendum esse censebat [3]. Cogitabat autem hic T. Quintium Crispinum Sulpicianum cs. a. 745. [4], qui vero, cum a. 752. propter adulterium cum Iulia Augusta poenas dederit [5], Horatii aequalis non fuit, ut erat ille Quintius, cui, Libr. II. Carm. 11. vs. 13. sqq., ita Horatius:

---

[1] Vid. vs. 4. et 65. Cf. Libr. IV. Epist. 16. v. 6., Martialis Libr. I. Praef.

[2] Pag. 412. sqq.

[3] Famll. Rom. p. 222. (Romae, 1577.)

[4] De eo Velleius Libr. II. c. 100. Vid. Ursinus l. l., Havercampius in Morellii Thesauro T. II. p. 362. et 614.

[5] Hoc si cogitasset Obbarius V. Cl. non dubitasset, utrum Crispinus Sulpicianus diversus esset nec ne a T. Crispino Valeriano, qui consul fuit a. demum 760. cum P. Lentulo Scipione. Vid. Panvinius Fast. p. 186. (Grut. p. CLXXXVII. n. 12. cl. n. 4., Pigh. T. III. p. 536.) et Havercampius l. l. p. 614.

Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu iacentes sic temere, et rosa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaque nardo

Potamus uncti?

Wielandus opinabatur, aut hunc Quintium, aut unum e maioribus illius, Hirpinum genere, beneficio Quintii cuiusdam, civitatis iura accepisse, adeoque, pro more, eius quoque nomen sumpsisse. Sivrius, Hirpini cognomen a situ praedii Quintii derivabat. Duentzerus [1] per iocum illi ab Horatio impositum fuisse suspicatus est. Scio, lupos Sabinorum lingua dictos fuisse *hirpos* [2], sed tamen iocum non satis capio.

Quintio cuidam Epistolam inscripsit Libri I. 16. Horatius, quem Interpretes fere non diversum fuisse statuunt ab Hirpino Quintio:

Ne perconteris, fundus meus, optime Quinti,
Arvo pascat herum, an baccis opulentet olivae,
Pomisne, an pratis, an amicta vitibus ulmo;
Scribetur tibi forma loquaciter et situs agri. cet.

Sed diversum esse pronuntiavit Obbarius. Quintius homo beatus, bona fama, re satis lauta fuisse videtur, cui Horatius vs. 17. sqq.:

Tu recte vivis, si curas esse quod audis.
Iactamus iampridem omnis te Roma beatum:
Sed vereor, ne cui de te plus quam tibi credas;
Neve putes alium sapiente bonoque beatum.

Multa de Quintii indole Wielandus, Iacobsius, Ob-

[1] *Kritik u. Erkl. d. Oden d. Horaz*, p. 176.
[2] Servius ad Virgilii Aeneid. Libr. XI. v. 785.

barius, Weichertus disputaverunt, quae tamen, cum ex unico fonte Epistolae Horatianae hausta sint, hic describenda esse non puto. Quintium enim aut ex Horatio aut prorsus non cognoscemus.

Postumum quendam, amicum suum, instantis mortis admonet Horatius Libr. II. Carm. 14.:

> Eheu fugaces, Postume, Postume,
> Labuntur anni: nec pietas moram
> Rugis et instanti senectae
> Adferet, indomitaeque morti:

itaque hortatur illum, donec liceat, ut recte fruatur rebus suis v. 21. sqq.:

> Linquenda tellus, et domus, et placens
> Uxor: neque harum, quas colis, arborum
> Te, praeter invisas cupressos,
> Ulla brevem dominum sequetur.
>
> Absumet heres Caecuba dignior
> Servata centum clavibus, et mero
> Tinguet pavimentum superbo
> Pontificum potiore cenis.

Postumus ceteroquin ignotus est, nisi sit ille Postumus, ad quem Propertius Libr. III. Eleg. 10. v. 1. sqq.:

> Postume, plorantem potuisti linquere Gallam?
> Miles et Augusti fortia signa sequi?
> Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
> Ne faceres Galla multa rogante tua?

quem verisimile satis eundem fuisse dicas, qui consul fuit suffectus a. 759., pleno suo nomine C. Vibius Postumus dictus. A. 762. pro consule Illyrici partem

subegit et triumphum meruit [1]. Sitne vero hic Postumus Horatianus, non satis liquet, itaque Interpretes alii negarunt, alii affirmarunt. Sed mira Dacerii opinatio fuit, Postumum a Iulio Floro, de quo modo vidimus, non esse diversum.

TORQUATUM quoque Libr. IV. Carm. 7. mortis futurae admonet Horatius, ut ille, dum liceret, gaudia carpat in diem, securus futuri. Cum semel, inquit Horatius vs. 21. sqq.,

> Cum semel occideris, et de te splendida Minos
> Fecerit arbitria;
> Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
> Restituet pietas.

Enndem ad coenam invitat Libr. I. Epist. 5.:

> Si potes Archiacis conviva recumbere lectis,
> Nec modica cenare times olus omne patella:
> Supremo te sole domi, Torquate, manebo.
> Vina bibes, iterum Tauro diffusa palustris
> Inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum.
> Si melius quid habes, arcesse; vel imperium fer.
> Iamdudum splendet focus, et tibi multa supellex.
> Mitte leves spes et certamina divitiarum,
> Et Moschi causam.

Torquatus quis fuerit, dissentiunt Interpretes. Plures enim Torquati Horatii aequales fuerunt. Fuit L. Manlius Torquatus [2], quo consule a. 689. natus est Horatius. Hunc Cruquius cogitabat, quamvis ille iam mortuus fuisset ante Ciceronem [3]. Filium eius

---

[1] Velleius Libr. II. c. 116., Dio Cassius Libr. LVI. c. 15. Cf. Pighius Annal. T. III. p. 534. et 538.

[2] Vid. supra p. 202.

[3] Cicero in Bruto c. 68.

cognominem esse Horatii Torquatum Dacerius ad Libr. IV. Carm. 7., Wielandus, Thorbeckius [1], Meyerus [2], alii contenderunt. Is vero praetor a. 705. Pompeium in Graeciam secutus [3], in Africa periit a. 708. [4], utique diversus igitur fuit a nostro Torquato. Id ipse quoque Dacerius ad Libr. I. Epist. 5. demonstravit ex Ciceronis Epistola ad Atticum Libr. XIII. 19., ubi declarat Cicero, omnes, quos loquentes introduxerat in libris de Finibus, eo tempore mortuos iam esse [5]. Introduxerat aut L. Torquatum, Epicuri doctrinam tuentem in Libro I. Itaque, loco allato, huius filium, nepotem consulis illius a. 689., excogitavit Dacerius, quem Sanadonus, Vanderburgius aliique secuti fuerunt, quamvis dubium sit, utrum L. Torquatus, praetor, omnino filium reliquerit.

Aliam viam Weichertus [6] est ingressus, arripuitque C. Nonium Asprenatem Torquatum, de quo Suetonius in Vita Augusti c. 43.: «In hoc (Troiae) ludicro C. Nonium Asprenatem lapsu debilitatum, aureo torque donavit: passusque est, ipsum posterosque Torquati ferre cognomen [7],» quem vero non alia de causa induxisse videtur Weichertus, nisi quod alium Torquatum non invenisset, quem in Horatii Carmina inducere posset.

---

[1] Disp. de C. Asinio Pollione p. 71.

[2] Orat. Lat. Fragm. p. 218. Ed. pr.

[3] Cicero ad Atticum Libr. IX. c. 8., Caesar de Bello Civili Libr. I. c. 24., Libr. III. c. 11.

[4] Hirtius de Bello Africano c. 96. Perperam Orosius Libr. VI. c. 16. illum *Catum* vocat.

[5] Cf. quoque Cicero in Bruto c. 76.

[6] De Vario et Cassio p. 301. sqq., secutus Marcilium.

[7] Cf. Dio Cassius Libr. LV. c. 4.

Equidem semper miratus sum, Interpretes non cogitasse Aulum Torquatum, de quo Nepos in Vita Attici c. 11.: «(Atticus) etiam post proelium Philippense interitumque C. Cassii et M. Bruti, — Aulum Torquatum, ceterosque pari fortuna perculsos instituit tueri: atque ex Epiro his omnia Samothraciam subportari iussit,» qui, quam opportune suum locum cum Horatio obtineat, nemo non videbit. Innotuerat ille Horatio in castris Bruti Cassiique; potuit Attici interventu veniam redeundi Romam ab Augusto impetravisse, ibique facundia, quam laudat Horatius Libr. IV. Carm. 7. v. 23., innotuisse, etiamsi eo nomine apud posteros notus non fuerit. Iam genus Torquati, quod honorifice significat Horatius l. l., quam nobile fuerit, neminem latet, quin non alia de causa, puto, Horatius vina, quae Torquato oblaturus erat, ita significavit Libr. I. Epist. 5. v. 4. sq.:

diffusa palustris
Iuter Minturnas Sinuessanumque Petrinum,

(crescebant autem iis in locis nobilissima vina, Caecubum, Falernum, Setinum, alia [1],) quam quod grata eorum locorum commemoratio Torquato futura esset, cuius unus e maioribus cs. a. 415., teste Livio Libri VIII. c. 11., Latinos adeo vicerat «ad Trifanum, (inter Sinuessam Minturnasque is locus est) — ut — dederent se omnes Latini, deditionemque eam Campani sequerentur.» Pietate denique, quam in Torquato laudat Horatius Libr. IV. Carm. 7. v. 24., insignis ille, credo, fuit in patrem A. Torquatum,

[1] Strabo Libr. V. p. 234.

aequalem et amicum Ciceronis, qui praetor fuerat a. 702., postea Pompeium secutus est, denique, hocce superato, Athenis exulavit, suoque infortunio vehementissime fuit afflictus [1].

§ 7.

In Epistolis prodit LOLLIUS, Libr. I. Epist. 2., filius, ut videtur, eius Lollii, de quo supra vidimus [2], cs. a. 733., cui Horatius Libr. IV. Carm. 9. inscripsit:

> Troiani belli scriptorem, maxime Lolli,
> Dum tu declamas Romae, Praeneste relegi:

quo in loco vocabulum: *maxime*, magnam ad interpretandum habet difficultatem. Alii, Lollio cognomen Maximi fuisse statuerunt, quod vero non nisi diu post Lolliorum genti accessit [3]; alii, Lollium natu maximum fuisse inter fratres, quod uti esse potuit, nulla tamen erat causa, quare Horatius illum in initio Epistolae suae ita appellaret; alii denique, ab Horatio magnitudinem animi in Lollio significari, quae vero appellatio non conveniebat adolescentulo, quem Ho-

---

[1] De eo Asconius ad Ciceronis Orat. pro Milone c. 35., Cicero ad Atticum Libr. V. Epist. 4. et 21., Libr. VI. Epist. 1., Libr. VII. Epist. 14. et Libr. IX. Epist. 8., ad Diversos Libr. VI. Epist. 1.—4., de Finibus Libr. II. c. 22., e quo loco clare apparet, A. Torquatum non fuisse fratrem L. Torquati filius, quocum profectus est ad Pompeium, id quod Ernestius statuerat, uti bene ostendit Orellius. Hic vero sine causa A. Torquatum, qui memoratur in Epistola ad Atticum Libr. IX. 8. seiungit ab altero, qui ceteris in locis, vid. Madvigius ad Ciceronis Libr. II. de Finibus c. 22.

[2] Pag. 262. et 420. sq.

[3] Massonus in Vita Horatii p. 265.

ratius praeceptis vitae bene agendae erat instituturus, ut adeo incertum maneat, quid de ea appellatione sit statuendum. Cognomen Lollii, quam fere Interpretes, Torrentium ducem secuti, Palikani fuisse statuerunt, fuisse Paullini, Obbarius docuit [1]. Fueritne vero ipse, an unus e fratribus, pater illius Lolliae Paullinae, Caligulae uxoris famosae, neptis M. Lollii consularis [2], non constat et omnino de Lollii conditione prorsus ignari sumus. Sed constat de liberrimo eius ingenio, deque indole, vel a specie adulationis aversa, ex altera Horatii ad illum epistola Libr. I. 18.:

> Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
> Scurrantis speciem praebere, professus amicum.

ubi ab Horatio, experto magistro, docetur, quemadmodum inter potentiores vel adeo in aula principis versans, integritatem tamen animi libertatemque servare possit. Ex eadem epistola vs. 55. sqq. apparet, Lollium sub Augusto in Hispania militasse:

> Militiam puer et Cantabrica bella tulisti
> Sub duce, qui templis Parthorum signa refigit
> Nunc; et, si quid abest, Italis adiudicat armis.

---

[1] Fuse docteque, pro more suo, de eo cognomine disputat in Horatii Epist. Edit. Fasc. II. p. 133. Addam de meo locum e Sexti Rufi Breviario c. 11., qui ita legitur in Cod. Burm.: «*Eam* (*Galatiam*) *primus M. Lolius paulinus administravit*,» pro vulgato: «*Lollius pro praetore*,» (vid. Verheykii Edit. Eutropii,) quae lectio profecto orta non est ex errore librariorum.

[2] Plinius Nat. Hist. Libr. IX. c. 35. Sect. 58., Tacitus Annal. Libr. XII. c. 1., Suetonius in Vita Caligulae c. 25., in Vita Claudii c. 26., Dio Cassius Libr. LIX. c. 12. et 23., Solinus c. 53., ibique Salmasius p. 826.

tum quoque fratrem illi fuisse, de quo vero aeque ignari sumus atque de Lollio ipso:

> Quamvis uli extra numerum fecisse modumque
> Curas, interdum nugaris rure paterno.
> Partitur lustris exercitus: Actia pugna,
> Te duce, per pueros hostili more refertur:
> Adversarius est frater; lacus Hadria: donec
> Alterutrum velox victoria fronde coronet.

Lacum, in quo Lollius cum fratre Actiacam pugnam referebat, Lucrinum fuisse, haud male coniecit Capmartinius [1] ex Ausonii Id. X. v. 208. sqq.:

> Tales Cumano despectat in aequore ludos
> Liber,
>
> Quum Venus, Actiacis Augusti laeta triumphis,
> Ludere lascivos fera proelia iussit amores,
> Qualia Niliacae classes Latiaeque triremes
> Subter Apollinea gesserunt Leucados arce,

ut adeo Ausonii adhuc temporibus eiusmodi ludos edi solitos in eo fuisse appareat.

Numicio Libr. I. Epist. 6. inscripsit Horatius:

> Nil admirari, prope res est una, Numici,
> Solaque quae possit facere et servare beatum.

quocum vero simul absolvi, quum prorsus nihil de Numicio innotuerit. Neque admodum clara Numicia gens, quamvis patricia, fuit.

Eadem res est cum Bullatio ad quem Libr. I. Epist. 11. Horatius dedit:

> Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos?

---

[1] *Abbas* Capmartin de Chaupy, in *Découverte de la maison de Campagne d'Horace*, T. I. p. 298.

qui vero varias Interpretum sententias de Bullatii indole moribusque, fueritne homo morosus, sua ipsius conditione sive reipublicae statu non contentus, an vero locorum notorum taedio captus, in novos peregrinaturus, seu denique in Oriente degens, ab Horatio, iussu Augusti, invitatus, ut in patriam rediret, qui eas discere velit, adeat Cl. Obbarium, qui omnes omnium in sua Epistolarum Horatianarum editione collegit.

Rogat Horatius Libr. I. Epist. 15. VALAM, amicum suum:

> Quae sit hiems Veliae, quod caelum, Vala, Salerni,
> Quorum hominum regio, et qualis via:

Vala in omnibus fere MSS. vocatur C. Numonius Vala. Est autem denarius *C. Numonii Vaalae*, in cuius altera parte vir pugnans pro vallo, cum voce *Vaala*, est expressus [1]. Is originem cognominis Valae illustrare videtur, sive illud noster Vala, sive unus e maioribus primus accepit. Fuit Numonius Vala, legatus Quintilii Vari, qui a. 763. in Germania cum exercitu periit [2]. Hic vero propter aetatem vix noster Vala esse potest. Sed reperta est Philis, Aegypti oppido in Thebaide, in templo Isidis, inscriptio Latina [3]:

L . TREBONIVS
ORICVLA . HIC . FVI.
C . NVMONIVS . VALA
HIC . FVI
IMP . CAESARE . XIII . COS.
A . D . VIII . K . APRILES.

[1] Fulv. Ursinus Fam. Rom. p. 178., Spanhemius de Praest. et Usu Numism. T. II. p. 228. sq.

[2] Velleius Libr. II. c. 119.

[3] Letronnius in *Journ. d. Savants*, 1843. p. 466.

quae Numonii Valae, Horatii familiaris, esse potest, ut is adeo, d. VIII. a. K. Apr. a. 752., locum illum cum Trebonio adierit.

Agmen amicorum claudit SCAEVA, aeque ignotus, quem vero pulcherrima Epistola Libr. I. 17., donavit Horatius:

> Quamvis, Scaeva, satis per te tibi consulis, et scis,
> Quo tandem pacto deceat maioribus uti;
> Disce, docendus adhuc quae censet amiculus: ut si
> Caecus iter monstrare velit: tamen aspice, si quid
> Et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur.

Scaevam equitem fuisse Romanum, tradunt Scholiastae [1]. Nomen illi *Lollii Scaevae* dant Acron et Porphyrion. Perperam. *Scaeva* enim Iuniorum et Cassiorum, non Lolliorum cognomen, uti recte monuit Torrentius. Error ex eo natus fuit, quod hanc Epistolam cum sequenti ad Lollium, in unam coniunxerant librarii.

§ 8.

Amicis subiungam sodales Horatii, convivas, compotatores, in amicorum censum non temere admittendos. Inter illos prodit THALIARCHUS [2], cuius nomen sitne verum an fictum, an muneris, ut idem sit atque *συμποσίαρχος*, dissentiunt Interpretes.

Alter designatur a sorore, Opuntiae frater MEGILLAE [3]. Soror autem Megilla notior non est quam frater, cuius nomen tacetur, sed procul dubio, inter

---

[1] Fuit Scaeva, vir fortissimus in exercitu Caesaris, vid. de Bello Civili Libr. III. c. 53.

[2] Libr. I. Carm. 9.

[3] Libr. I. Carm. 27. v. 9. sqq.

Cinaras Cytheridesque, virorum epulas frequentare solitas, est referenda.

XANTHIAS, Phoceus, captus erat amore PHYLLIDIS ancillae suae. Id ne sibi dedecori ducat, hortatur Horatius Libr. II. Carm. 4. Scilicet, si quis ancillae amore tenebatur, id turpe ducebant Romani eumque virum humilis et sordidae libidinis, ancillariolumque vocabant. Ita Ovidius [1], quamvis ipse idem in Cypasside passus fuisset, ita Seneca [2] et Martialis [3]. Casune vero an consilio factum est, ut Xanthiae nomen servile contigerit. Xanthiae enim nomen, ut Tibii, Sosii, Davi Getaeque servorum propria fuisse testatur Aristophanis Scholiastes [4].

Sequens Carmen Libr. II. 5.:

> Nondum subacta ferre iugum valet
> Cervice, nondum munia comparis
> Aequare, nec tauri ruentis
> In venerem tolerare pondus.

in Cod. Turic. GABINIO est inscriptum, quem igitur inter Horatii sodales recipiemus. Erat autem puella, cuius amore tenebatur Gabinius, nondum matura viro, iam vero, inquit Horatius vs. 15. sqq.:

> iam proterva
> Fronte petet Lalage maritum:
>
> Dilecta quantum non Pholoë fugax,
> Non Chloris: albo sic humero nitens,
> Ut pura nocturno renidet
> Luna mari, Cnidiusve Gyges:

---

[1] Amorum Libr. II. El. 8. v. 9. sq. Cf. El. 7. v. 19. sqq.

[2] De Benef. Libr. I. c. 9.

[3] Libr. XII. Epig. 58.

[4] Ad Acharn. v. 242.

Lalagen, Pholoën, Chloridem, hodie ignoramus [1]. Suam quoque habuit Horatius Lalagen, de qua infra agemus. Pholoës saepius fit mentio. Ita Libr. I. Carm. 33. v. 6. sqq.:

> Insignem tenui fronte Lycorida
> Cyri torret amor: Cyrus in asperam
> Declinat Pholoën: sed prius Appulis
> Iungentur capreae lupis,
>
> Quam turpi Pholoë peccet adultero.

Lycoris alibi non prodit, Cyrum vero, ut Pholoë, ita Tyndaris quoque aspernabatur [2], ut infra videbimus. Matrem Chloridem, a superiore diversam, patrem, sive vitricum, Ibycum Pholoë habebat [3]. Ipsa usque adeo capta erat amore Nothi, hominis ignoti, cuius nomen fictum ab Horatio videtur, ut eius fores effregerit, quemadmodum Lydia Horatii [4]; cuius rei, nostris moribus minus usitatae, exempla apud veteres Bentleius collegit. Eadem autem Pholoë, siquidem recte eandem cogitant Broukhusius, Ianius, aliique in Tibulli Libr. I. Eleg. 9., Marathum quoque alterum amatorem, misere vexavit, quem a nostro Cyro diversum non esse Golberius censuit. De Gyge Porphyrion annotat: « *de huius pueri pulchritudine etiam Ovidius locutus est*, » cuius vero nomen hodie non legitur in Ovidii Carminibus, quare haud male

---

[1] Notabile est scholion Cruquianum ad Carmen allatum: « *Haec nomina: Lalage, Pholoë, Chloris, pro exemplis posuit.* »

[2] Libr. I. Carm. 17. v. 24. sq.

[3] Libr. III. Carm. 15. v. 1.

[4] Libr. III. Carm. 9. v. 19. sq. Nisi potius, l. l. v. 20., cum Cl. Peerlkampio pro: *reiectae*, legimus: *reiecto.*

Gesnerus coniecit, Scholiasten cogitasse Metam. Libri VIII. v. 322. sq., ubi est de Tegeaea:

facies, quam dicere vere
Virgineam in puero, puerilem in virgine possis.

et alterum locum, ibid. Libr. IX. v. 711. sqq. de Iphide:

facies, quam sive puellae,
Sive dares puero, fieret formosus uterque.

qui recte cum Horatiano de Gyge, v. 21. sqq. conferri possunt:

Quem si puellarum insereres choro
Mire sagaces falleret hospites
Discrimen obscurum, solutis
Crinibus, ambiguoque voltu.

Diversum ab hoc alterum GYGEN puto, cuius absentiam ASTERIE moerebat, quam Horatius erigere conatur Libr. III. Carm. 7. Illum deperibat CHLOE, Oricina, diversa ab illa, de qua modo vidimus, monet autem Horatius Asteriën, ut, ad instar Gygis, fidem servet, Enipeum amatorem ne audiat. Nomen ENIPEO, fictum credo, fluminis [1] dedit, uti quoque HEBRO, in eiusdem Libri Carm. 12., NEOBULAE inscripto. Sed ego semper miratus sum, Gygen, magistrum navis et mercatorem, adeo fuisse in Horatii familiaritate, ut hic vel absentis curam gesserit eiusque amores cordi habuerit. Alias enim Horatius, ut cives quoque eius [2], id genus hominum non tanti fa-

[1] Macedoniae, Livius Libr. XLIV. c. 8. et 20., Thessaliae, Strabo Libr. VIII. p. 357., Libr. IX. p. 432.

[2] Cicero pro lege Manilia c. 5.: «Maiores vestri saepe, mercatoribus ac navicularüs iniuriosius tractatis, bella gesserunt.»

ciebat, quos vel cum institoribus, eo tempore despectissimis, componit Epod. XVII. v. 20., ubi Varius ad Canidiam:

Amata nautis multum et institoribus.

tum quoque Libr. III. Carm. 3. v. 29., ubi de matrona Romana contumeliose:

iussa coram non sine conscio
Surgit marito; seu vocat institor,
Seu navis Hispanae magister,
Dedecorum pretiosus emtor.

quare Carmen laudatum e Graeco fuisse expressum puto, paullo tantum inflexum, ut campum Martium fluviumque Tiberim Graeco cuidam campo fluvioque substituerit Horatius [1]. Eademque ratio est alterius Carminis 12., Neobulae inscripti, captae amore in Hebrum, quorum nomina ceteroqui non leguntur apud Horatium [2]. Ita vero ab una ad alteram puellam earundemque amatores eram progressurus, relictis Horatii sodalibus, quibus hunc proprium destinaveram locum.

TELEPHUS, quamvis non sua culpa, Horatii amoribus obfuisse videtur. Phyllidem Horatius Libr. IV. Carm. 11., finem suorum amorum, uti loquitur vs. 31. sq., (unde recte colligimus, illum aetate iam provectiore illud Carmen composuisse,) secum in villam abducere cupiebat. Haec autem amore in Telephum tenebatur, quem illi expellere conatur Horatius. Ita

[1] Torrentius Libri III. Carm. 7. declamationem esse censebat. Confert Senecae Controv. Libr. II. 15.

[2] Cf. Buttmannus *Mythologus* T. I. p. 315. Vanderburgius et Orellius Oden ad Neobulen, *μονολόγον* esse censent.

Lydia antea, summo cum Horatii cruciatu, Telephum deperibat [1], quamvis dissentiant Interpretes, utrum idem hic atque alter ille Telephus fuerit, an diversus, qua de re nuper multum Teuffelius et Weberus disputaverunt. Idem si fuit, habebat profecto quod gauderet Telephus, quem RHODE quoque petebat, cuius semel tantummodo fit mentio, Libr. III. Carm. 19. v. 25. sqq. Telephus autem subtilioribus antiquitatis investigationibus deditus erat [2], quare Horatius eum hortatur, ut coenam curet, cuius effusam hilaritatem describit vs. 18. sqq.:

Insanire iuvat: cur Berecyntiae
Cessant flamina tibiae?
Cur pendet tacita fistula cum lyra?
Parcentis ego dexteras
Odi: sparge rosas: audiat invidus
Dementem strepitum Lycus,
Et vicina, seni non habilis Lyco.

Quem LYCUM, quare ita in transitu carpserit Horatius, non apparet. Telephus autem, ad vs. 1., Graecus poëta ab Acrone, incertum quo iure, vocatur.

Cum Telepho PYRRHUM componam, quem in sequenti Carmine Libr. III. 20. ita alloquitur Horatius:

Non vides quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?
Dura post paullo fugies inaudax
Proelia raptor:

Cum per obstantis iuvenum catervas
Ibit insignem repetens Nearchum:
Grande certamen, tibi praeda cedat
Maior an illi.

[1] Libr. I. Carm. 13.

[2] Cf. supra p. 213. sq.

de quo vero, ut neque de NEARCHO, quid dicam prorsus non habeo. Carmen e Graeco expressum esse puto.

Subiungam denique BUTRAM, SEPTICIUM et SABINUM, quos una cum Torquato, ad coenam invitaturus erat Horatius Libr. I. Epist. 5. v. 26. sqq.:

> Butram tibi Septiciumque
> Et, nisi cena prior potiorque puella, Sabinum,
> Detinet, adsumam.

ubi olim legebatur: *Brutum-Septimiumque*, Bentleius vero *Butram-Septiciumque* legendum esse ex Cicerone [1] et inscriptionibus [2] probavit. Sabinum, alii cogitaverunt esse Aulum Sabinum, Ovidii familiarem [3], cui diu Heroidum 1., 2. et 5. attributae fuerunt [4], Iahnius vero agnovit Sabinum Tironem, qui Κηπουρικῶν librum, teste Plinio [5], Maecenati dicavit.

---

[1] In Verrem Libr. III. c. 14.

[2] Vid. Gruterus p. MLXXI. n. 4.

[3] Ex Ponto Libr. IV. Epist. 16. v. 13.

[4] Sunt vero Angeli Quirini Sabini, scriptae circa a. 1467.

[5] Nat. Hist. Libr. XIX. c. 10. Sect. 57.

CAPUT NONUM.

HORATII AMORES.

Est sanc argumentum, in quo versabimur, per se minime grave, nec iniucundum. Dicendum enim erit de Horatii amoribus, quos gratissimis iucundissimisque coloribus nobis depinxit. Prodeunt dulce ridens Lalage, proterva Glycera, Lycoris tenui fronte, Lydia candida cervice insignis, Pyrrha simplex munditiis, Chloë dulces docta modos et citharae sciens, prodit, verbo, puellarum chorus, qualem poëta nullus praeterea suis carminibus induxit. Audimus suspiria, susurros, querelas, reconciliationes. Cum Neaera, propter perfidiam, conquerimur; in gratiam cum Lydia redimus; festum agimus cum Damalide et Cinara; rusticamur cum Tyndaride et Phyllide. Sunt proelia virginum, sunt amplexus, oscula nectare Veneris imbuta, sunt ludi innumeri, risus iocique, quibus, si quis non movetur, erit ille perfectus sapiens e Xenocratum disciplina profectus.

Verum idem argumentum tot tantisque quaestionibus agitatum est a VV. DD.; amaveritne Horatius

omnes illas puellas, quas cecinit, an vero nonnullas tantum ex iis; celebraveritne eas sub proprio nomine, an sub ficto; nominaveritne unam eandemque uno semper eodemque nomine, an diversis nominibus; quibus temporibus et quibus in locis singulas amaverit, et quoties, offensione interposita, redierit ad veterem amorem; sintne inter puellas, quae prodeunt in carminibus, fictae quaedam, an omnes verae personae habendae; sintne quaedam inter carmina amatoria expressa e Graecorum poëtarum carminibus; verbo, quoque vertas, tot in eo sunt quaestiones, dubitationes, dissensiones, ut nullum argumentum hodie magis siccum sit aridumque.

Sed hoc gaudeo, quamvis non eiusdem constantiae in amore fuerit Horatius, qua in amicitia fuit, quod in eo tamen quoque cavit, ne quid committeret, cuius eum merito arguere possemus. Amavit puellas, nisi omnes quas celebravit, at bene multas; ipse sibi obiicientem mille puellarum amores [1] inducit Damasippum; sed amavit libertinas, quarum conditio moresque quales fuerint illis temporibus, nemo verius exposuit accuratiusque quam Walckenaerius, qui quoque, ut Francicus, de tota Horatii amorum ratione iucundissime et elegantissime disputavit [2]. Nec in eo quidquam Horatius fecit praeter morem; nihil nisi permissum vel a gravissimis severissimisque viris [3]. Matrimonii vero sanctitatem numquam violavit; acerbissime in moechos in Libri I. Sat. 2. est

---

[1] Libr. II. Sat. 3. v. 325.

[2] *Histoire d'Horace*, T. I. p. 98. sqq.

[3] Vid. supra p. 255.

invectus; ex adulteriis morum corruptelam, reique publicae incommoda in Libri III. Carm. 6. deduxit; idque aperte, quamvis, procul dubio, haud ignorans, quantopere ipse Caesar Augustus adulterii crimine teneretur [1].

Taedet me quidem pigetque, sed tamen cum nihil de meo habeam, quo inter tot tantasque dissensiones, quas modo vidimus, pronuntiare possim, satis habebo breviter varias sententias referre eorum, qui data opera de Horatii egerunt.

Primus, quod sciam, inter eos est Francicus quidam, qui nomen suum tacuit, in peculiari libello [2]. Inter puellas Horatii primum locum dat CINARAE [3] rapaci, cui vel immunis Horatius placebat. Secuta est LYDIA, inconstans, quae, quum mox Sybarin [4], postea Telephum [5], denique Calain [6] Horatio praeferret, hic CHLOËN [7] adiit, quam vero brevi postea reliquit, seque denuo ad Lydiam contulit. Telephus interea Chloën deperibat [8], quam Horatius, cum Lydiam fastidiret [9], ei eripere, sed frustra [10], est co-

---

[1] Suetonius in Vita c. 69.

[2] *Les amours d'Horace.* Cologne. 1728.

[3] Libr. I. Carm. 1. v. 3. sq., Carm. 13. v. 20. sqq., Libr. 1. Epist. 7. v. 27. sq., Epist. 14. v. 33.

[4] Libr. I. Carm. 8.

[5] Libr. I. Carm. 13.

[6] Libr. III. Carm. 9. v. 13. sqq.

[7] Ibid. v. 5. sqq., v. 19. sq., Libr. I. Carm. 23. et Libr. III. Carm. 26. v. 12.

[8] Libr. III. Carm. 19. v. 25. sq., ubi ante Bentleium legebatur: *Chloë.*

[9] Libr. 1. Carm. 25.

[10] Libr. I. Carm. 23., Libr. III. Carm. 26.

natus. PYRRHAM [1] post eam, LALAGEN [2], MYRTALEN [3], INACHIAM [4], anum illam libidinosam, nigris dignissimam barris [5], deinceps amavit. Tum LYCISCUM [6], nam puerorum quoque amores Horatio scriptor ille imputavit. Deinde LYCEN, nuptam saevo viro [7], qui vero PIERIA pellice saucius erat [8], ut adeo reus adulterii factus fuerit Horatius. Sed prorsus fallitur ea in re Francicus noster, siquidem viri nomen libertinae quoque amatoribus dare solebant, uti ex Ovidio aliisque poëtis notissima res est. Hanc, quamvis Penelope non esset, nata patre Tyrrheno [9], quum

---

[1] Libr. I. Carm. 5.

[2] Libr. II. Carm. 5., Libr. I. Carm. 22. v. 10. Est scholion ad hunc locum Porphyrionis: «*Canto Lalagen*) *compono scil. librum Lalagen. Ita liber Sexti Decii Collyra inscribitur eo, quod de Collyra amicus scriptus sit. Etiam nos sic plerumque loquimur.*» Schol. Cruq. ibid. (in Cruquii Edit. Horat. p. 689.): «*— Sic et liber Lucilii decimus sextus Collyra inscribitur, eo quod de Collyra amica sua scriptus sit.*» Doct. Heusdius, in libro suo: Studia Critica in C. Lucilium, Cap. X., scholio Cruqniano usus est ad sententiam stabiliendam, Lucilii Satiras olim in duos tantummodo libros fuisse divisas, alterum *Concilium Deorum*, alterum *Collyram* dictum. Sed de Heusdii sententia alibi iam egi.

[3] Libr. I. Carm. 33.

[4] Epod. XI. v. 5. sq., Epod. XII. v. 14. sq. Cf. Ovidius Amorum Libr. III. Eleg. 7. v. 23., Philodemus Epigr. XII. Brunck. Anal. T. II. p. 86.

[5] Epod. XII.

[6] Epod. XI. v. 23. sq.

[7] Libr. III. Carm. 10. Lyce a Graeco λύκη, propter saevitiam, uti censet Bothius.

[8] Ibid. vs. 15. Alii Pieriae nomen proprium, alii gentis esse putant.

[9] De Tuscorum libidine et luxuria vid. Athenaeus Libr. XII. c. 3. p. 517. D. Cf. Muellerus *die Etrusker*, T. I. p. 176. sq.

Carmine παρακλαυσιθύρῳ [1] flectere non potuisset Horatius, postea, cum vetula esset facta, misere laceravit [2], eodem Carmine, quo CHIAM laudibus extulit, virentem et psallere doctam. Horatius autem repulsus a Lyce, LICYMNIAM [3] meretricem, uti visum est Francico, sed breve tempus amavit, mox captus amore TYNDARIDIS, filiae Gratidiae, quam olim iambis suis laceraverat [4], nunc vero, scripta palinodia [5], secum reconciliare studebat. Post in villam suam Tyndaridum [6] abducere conatus est, deinde GALATEAM amavit [7]. Tunc in CHLORIDEM, quam olim lauda-

---

[1] Eiusdem generis exempla affert Dacerius ex Aristophane in Eccles. v. 960. sqq., ex Theocrito Carm. XXIII. Addit Ianius ex Plauto Curcul. Act. I. Sc. 2. v. 60. sqq., ex Propertio Libr. I. El. 16. v. 17. sqq., ex Ovidii Amorum Libr. I. Eleg. 6., ex Tibullo, quamvis minus recte, Libr. I. Eleg. 2. Cf. quoque Callimachi Epigr. XV. in Brunck. Anal. T. I. p. 464. et Persii Sat. V. v. 165. sq.

[2] Libr. IV. Carm. 14. Nomen Chiae legitur in Inscript. Gruteri p. XV. n. 5., p. XLII. n. 5., p. CCCCXI. n. 7., p. DCXLII. n. 9.

[3] Libr. II. Carm. 12.

[4] In Epod. XII. secundum Francicum.

[5] Libr. I. Carm. 16. Gratidiae inscriptum est teste Schol. Cruquiano, ipsi Tyndaridi secundum Acronem et Porphyrionem.

[6] Libr. I. Carm. 17.

[7] Libr. III. Carm. 27. Sanadonus, (cuius sententiam non improbavit Grotefendus in Erschii et Gruberi *Allg. Encyclop.* Sect. II. Tom. X. p. 468.) Galateam censebat esse Leliam [i. Aeliam] Gallam, uxorem Postumi, de quibus Propertius Libr. III. Eleg. 10. Eandem Libr. IV. Eleg. 3. induci putabat sub nomine Arethusae, scribentem ad Lycotan, i. e. Postumum, eo tempore e patria absentem. Idem statuit Burmannus ad Propertii l. l., sed contra Vanderburglus in Horatii Edit. T. II. p. 363. sqq. Postumum autem cum sequi vellet Galla, Carmen allatum scripsit Horatius. Nitschius, teste Vanderburgio l. l. p. 365., cogitabat Octaviam in Orientem profecturam.

verat [1], quod suo amori in eius filiam PHOLOËN obstaret, acerbissime est invectus [2]. MOX LYDEN ad amorem perducere [3], nec sine successu [4], tentavit. BARINEN deinde periuram [5], PHRYNEN [6] PHYLLIDEMque amavit, quam vocat finem amorum suorum [7], secumque, ut in villam proficisci velit, non invitat simpliciter, ut olim iuvenis Tyndaridem, sed multa comminiscens de suo argento, deque splendidis epulis, quae in honorem natalium Maecenatis erat instituturus. Phyllis autem finis amorum Horatii non fuit; postquam enim per Xanthiam [8] abducta fuerat, solatium petiit Horatius a NEAERA [9], quam mox infidelem est expertus, biennio tamen post iterum ad se revocavit [10]. Anno aetatis XLII. rus se contulit, urbem et amores relinquens, quamvis amandi finem

---

[1] Libr. II. Carm. 5. v. 17. sq.

[2] Libr. III. Carm. 15.

[3] Libr. III. Carm. 10.

[4] Libr. II. Carm. 11. v. 21. sqq., Libr. III. Carm. 28.

[5] Libr. II. Carm. 8. Multum variant Codices in scriptura huius nominis. Cruquius legit: *ad Iul. Barinen;* Torrentius: *Iuliae Varinae, meretrici rapaci ac periurae;* Landinus: *ad Iuliam Barinensis. Earinen* Faber substituit propter *Earini* nomen, quod legitur Mart. Libr. IX. Epigr. 12., Stat. Silv. Libr. III. Carm. 4., *Iberinen* Withofius, quod legitur Iuven. Sat. VI. v. 53., unde nomen *Iuliae Barines* ortum esse suspicabatur, quod vero a nomine Βαρίνου deduci potest, (vid Papius in Lex. Nom. pr.) *Barcinen* Cl. Peerlkamplus substituit. *Barsine* nomen erat uxoris Alexandri Magni, vid. Diod. Siculus Libr. XX. c. 20. Cf. supra p. 112.

[6] Epod. XIV. v. 15. sq. Cf. Terentius in Eunucho Act. I. Sc. 2. v. 42., Iuvenalis Sat. VI. v. 53. sq.

[7] Libr. IV. Carm. 11.

[8] Libr. II. Carm. 4.

[9] Epod. XV.

[10] Libr. III. Carm. 14. v. 21. sqq.

nondum fecerit. Anno enim XLVII. incensus fuit amore in GLYCERAM, Tibulli olim, tunc mortui, amicam [1]; triennio post, circa lustra decem, LIGURINUM [2], sed frustra, ad amorem sui perducere est conatus. Sic scriptor ille, quisquis fuit, ordinavit Horatii amores, cuius hoc satis mirari nequeo, quod ne suspicatus quidem fuerit, puellas diversas eadem nomina habere potuisse.

Lectio autem eius libri indignationem movit Lessingio [3], qui quum Horatium ignaviae crimine defenderet, scriptorem quoque modo allatum refutavit. Fatetur quidem Horatium, ceteroquin parcum cultorem Deorum, Venerem assidue coluisse, sed tamen, non modo non amasse omnes puellas, quas celebraverit, verum omnia omnium nomina adeoque omnes earum personas ab eo conficta fuisse contendit [4]. Egregie autem Horatium a puerorum amoris crimine defendit. Lege Iulia, lata a. 735. [5], cautum erat in eos, qui nefanda venere uterentur. Carmen autem Libri IV. 1., in quo suum in Ligurinum amorem Horatius celebravit, scriptum est circa a. 739 [6]. Atqui Horatius palam praedicaturus non erat, se legem a Caesare Augusto latam prorsus nihil curare. Non

---

[1] Libr. I. Carm. 19. et 30., Libr. III. Carm. 19.

[2] Libr. IV. Carm. 1. et 10.

[3] Vid. eius *Rettungen des Horaz*, in Operum Edit. Berolini, 1838, T. IV. Duos eiusmodi libros affert Lessingius, duorum litteratorum Francicorum. Alterum, quem ego quoque vidi, excerpsit, alterum non item. Scripsit Lessingius, ni fallor, Commentationem a. 1754.

[4] L. l. p. 20.

[5] Vid. supra p. 352. Cf. Instit. Libr. IV. Tit. 18. § 4.

[6] L. l. v. 6.

igitur de vero, sed de ficto Ligurino est cogitandum. Ligurini autem persona si ficta fuit, Lycisci quoque fictam, esse recte statuemus.

Nec multum a Lessingio dissensit Buttmannus, in Commentatione de Interpretatione historica et allegorica Carminum Horatianorum [1]. Recte observavit, Lalagen Libr. I. Carm. 22., diversam esse ab altera Libr. II. Carm. 5. Ita quoque Glyceram Libri I. Carm. 19. et 30., ab amica Tibulli in Carm. 33. Non esse unam eandemque Lydiam in Libr. I. Carm. 8., 13., 25. et in Libr. III. Carm. 9 [2]. Lyden, scortum devium Libr. II. Carm. 11., longe distare ab illa in Libr. III. Carm. 11. et 28. Nec alia ratio est puellarum, quas Catullus, Tibullus, Propertius induxerunt. Mirum, quod Heynius Pholoën Tibulli, Libr. I. Eleg. 8., haud diversam habuerit ab Horatiana in Libr. I. Carm. 33., Libr. II. Carm. 5. et Libr. III. Carm. 15. Ne apud Horatium quidem Pholoë fugax eadem atque illa, quae iuvenum domos expugnabat. Nec Chloris, quae componitur cum Pholoë, Libr. II. Carm. 5., eiusdem Pholoës est mater, quae prodit Libr. III. Carm. 15. Omnes autem

---

[1] *Ueber das Geschichtliche und die Anspielungen in Horaz*, in libro suo *Mythologus*, Berol. 1828.

[2] Admodum diversae sunt sententiae Interpretum de Lydia. Tres Lydias ab Horatio commemorari, statuit Wetzelius, teste Duentzero *Kritik u. Erkl. d. Oden d. Horaz.* p. 139., primam Libr. I. Carm. 8., alteram Libr. I. Carm. 13. et Libr. III. Carm. 9., tertiam Libr. I. Carm. 25. Tres quoque Vanderburgius, in Horatii Edit. T. II. p. 81., primam Libr. I. Carm. 8. et 25., secundam Libr. I. Carm. 13., tertiam Libr. III. Carm. 9. Nitschius, teste Duentzero, l. l., Lydiam putabat esse Iuliam Augustam, Sybarin Marcellum. De Grotefendi, aliorumque sententiis mox videbimus.

puellarum personas ab Horatio fictas esse, statuit Buttmannus, unam Cinaram excipiens, quam vere amatam ab Horatio fuisse putat. Censet idem, nomina quoque virorum iuvenumque Graecorum in Carminibus, Thaliarchi, Xanthiae Phocei, Calaidis, filii Thurini Ornyti [1], Liparaei Hebri, Opuntiae fratris Megillae, Cyri, Telephi, puerorum quoque, Lycisci et Ligurini, omnia fictarum esse personarum. Mysten excipit, quippe qui componitur cum viro Romano, Horatii familiari, Valgio; Damalin contra puellam, sibi parum constans, quamvis inducatur in coenam cum Numida, Basso Lamiaque, viris Romanis, fictam personam esse censet [2].

Diversam interpretandi rationem iniit Grotefendus, V. Cl. [3]. Puerorum personae Lycisci et Ligurini sunt fictae [4], puellarum aliae fictae, aliae verae. Cinaram vere amavit Horatius, eandemque sub nominibus Glycerae, Lydiae Lalagesque celebravit, quae nomina eundem syllabarum numerum eandemque quantitatem habent. Hinc sequitur, Cinaram dictam non fuisse rapacem [5] propter avaritiam, sed propter vultum nimis lubricum adspici, quo Glycera erat insignis [6]. Cinara autem prius amaverat CALAIN,

---

[1] Libr. III. Carm. 9. v. 14.

[2] L. l. p. 308. et 314.

[3] In Vita Horatii, in Erschii et Gruberi *Allg. Encyclop.* Sect. II. T. X.

[4] L. l. p 463. b. et 475. b.

[5] Libr. I. Epist. 14. v. 33.

[6] Libr. I. Carm. 19. v. 8. Ita Grotefendus l. l. p. 464. a. Weberus, (in *Neue Jahrb. f. Philol. u. Paedag.* IX. *Suppl. Bd.* p. 248. sqq.,) ostendit Cinaram *rapacem*, l. l., ita non bene componi cum Horatio *immuni*.

Thurini filium Ornyti [1], haud diversum ab illo Sybaride [2], quem amando perdere properabat, uti Dacerii quoque Sanadonique sententia fuerat. Horatius autem, ante Cinaram, Chloën amavit, cuius mentio fit Libr. I. Carm. 23., Libr. III. Carm. 9. et 26., eandem atque Rhoden, Telephi puellam Libr. III. Carm. 19., diversam vero ab altera Chloë Libr. III. Carm. 7., nisi statuendum sit, Asterien, in hoc Carmine, esse Pieriam, qua saucius erat vir Lyces, uti est Libr. III. Carm. 10. v. 15., unde colligendum foret, Chloën, seu Rhoden, esse Lycen, quam eo Carmine Horatius celebravit, postea vero, comparatione instituta cum Chia [3], misere proscidit Libr. III. Carm. 13. Post eam, Lyden amavit, eandem atque Pyrrham Libr. I. Carm. 5., quae vero non est citharistria illa ex Libr. III. Carm. 28 [4]. Leuconoës autem, Tyndaridis, Chloridis, Pholoës, Barines, Neobules Pyrrhaeque fictae personae sunt fictaque nomina. Phyllis denique, Libr. IV. Carm. 11., ultimus Horatii amor fuit.

Grotefendi sententiam fere secutus est Fuerstenavius, qui tamen diverso ordine amores Horatii ordinavit [5]. Initium a Pyrrha fecit, post eam Inachiam

---

[1] Libr. III. Carm. 9. v. 14.

[2] Libr. I. Carm. 8. Sybarin a patria ita dictum fuisse, censent Dacerius, Sanadonus et Grotefendus. Calais autem erat filius Ornyti Thurini. Oppidum Thurii situm erat, ubi fuerat Sybaris, vid. Varro de Re Rustica Libr. I. c. 7. § 6., Strabo Libr. VI. p. 263., Plinius Nat. Hist. Libr. III. c. 11. Sect. 15., Libr. XVI. c. 21. Sect. 33.

[3] Libr. IV. Carm. 13. v. 7.

[4] Grotefendus l. l. p. 464. b.

[5] De Carminum aliquot Horatianorum chronologia. Hersfeldae, 1838. Cap. VI.

collocavit, quam Horatius amavit circiter a. 714. Post Inachiam, Lyciscum, Barinen et Neaeram, tum Cinaram, quam Libr. I. Carm. 19. sub nomine Glycerae, Libr. II. Carm. 5. et Libr. I. Carm. 22. sub nomine Lalages, Libr. I. Carm. 30. et Libr. III. Carm. 19. iterum sub nomine Glycerae deinceps celebravit. Cinarae successit Lydia, a Lyde non diversa, quae prodit deinceps Libr. I. Carm. 8., Libri III. Carm. 11., Libr. II. Carm. 11., Libr. III. Carm. 28. Dissensione orta, de qua est Libr. I. Carm. 13., Telephum interea Lydia, Chloën Horatius amavit [1]. Scriptum fortasse per idem tempus Libr. I. Carm. 25., in quo libidinem illi turpemque senectutem obiecit. Rediit autem Horatius in gratiam cum Lydia, inque eius reconciliationis memoriam Libr. III. Carm. 9., ut videtur circa a. 735., composuit. Lycen quoque, Myrtalen et Ligurinum post Cinaram, a. 730. mortuam [2], amavit, Phyllidem denique, finem amorum suorum.

Aliter Walckenaerius in elegantissima Vitae Horatii enarratione [3]. Diversa nomina diversas significare puellas statuit, omnia autem nomina, praeter Cinarae Inachiaeque [4], ab Horatio ficta esse censet. Primum locum tribuit Neaerae, quam non distinguit a Tibulli puella eiusdem nomi-

---

[1] Libr. I. Carm. 23., Libr. III. Carm. 26.

[2] Mortua, secundum Cl. Peerlkampium, antequam Horatius scripsit Libr. IV. Carm. 1., propterea quod in eo vocatur bona, vs. 3. Mortui enim saepe boni appellantur. Scripsit Carmen illud circa a. 739.

[3] *Histoire de la vie et des Poésies d'Horace.* Paris. 1840. II Vol.

[4] L. l. T. I. p. 151.

nis [1]. Hanc a. 712., cum scripsit Epod. XV., eandemque postea a. 730., cum Libr. III. Carm. 14., Horatius amavit [2]. Cinaram deinde, eandem atque Propertii [3], Lycen, Inachiam, Pyrrham, Phrynen, Lalagen, olim a Gabinio amatam [4], Barinen, Tyndaridem, quam Britannus quidam, sed nulla idonea de causa, libertam fuisse statuit Rhoemetalcis, Thraciae regis [5]. Tum Lydiam celebravit Libr. I. Carm. 8., Carm. 13., Lib. III. Carm. 9. et Libr. I. Carm. 27., scriptis deinceps a. 727., 728., 730. et 735 [6]. Libr. III. Carm. 9. non inseruit duobus prioribus Carminum Libris, quos edidit a. 735., quum eo tempore quam maxime Lydiae infensus esset; adiecit a. 736. Libri III. Carminibus [7]. Post eam Myrtalen amavit, Glyceram, olim a Tibullo amatam, reiectam vero propter Neaeram, Chloën, quam olim, sed frustra, tempore dissensionis cum Lydia, tentaverat, Lyden, Phyllidem, Ligurinum, in quo finem amorum fecit.

Teuffelius V. Cl. diverse disputavit [8]. Cinara ab omnibus Interpretibus vera agnoscitur persona, verum eius nomen. Est igitur Lyce quoque vera, quam ei opponit Horatius. Si Lyce vera est, Chia, quae

---

[1] L. l. p. 130. Vid. supra p. 478.

[2] Recte Walckenaerii sententiam inpugnavit Patinus, in *Journ. des Sav.*, 1842. p. 36.

[3] Libr. IV. Eleg. 1. v. 95. sqq.

[4] Vid. supra p. 503.

[5] Whitfeldus, de quo vid. Mitscherlichius in Argum. Libr. I. Carm. 16.

[6] Walckenaerius l. l. T. I. p. 533.

[7] Id. ibid. p. 539.

[8] *Neue Jahrb. f. Philol. u. Paedag.* VI. *Suppl. Bd.* p. 325. sqq.

illi praestabat, ficta esse non potest [1]. Nec Phryne, quae Maecenatis ignibus opponitur [2], ficta est, utpote in Epodis memorata. Ut Phryne, uno non contenta, libertina, ita Myrtale quoque [3], libertina, quae componitur cum Glycera Tibulli. Ad Inachiam quod attinet, vel tempus significat Horatius, quo eam amavit [4]. Diversa fuit ab altera in Epod. XII., sed et haec quoque vera [5]. Nec ficta Neaerae persona, cuius cum nomine suum proprium ipsius coniungit Horatius [6]. Maecenatem bis vere invitavit Horatius [7], Phyllidis igitur invitatio [8] ficta non fuit. Est eadem ratio cum Lyde et Tyndaride, quae igitur verae personae sunt habendae. Chloën [9] non esse fictam, satis apparet ex eo, quod designatur ut citharistria, capillis flavis. Est igitur Lydia quoque, quae cum ea occurrit, vera. Sic omnia Teuffelius Carmina Horatii percurrens, vere ab eo amatas fuisse statuit Barinen, Chloën, Cinaram, Glyceram, Inachiam, Lalagen, Licymniam [10], Lycen, Lyden, Lydiam, Myrtalen, Neaeram, Phrynen, Phyllidem, Pyrrham, denique, si dis placet, anum illam libidinosam ex Epod. XII. Nec etiam a puerorum amoribus abstinuit Horatius, Teuffelio iudice; vere amavit Lyciscum

---

[1] Libr. IV. Carm. 13.
[2] Epod. XIV. v. 16.
[3] Libr. I. Carm. 33. v. 13. sqq.
[4] Epod. XI. v. 5. sq.
[5] Epod. XII. v. 14. sq. Cf. supra p. 512. n. 4.
[6] Epod. XV.
[7] Libr. I. Carm. 20., Libr. III. Carm. 8.
[8] Libr. IV. Carm. 11.
[9] Libr. III. Carm. 9.
[10] Cf. supra p. 396.

et Ligurinum. Excepit autem Galateam, Asterien, Phidylen, Leuconoën [1], Neobulen, Pholoën, Lycoridem, Phyllidem, Rhoden, Tyndaridem, Gygen, Lycidan, Chloridem Libri III. Carm. 15., diversam ab altera Libr. II. Carm. 5.

Weberus novissimo V. Cl. fuse accurateque de eodem argumento disputavit [2]. Lyciscum et Ligurinum ex Horatii amoribus exemit. Distinxit inter puellas, quas constanter Horatius amavit; eas, quas propter pulchritudinem vel propter excellentiam vocis, vel propter praestantiam fidibus canendi celebravit; tum denique eas, quas simpliciter commemoravit. Statuit, Carmina quaedam amatoria ex Graeco sermone ab Horatio fuisse expressa. Inachiae, Epod. XI., primum locum tribuit inter Horatii puellas. Aut ingenua fuit, dicta fortasse proprio nomine *Aemilia*, *Sulpicia*, *Caecilia*ve, aut libertina, eadem atque Myrtale Libr. I. Carm. 33. Hoc si verum est, tunc melior illa venus, quae Horatium petebat, cum illum Myrtale detineret, (est autem melior, honestior, melioris conditionis,) non diversa est ab illa vetula ex Epod. VIII. et XII. Est Phryne quoque, Epod. XIV. v. 15. sq., eadem fortasse atque Inachia. De huius amore est in Epod. XI., non ante a. 715. composito, cum destitisset Inachia furere, sed redire ad veterem

---

[1] Libr. I. Carm. 11., ubi Torrentius: «Non otiose Leuconoën vocat mulierculam genethliacorum vanitati fidem adhibentem, nam λευκὰς φρένας ἔχειν, h. e. alba habere praecordia eos dicebant Graeci, qui leviter tantum saperent, ut contra *μελαίνας φρένας*, ducta ab aquis metaphora, ut Pindari interpres ad Pyth. [IV. v. 194.,] quae, quo profundiores sunt, eo nigrescunt magis.»

[2] *Neue Jahrb. f. Philol. u. Paedag.* IX. *Suppl. Bd.* p. 248. sqq.

amorem potuit circa a. 718. s. 719., cum scriberet Epod. XIV., non ita diu ante nuptias Maecenatis et Terentiae, quae in eo Carmine significatur v. 13. In Neaeram Epod. XV. frustra inquirimus. Nisi suum, Flacci, nomen inseruisset Horatius vs. 12., iure Carmen illud ex Graeco sermone conversum esse statueremus. Diversa ab ea est altera Neaera Libr. III. Carm. 14. Certiora habemus de Cynara, (ita scribit Weberus [1],) rapaci, cuius vel quinquagenarius Horatius meminit [2], cum morte immatura esset abrepta. Verum eius nomen ignoramus, sed Glycerae Lalagesque nominibus eadem fuit significata; Glycerae in Libr. I. Carm. 30. et Libr. III. Carm. 19., Lalages in Libr. I. Carm. 22. vs. 10. et 23., qui Glycerae nomen non admittebant. Lalage autem Libr. II. Carm. 5. est prorsus diversa. Sequuntur Lyce, Lydia, Chloë Libr. III. Carm. 9., (nisi potius eius mentione Lydiam pungere voluerit Horatius,) Barine, cuius amor brevis fuit, Neaera Libr. III. Carm. 14. Has in urbe, ceteras, Pyrrham, Tyndaridem, Chloën Libr. I. Carm. 23. et Libr. III. Carm. 26., Lyden Libr. II. Carm. 11. et Libr. III. Carm. 28., alteram eiusdem nominis. Libr. III. Carm. 11., et Phyllidem rure Horatius amavit. Eximit autem Weberus ex eius amoribus Lydiam Libr. I. Carm. 8., Leuconoën, Lycoridem, Pholoën, Phyllidem Libr. II. Carm. 4., Lalagen Libri II. Carm. 5., Chloridem Libr. II. Carm. 5. alteramque Libr. III. Carm. 15., Asterien, Neobulen,

[1] Nomen deducit a vocabulo Graeco κυνάρα, *cynara*.

[2] Libr. IV. Carm. 1. v. 3.

Phidylen, Galateam. Haec Weberi expositio est Horatii amorum, in qua comprobare non possum, quod una eademque puella pluribus nominibus, numero et quantitate syllabarum diversis, significetur, quae veterum poëtarum consuetudo non fuit [1]. Nec Terentiam circa a. 718. s. 719. Maecenati nupsisse credo; sed de Terentia supra iam vidimus [2].

Denique ut meam quoque sententiam subiiciam de Horatii amoribus: credo, Horatium procliviorem in amores fuisse, tot amasse puellas, quot celebraverit, non credo. Fieri potuit, ut unam eandemque sub diversis nominibus, servatis syllabarum numero et quantitate, cecinerit, sed inprimis multa eius carmina ex Graecis carminibus expressa fuisse credo, cuius rei exemplum nobis reliquit Catullus, qui Carmine LI.: «*Ille mi par esse deo videtur, cet.*,» Sapphus Carmen: «*Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν κ. τ. λ.*» expressit. Credo, Horatium prorsus abstinuisse a puerorum amoribus, etiamsi ipse, iocans, aliter de se profiteatur [3]. Distabant, si quid iudico, Horatii tempore, puerorum amores tantum a persona sancti castique viri, quantum libera venus nostris temporibus abest. Novi autem hodie quoque, quis ignorat, iuvenes virosque vel castissimos et sanctissimos, inter amicos, animi causa, ita iocantes, quasi liberam venerem ardentissime sectarentur. Nec Libri IV. Carmen 1. curo, scriptum, uti egregie observavit Lessingius, post legem Iuliam

---

[1] Cf. supra p. 391. sq.

[2] Pag. 394.

[3] Libr. I. Sat. 2. v. 116. sqq. Cf. Libr. II. Sat. 3. v. 325.

latam de pudicitia, quum nemo amplius amorem in puerum palam celebrare ausus fuisset. Varias autem VV. DD. de puellis Horatianis opinationes inter sese conciliare equidem non possum, nec umquam credo fore, ut ea de re una eademque sit omnium Interpretum sententia.

CAPUT DECIMUM.

VIRI HUMILIS CONDITIONIS.

Puellarum chorum egressi, quas aeternis laudibus Horatius celebravit, immenso intervallo offendimus bonos quosdam viros, honestos, probos, rem suam strenue tuentes, Glycerarum vero commercium, Lydiarum, Phrynarum, cane peius et angue, vitantes. Sunt fabri, praecones, sine crimine noti, rustici. inter quos Horatius, qua erat facilitate, quamvis haud alienus a vita delicatiori deditusque amoribus, libentissime tamen versabatur. Ita Libr. II. Sat. 6., quam scripsit optima aetate [1], vs. 65. sqq., suam rure vitae consuetudinem describens:

> O noctes, coenaeque Deum! quibus ipse meique
> Ante Larem proprium vescor, vernasque procacis
> Pasco libatis dapibus: cum, ut cuique libido est,
> Siccat inaequalis calices conviva, solutus
> Legibus insanis; seu quis capit acria fortis
> Pocula; seu modicis uvescit laetius. ergo
> Sermo oritur, non de villis domibusve alienis,
> Nec male nec cenae Lepos saltet: sed quod magis ad nos
> Pertinet, et nescire malum est, agitamus; utrumne
> Divitiis homines, an sint virtute beati:

[1] Vid supra p. 124.

Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos:
Et quae sit natura boni, summumque quid eius.
Cervius haec inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas. cet.

Familiam ducat OFELLA Libr. II. Sat. 2. v. 3.:

Rusticus, abnormis sapiens, crassaque Minerva,

cui, quum perperam adhaesisset nomen Ofelli, verum suum Bentleius e coniectura [1], Orellius e MS. reddidit. Inducitur vs. 1. docens:

Quae virtus et quanto, boni, sit vivere parvo,

nec docebat modo Ofella, sed ipse quoque parvo metuensque futuri, sobrie, severe cauteque vivebat. Olim in re satis lauta versatus, in divisione agrorum a. 713. [2], cum ager quoque Venusinus [3], quem Ofella incolebat, veteranis concesserat, exutus opibus, fortiter infortunium tulit. Vs. 112. sq.:

puer hunc ego parvus Ofellam
Integris opibus novi non latius usum,
Quam nunc accisis.

Agrum olim suum, nunc UMBRENI militis, colonus mercede colebat Ofella, quae fortunae conversio illum adeo non afflixit, ut filios etiam hisce verbis erigere sit conatus, vs. 126.:

Saeviat atque novos moveat fortuna tumultus;
Quantum hinc imminuet? quanto aut ego parcius, aut vos,

---

[1] Cl. Livius Epit. Libr. LXXXVIII. et LXXXIX., Velleius Libr. II. c. 27., Appianus de Bello Civili Libr. I. c. 101., Aurelius Victor de Viris illustr. c. 68.

[2] Appianus de Bello Civili Libr. V. c. 12., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 6.

[3] Appianus l. l. Libr. IV. c. 3.

O pueri, nituistis, nt huc novns incola venit?
Nam propriae telluris herum natnra neqne illum,
Nec me, nec qnemquam statuit. nos expulit ilie,
Illnm aut nequities aut vafri inscitia iuris,
Postremum expeliet certe vivacior heres.
Nunc ager Umbreni sub nomine, nnper Ofellae
Dictus erat: nulli proprius; sed cedit in usum
Nnnc mihi, nunc alii. quocirca vivite fortes,
Fortiaqne adversos opponite pectora rebns.

Cum Ofella recte componemus SERVIUM OPPIDIUM, Canusinum, cuius duplex nomen, quale Romanis eo tempore erat prorsus inusitatum, originem prodit Italicam et recentem civitatem Romanam [1]. Is, Libr. II. Sat. 3. v. 168. sqq.:

duo praedia, dives
Antiquo censu, gnatis divisisse duobus
Fertur, et hoc moriens pueris dixisse vocatis
Ad lectnm: Postquam te taios, Aule, nncesque
Ferre sinn laxo, donare, et perdere vidi;
Te, Tiberi, nnmerare, cavis abscondere tristem:
Extimui, ne vos ageret vesania discors;
Tu Nomentanum, tu ne seqnerere Cicntam.
Quare per Divos oratns uterque Penatis,
Tu cave ne minnas, tu ne maius facias id,
Qnod satis esse pntat pater, et natura coërcet [2].

Cervius et Vinius Asella cum Ofella et Oppidio sunt commemorandi, quos vero supra inter Horatii necessarios recensuimus [3]. Volteius quoque Menas, de quo iam vidimus [4], quamvis prorsus non rusticus, una tamen cum iis, viris honestis est adscribendus.

---

[1] Vid. supra p. 485.
[2] Cf. quoque supra p. 407.
[3] Pag. 438. sq.
[4] Pag. 170. sq.

Eundem denique honorificum locum concedam Archiae fabro, Sosiisque bibliopolis, ignotis moribus, quos vero lubens quam integerrimos fuisse credo.

Fit semel ARCHIAE mentio, Libr. I. Epist. 5. ad Torquatum, v. 1.:

> Si potes Archiacis conviva recumbere lectis,

ubi Porphyrion: «*Archias breves lectos fecit, unde Archiacos, sicut a Boëto Boëtoos,*» Acron vero et Schol. Cruq. Archaicos lectos designant ab Archaico fabro confectos, unde Lambinus coniecit, lectos Archaicos, graeco vocabulo, pro vetustis esse dictos. Sed secundam syllabam in ἀρχαϊκὸς esse longam, in *Archiacis* brevem, iam probavit Sanadonus. Ceterum Archiam inter lectulorum fabros principem non tenuisse locum, satis apparet.

Bis prodeunt SOSII, Libr. I. Epist. 20. v. 1. sq., ubi librum suum ita alloquitur Horatius:

> Vertumnum Ianumque, liber, spectare videris:
> Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus,

et in Arte Poëtica vs. 345.:

> Hic meret aera liber Sosiis.

Paucorum veterum bibliopolarum memoria servata est. Prodit Dorus apud Senecam [1], Atrectus et Tryphon apud Martialem [2]. Tabernam librariam Cicero quoque commemorat [3]. Sosii autem hodie prorsus ignorantur. Eos fratres fuisse, testantur Scholiastae.

---

[1] De Benef. Libr. VII. c. 6.

[2] Libr. I. Epigr. 118., Libr. XIII. Epigr. 3.

[3] Philipp. II. c. 9.

Praeter Archiam, alterum fabrum, aerarium, IMUM, Acron Scholiastes expressit e loco Horatii in Arte Poëtica v. 32. sqq.:

> Aemilium circa ludum faber imus et unguis
> Exprimet, et mollis imitabitur aere capillos;
> Infelix operis summa: quia ponere totum
> Nesciet.

Sed perperam. *Imus* enim nomen est prorsus inauditum. Porphyrion et Schol. Cruq. interpretantur: *imus*, quod in ima parte circi tabernam suam faber ille locasset. Alii rectius: artifex infimo loco inter suos. Ita Horatius Libr. I. Carm. 10. v. 20. et Libri III. Carm. 1. v. 15. Bentleius scribendum esse putabat: *unus*, Cuninghamus: *fabrum unus*. Vocem: *unus*, Bentleius per: *egregius*, per: *aliquis*, Iahnius interpretabatur. Sed omnem dissensionem tollit Cl. Peerlkampii emendatio, qui legendum esse docuit: *fabri manus ungues*. Annotat Porphyrion: «*Aemilii Lepidi ludus gladiatorius fuit, quod nunc Polycleti balneum est.*» Balnei huius alibi mentio non fit, sed Aemilius ludus a Publio Victore in regione VIII. urbis collocatur [1].

[1] In Graevii Thesauro T. III. p. 42.

CAPUT UNDECIMUM.

ATHLETAE, GLADIATORES, MIMI, CANTORES, HISTRIONES.

§ 1.

Memoratur athleta unus, nomine GLYCO, Libr. I. Epist. 1. v. 30. sq.:

> Nec, quia desperes invicti membra Glyconis,
> Nodosa corpus nolis prohibere cheragra.

Heinsius [1] cogitabat Lyconem, philosophum peripateticum, qui Glyco dictus fuit propter suavitatem sermonis [2]. Erat enim *γυμναστικώτατος — τήν τε πᾶσαν σχῆσιν ἀθλητικὴν ἐπιφαίνων*. At Lessingius [3] eruit ex Anthologia [4] Epigramma Antipatri Thessalonicensis in Glyconem athletam Pergamenum *πάντα νικῶντα*, quem Horatii aequalem fuisse et ab illo

[1] Animadvers. in Horat. p. 91. sq. Ed. L. B. 1629.

[2] Diogenes Laërt. Libr. V. c. 66. De eo Cicero de Finibus Libr. V. c. 5., ibique Madvigius, Athenaeus Libr. XII. c. 12. p. 547. D—F, sq. B.

[3] Operum T. VIII. p. 526. sqq. Ed. Berol. 1839.

[4] Constant. Cephalae Epig. 785. p. 168. Ed. Reiskii, Brunck. Anal. T. II. p. 126. Epig. LXVIII.

significari demonstravit. Apposite, quod ad sententiam, Dacerius confert dictum Epicteti [1]: «οὐδὲ γὰρ Μίλων ἔσομαι, καὶ ὅμως οὐκ ἀμελήσω τοῦ σώματος.»

§ 2.

Gladiatorum munerum, ex quo primum edita fuerunt a. 490. [2], usque crevit amor Romanis. Munera deinceps frequentius edita, numerus parium gladiatorum continue auctus fuit. Ita, qui numerus magnus videbatur Horatio, cum heredes Staberii damnare vellet centum populo dare paria [3], is nihil est prae quinque millibus, quae Traianus, Dacis devictis, populo exhibuit [4].

> Fuivi Rutubaeque
> Aut Placideiani contento poplite miror
> Proelia, rubrica picta aut carbone, velut si
> Re vera pugnent, feriant, vitentque moventes
> Arma viri.

Haec Davus servus ad dominum Horatium [5]. Fulvium, Rutubam et Placideianum, (sive Pacideianum, nam variat scriptio,) gladiatores fuisse docet sententia loci. Et ita fere Interpretes. Iunius censebat, eos fuisse pictores triviales [6]. Solebat, qui munus erat editurus, id populo antea per libellum, publice affixum, edicere. Addebantur picturae, quod

[1] Dissert. I. c. 2. T. I. p. 19. Ed. Uptonii.

[2] Livius Epit. Libr. XVI., Valerius Max. Libr. II. c. 4. n. 7.

[3] Libr. II. Sat. 3. v. 84. sqq.

[4] Dio Cassius Libr. LXVIII. c. 15.

[5] Libr. II. Sat. 7. v. 96. sqq.

[6] De Pictura Veterum in voce. Omisit eos Silligius in Catalogo Artificum.

primum factum est a C. Terentio Lucano [1]. Fuerat alter Placideianus gladiator nobilissimus, quem cum Asernino congredientem viderat Lucilius [2] Capuae, ut videtur [3], ubi multi alebantur, in itinere quod fecit per eam urbem ad fretum usque Siciliense [4]. Horatiano autem Placideiano nomen eius, utpote boni ominis, datum esse potuit.

Sequuntur BITHUS et BACCHIUS [5]. Horatius Libr. I. Sat. 7. v. 19. sq.:

> Rupili et Persi par pugnat, uti non
> Compositi melius cum Bitho Bacchius.

Augusto regnante vixerunt eorumque nomina a Suetonio fuerunt celebrata, testibus Acrone et Scholiasta Cruquiano. Hodie vero apud eum non leguntur. Porphyrion annotavit: «*Bithus et Bachius gladiatores optimi illis temporibus fuerunt, qui, — commissi inter se mutuis vulneribus conciderunt. Et cum eodem tempore mulier, quae septem* [*maritos*] *extulerat, nuberet ei, qui uxores septem amiserat, compertum est epigramma.*» Epigramma vero non addidit Porphyrion.

Turbonem, Gallinam, Syrum et Veianium ab Horatio ipso ad sua tempora referuntur. De TURBONE [6] legitur Libr. II. Sat. 3. v. 310.:

---

[1] Plinius Nat. Hist. Libr. XXXV. c. 7. Sect. 33.

[2] Cicero de Optimo Genere Orat. c. 6., Tuscul. Quaest. Libr. IV. c. 21., ad Quintum fr. Libr. III. Epist. 4., Nonius de Varia Sign. Serm. in voce *Componere*.

[3] Doct. Heusdius Studia Critica in Lucilium p. 168.

[4] Porphyrius ad Horatii Libr. I. Sat. 5. v. 1.

[5] De horum nominum scriptura vid. Bentleius.

[6] Cf. Bentleius ut supra.

Corpore maiorem rides Turbonis in armis
Spiritum et incessum.

ubi Porphyrion annotavit: «*quid rides, si Turbo cum legionibus certet, cum tu me divitibus compares. Et fuit Thrax Turbo.*» Ita quoque GALLINA, Libr. II. Sat. 6. v. 44.:

Threx est Gallina Syro par?

Annotat Scholiastes Cruquianus: «*Thraex Gallina fuit secutor, Syrus autem retiarius, uterque gladiator.*» Dacerius contendit, SYRUM retiarium non fuisse sed mirmillonem. Hic enim cum Thrace componebatur [1], retiarius cum secutore [2]. Gallina autem, qui Thrax erat, non vocandus fuit secutor. Atqui secutor cum mirmillone componitur apud Iuvenalem Sat. VIII. v. 199. sqq., mirmillo cum retiario apud Quintilianum Instit. Orat. Libr. VI. c. 3. § 61., ut adeo usus in eo non constans fuisse videatur.

VEIANIUS rude, missionis insigni, donatus:

armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro [3].

Solebant veteres artem desinentes, instrumenta suspendere in templo illius dei, sub cuius tutela artem exercuerant. Apte Haberfeldtus, Obbarius, Schmidius, alii, contulerunt Epigrammata ex Anthologia, ubi miles Herculi arma sua [4], auceps Mercurio la-

---

[1] Cicero Philipp. VII. c. 6., Ausonius Id. XII. per Inter. et Resp. v. 3.

[2] Suetonius in Vita Caligulae c. 30.

[3] Libr. I. Epist. 1. v. 4. sq.

[4] Brunck. Anal. T. I. p. 254. Epigr. I.

queos, plagas et pharetram [1], Lais, vetula facta, Veneri speculum [2], piscator nymphis retia suspendit [3]. Et plura iis addi possunt Iuliani Aegyptii et Philippi Thessalonicensis [4]. Veianius autem, testibus Acrone et Scholiasta Cruquiano, Herculi Fundano sua consecraverat arma [5].

Incertum est, utrum CASTOR et DOLICHOS, — nomen *Docilis*, uti legebatur ante Cruquium, servavit quoque Bentleius, — inter gladiatores an inter pantomimos sint referendi. De iis Horatius Libr. I. Epist. 18. v. 19.: ambigitur

Castor sciat an Dolichos plus.

ubi Porphyrion annotavit: «*Histriones tum temporis, ut alii gladiatores fuerunt,*» et Scholiastes Cruq.: «*agitur de gladiatoribus aut Pantomimis.*»

§ 3.

Inter pantomimos referendus est LEPOS, de quo Libr. II. Sat. 6. v. 72.:

male nec ne Lepos saltet.

Saltare enim dicebantur pantomimi, cum gestu mo-

[1] Ibid. p. 223. Epigr. XII.

[2] Ibid. T. II. p. 494. Epigr. IV., Anthol. Planud. Libr. VI. Tit. 3. Epigr. 8.

[3] Ibid. T. II. p. 495. Epigr. VII., Anthol. Planud. Libr. VI. Tit. 3. Epigr. 6.

[4] Cf. Tibullus Libr. II. El. 5. v. 29., Horatius Libr. III. Carm. 26. v. 4., Libr. I. Sat. 5. v. 65., Martialis Libr. IX. Epigr. 17., Libr. III. Epigr. 29., Persius Sat. II. v. 70., Sat. V. v. 31.

[5] Obbarius ad l. l.: «Templum Herculis Fundani memoratur a Vopisco in Floriano c. 4. et in quadam inscriptione apud Orellium n. 1539.»

tuque personam aliquam exprimerent. Ita Libr. I. Sat. 5. v. 63. Messium Sarmentus

Pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat,

quod idem significatur Libr. II. Epist. 2. v. 125.:

Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa [1] movetur.

Messium autem histrionem fuisse, nondum sequitur ex eo, quod illum Sarmentus ut saltaret rogavit. Aut iocari potuit Sarmentus, aut Messius saltare, ut Plancus, qui Glaucum saltavit [2]. Erat Messius scurra Maecenatis. Equitem Romanum fuisse testatur Porphyrion, quod secus puto. Legitur enim in vs. 54.:

Messi clarum genus Osci:

quod ita interpretor, ut illud Ciceronis «summo genere natus, terrae filius [3],» Osci inter antiquissimos Campaniae incolas fuerant, Messius autem erat Campanus, adeo ex antiquissimo illo Oscorum genere, uti morbus probat Campanus, quo laborabat, vs. 60. sq.:

illi foeda cicatrix
Setosam laevi frontem turpaverat oris.

«*Hoc* —,» inquit Scholiastes Cruq., «*quasi a natura Campanis fere omnibus inest, ut capitis temporibus magnae verrucae innascantur, in modum cornuum, quos cum incidi faciunt, cicatrices in fronte manent, quasi*

[1] Cyclops Euripidis exstat, et fuit praeterea alter Aristiae, vid. Suidas in voce Ἀπώλεσας κ. τ. λ.

[2] Velleius Libr. II. c. 83. ibique Ruhnkenius. Cf. tamen Cl. Welckerus *die Aesch. Trilogie Prometheus* p. 474.

[3] Ad Diversos Libr. VII. Epist. 9.

notae exsectorum cornuum,» ut adeo idem genus morbi fuerit, quod Aristoteles [1] σαυρίαν vocavit. Messius Cicirrus cognominatus erat, ludibrii causa, sine dubio; κίκιρρος enim, teste Hesychio, dicebatur gallus.

Lepos autem, uti tradunt Porphyrion et Scholiastes Cruq., nomen suum inde acceperat: «*quod molliter saltaret et eloqueretur.*» Significant carminum recitationem, quae mimorum erat. Ita Cytheris, mima, carmina Virgilii recitavit in theatro [2]. Dubitat quidem Heynius an cantare mimae fuerit, sed apud Horatium quoque Tigellius cantor, discipulas instituens [3], mimas, teste Scholiasta Cruq., eas procul dubio cantare seu recitare docuit. Recitationem carminum suorum significat Horatius Libr. I. Epist. 13. v. 17. sq., Vinio perferenda tradens

> Carmina, quae possint oculos aurisque morari
> Caesaris,

quo in loco Zeunius, miro errore, καλλιγραφίαν, Bothius librorum cultum cogitabat.

E tribus celeberrimis mimis, quae, quo tempore Horatius scribebat Sermones, Romae florebant, erant autem Cytheris, Origo et Arbuscula [4], duae postremae ab Horatio commemorantur. ARBUSCULA Libri I. Sat. 10. v. 76. sqq.:

> satis est equitem mihi plaudere: ut audax
> Contemtis aliis, explosa Arbuscula dixit.

---

[1] De Generat. Animal. Libr. IV. c. 3.

[2] Servius ad Virgilii Ecl. VI. v. 7., Donatus in Vita Virgilii c. XI. § 41., Auctor Dial. de Orat. c. 13.

[3] Ad Donati l. l.

[4] Servius ad Virgilii Ecl. X. v. 2.

Eadem Arbuscula a. 700. in ludis valde placuerat, teste Cicerone ad Atticum Libr. IV. Epist. 15.

ORIGO ex Horatio tantum et Scholiastis nota est. Libr. I. Sat. 2. v. 55. sqq.:

> Ut quondam Marsaeus amator Originis, ille
> Qui patrium mimae donat fundumque laremque,
> Nil fuerit mi, inquit, cum uxoribus umquam alienis.
> Verum est cum mimis, est cum meretricibus,

nec MARSAEUS aliunde, nisi ex hoc loco innotuit. Nomen vix Latinum videtur.

§ 4.

Tigellius Demetriusque discipulas suas, mimas, excipiant. TIGELLII cantoris mortem narrat Horatius Libr. I. Sat. 2., quae scripta fuit a. 714. [1]:

> Ambubaiarum collegia, pharmacopolae,
> Mendici, mimae, balatrones; hoc genus omne
> Maestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli:
> Quippe benignus erat.

Eundem postea ad vivum depinxit Libr. I. Sat. 3.:

> Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
> Ut numquam inducant animum cantare rogati,
> Iniussi numquam desistant. Sardus habebat
> Ille Tigellius hoc. Caesar, qui cogere posset,
> Si peteret per amicitiam patris atque suam, non
> Quicquam proficeret. cet.,

quem locum Seneca Epist. CXX. § 20., in exemplum hominis fluctuantis et iactantis induxit. Tigellius autem ab Acrone et Scholiasta Cruquiano ad Libr. I.

[1] Weichertus de Vario et Cassio p. 41., Poet. Lat. Rel. p. 300., Kirchnerus Quaest. Horat. p. 52, Franklus Fast. Horat. p. 89.

Sat. 2. v. 3., vocatur M. Tigellius Hermogenes. Addunt, ut quoque Porphyrion facit, qui illum simpliciter Tigellium Hermogenem nominat, Tigellium primum C. Iulio Caesari et Cleopatrae, post Augusto gratum et acceptum fuisse. Annotat Acron ad Libri I. Sat. 3. v. 1.: «*Sardus, qui in Sardinia est natus: Sardiniensis enim incola est,*» quod quidem verissimum est [1], sed tamen Sardus non sine comtemtus significatione dicitur. Sardi venales in proverbio erant [2], Sardinia coeli pestilentia infamis [3]. Porphyrion: «*Lucius Sarcitius* [l. *Lucilius Satiricus* [4]] *in sexto Satyrar. Sardinensem terram. At Licinius de Hermogene loquens: Sardi Tigelli putidum caput venit.*» De eodem Tigellio Cicero scribit ad Fadium [5], illum iratum sibi factum esse, propter procrastinationem causae Phameae, cuius nepos Tigellius erat. Vocat eum: «hominem pestilentiorem patria sua, eumque addictum iamdudum Calvi Licinii Hipponacteo praeconio.» Scripta haec Epistola est a. 709. Praeconii autem illius partem nobis servatam fuisse a Porphyrione iam vidimus. In eadem Epistola Tigellius ponitur inter familiarissimos Caesaris. Ipse quoque Phamea id temporis praepotens erat in civi-

---

[1] Vid. Martialis in Praef. Libr. XII., Festus Libr. III. in voce *Corinthienses.*

[2] Cicero ad Diversos Libr. VII. Epist. 24., Aurelius Victor de Viris illustr. c. 57. Cf. Livius Libr. XLI. c. 17.

[3] Cicero ad Quintum fratrem Libr. II. Epist. 3., Martialis Libr. IV. Epigr. 60.

[4] Uti legitur in Cruquii Auctario Comment. vet. p. 690. b. Cf. Lucilii fragm. e Libr. VI. Sat. 22. Ed. Dousae p. 40.

[5] Libr. VII. Epist. 24. *Fadius* non *Fabius* ille vocandus, vid. supra p. 158. sq. Cf. Cicero ad Atticum Libr. XIII. Epist 49.

tate. Ciceroni operam suam pollicitus fuerat in petitioue consulatus [1]. Hic, quamvis eorum odium flocci facere se scribit [2], satis anxius erat animique pendebat sub Caesaris reditum ex Hispania [3], id quod egregie firmat, quae Horatius habet de Caesaris indulgentia in Tigellium. Cleopatrae hic gratiam captare potuit in Aegypto, in comitatu Caesaris, vel quum ipsa Cleopatra Romam venit a. 708 [4]. Gratia vero opibusque cum Phameam, tum eius nepotem floruisse, minime natalibus aut conditione, ex locis allatis satis apparet.

Horatius, in eadem Satira, ubi Tigellium descripserat, qualis fuisset, haec subiicit de Hermogene cantore vs. 129. sqq.:

> quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
> Optimus est modulator

Hermogenem laudans, ita tamen, ut irrisionem quandam subesse appareat, uti quoque Libr. I. Sat. 9. v. 25.:

> Invideat quod et Hermogenes, ego canto.

Tigellius autem vocatur Tigellius Hermogenes, cum a Scholiastis, uti iam vidimus, tum quoque ab Horatio Libr. I. Sat. 10. v. 79. sq.:

> aut quod ineptus
> Fannius [5] Hermogenis laedat conviva Tigelli,

---

[1] Cicero ad Atticum l. l.

[2] Cicero l. l. Epist. 50.

[3] Cicero l. l. Epist. 51., ad Diversos Libr. VII. Epist. 24.

[4] Suetonius in Vita Caesaris c. 52., Dio Cassius Libr. XLIII. c. 27.

[5] De Fannio vid. supra p. 115.

postquam in eadem Satira praecessit vs. 17. sq.:

quos neque pulcher
Hermogenes umquam legit, neque simius iste cet.

subiicit autem in fine Horatius vs. 90. sq.:

Demetri, teque, Tigelli,
Discipularum inter lubeo plorare cathedras,

quo factum est, ut plerique Interpretes utrumque cantorem Tigellium et Hermogenem unum eundemque fecerint. Cum vero Horatius in Libr. I. Sat. 3. de Tigellio iam mortuo, de Hermogene vero vivo loquatur, cum quoque in eiusdem Libri Sat. 4., scripta post secundam [1], in qua obitum Tigellii narraverat a. 714., in nona, quae a. 719. adscribenda esse videtur [2], in decima denique, quae post quartam scripta fuit [3], Hermogenis viventis fecerit mentionem, satis superque apparet, Tigellium Hermogenem esse diversum a Tigellio Sardo. Primum hoc viderat Dacerius, quem Sanadonus, Wielandus, Zeunius, Walckenaerius, alii, secuti fuerunt, quum dissenserint Doeringius, Bothius, Iahnius, Heindorfius et Weichertus, sed quaestio ad finem perducta videtur a Cl. Kirchnero Quaest. Horat. II., qua Tigellium Hermogenem diversum fuisse ab illo Tigellio Sardo probavit, quamvis incertum sit, utrum filius naturalis vel adoptivus, an aliud quid alterius illius fuerit.

---

[1] Cf. Libr. I. Sat. 2. v. 27. cum eiusdem Libri Sat. 4. v. 91. sq.

[2] Weichertus de Vario et Cassio p. 47, Poët. Lat. Rel. p. 303., Frankius Fast. Horat. p. 105. — A. 720. eam adscripsit Kirchnerus in Tabula Chronol. Carminum Horat.

[3] Cf. Libr. I. Sat. 4. v. 8. cum eiusdem Libri Sat. 10. v. 1.

Demetrium, ut Tigellium, mimas instituisse, supra iam vidimus Libr. I. Sat. 10. v. 90. sq.:

> Demetri, teque, Tigelli,
> Discipularum inter iubeo plorare cathedras.

In quo egregia dilogia est. Plorare eos iubet Horatius, id est, flebili voce suas cantiunculas amatorias decantare, tum quoque grave iis precatur infortunium, quod Graeci *κλαίειν* et *οἰμώζειν* vocant [1]. Notatur Demetrius altero quoque in loco, testibus Scholiastis, Libr. I. Sat. 10. v. 16. sqq.:

> Illi, scripta quibus Comoedia prisca viris est,
> Hoc stabant, hoc sunt imitandi: quos neque pulcher
> Hermogenes umquam legit, neque simius iste,
> Nil praeter Calvom et doctus cantare Catullum.

Simius, secundum eosdem, propter difformitatem vocatur, quod verum esse puto. Opponitur enim pulchro Hermogeni. Sed perperam iidem negant, *simium*, genere masculino recte dici pro simia, ita enim Cicero quoque ad Diversos Libr. V. Epist. 10., Libr. VIII. Epist. 12. Wielandus putabat, Calvi Catullique imitationem in Demetrio notari, quod idem quoque suspicatus fuerat Lambinus. Acron et Scholiastes Cruq. Demetrium *δραματοποιὸν* faciunt. Qua de causa Cruquius cogitavit de Demetrio quodam comoediarum scriptore, quem Diogenes Laërtius nominat Libr. V. § 85. Sed ille Quintiliani aequalis fuit, vid. eius Instit. Orat. Libr. XI. c. 3. Spohnius adduxit Demetrium Megan, Siculum, Ciceronis amicum, cuius rogatu Megas civitatem a C. Iulio Caesare obtinuerat [2],

[1] Vid. exempla, quae collegit Heindorfius ad l. l.

[2] Cicero ad Diversos Libr. XIII. Epist. 36.

refutatus vero est a Cl. Weicherto [1]. Ceterum, importunum istum, ex Libr. I. Sat. 9., a Doct. Heusdio cogitari Demetrium, supra vidimus [2].

Quod dicit Horatius: «Nil praeter CALVOM et doctus cantare CATULLUM,» in eo nihil horum aestimationi detractum esse puto. Fluentes eorum carminum delicias viriļis comoediae veteris reliquiis praeferri aegre ferebat. Ita Cicero indignabatur, quod Ennius, rudis ille severusque poëta, a cantoribus Euphorionis contemneretur [3]. Calvus autem Catullusque, unanimi veterum consensu, amplissimum locum inter poëtas sui temporis tennerunt. Coniunctissime vixerunt [4], quare saepissime simul laudantur [5]. Calvi praeterea laus oratoria singularis fuit [6].

§ 5.

Narrat Horatius FUFII histrionis ridiculam histo-

---

[1] Poët. Lat. Rel. p. 290.

[2] Pag. 442.

[3] Tuscul. Quaest. Libr. III. c. 19.

[4] Vid. Catulli Carm. XIV., L., LIII., XCV.

[5] Ovidius Amorum Libr. III. El. 9. v. 61., Propertius Libr. II. El. 10. v. 39. sq., El. 25. v. 87. sqq., Gellius Libr. XIX. c. 9., Plinius Libr. I. Epist. 16. De Catullo vid. Tibullus Libr. III. El. 6. v. 41. sq., Velleius Libr. II. c. 36., Martialis Libr. IV. Ep. 14. v. 13. De Calvi licentia et acerbitate Cicero ad Diversos Libr. VII. Epist. 24., Ovidius Trist. Libr. II. v. 431., Suetonius in Vita Caesaris c. 49. et 73.

[6] Cicero ad Diversos Libr. XV. Epist. 21., (cf. tamen in Bruto c. 82.,) Velleius Libr. II. c. 36., Quintilianus Instit. Orat. Libr. X. c. 1., Dial. de Orat. c. 25. ci. 18. Calvus poëta non diversus a Calvo oratore fuit, vid. Weichertus Poët. Lat. Rel. p. 89., Ellendt. Prol. ad Brutum inprimis p. CCXX. sqq., Meyer. Orat. Lat. Fragm. p. 175. sq. Edit. pr.

riam, cum hic Ilionam, alter, CATIENUS, filium Ilionae in scena ageret Libr. II. Sat. 3. v. 60. sqq.:

> Non magis audierit, quam Fufius ebrius olim,
> Cum Ilionam edormit; Catienis mille ducentis,
> Mater, te adpello, clamantibus.

ubi hoc annotavit Acron: «*Hic Fusius* [sic] *actor tragoediarum fuit, qui cum Ilionam tragoediam ebrius ageret et vellet eam simulare dormientem gravitate vini ad verum somnum ductus est*,» et Porphyrion: «*Hic Fusius Phocaeus tragoediarum actor fuit, qui, cum vellet Ilionam dormientem exprimere, ut ad filii Polydori exsurgeret vocem, in scena obdormivit.*» Versus: «Mater, te adpello,» integer legitur apud Ciceronem Tuscul. Quaest. Libr. I. c. 44.:

> Mater, te adpello, quae curam somno suspensam leves,
> Neque te mei miseret: surge, et sepeli natum!

Est autem locus e Pacuvii Iliona, saepius a Cicerone allatus [1]. Narrant Porphyrion et Scholiastes Cruq., Catienum egisse Polydorum. Perperam. Deiphilum sine dubio egit, siquidem Pacuvius in sua fabula eam traditionem secutus esse videtur, quam nobis servavit Hyginus [2], narrans, Ilionam, Priami filiam, Polymnestoris uxorem [3], Deiphilum, filium suum, cum fratre Polydoro permutasse, hunc pro filio aluisse; Polymnestorem igitur inscientem suum ipsius filium Deiphilum pro Polydoro interfecisse. Mors autem

---

[1] Acad. Quaest. prior. Libr. II. c. 27., pro Sestio c. 59.

[2] Fab. CIX., cl. CCXL.

[3] Ita quoque Servius ad Aeneid. Libr. I. v. 653., Libr. III. v. 15.

Polydori diverse traditur ab Homero [1], Virgilio [2] et Ovidio [3].

Aesopus et Roscius, nobilissimi fabularum actores, coniunguntur Libr. II. Epist. 1. v. 81. sqq.:

> Clamant periisse pudorem
> Cuncti pene patres: ea cum reprehendere coner,
> Quae gravis Aesopus, quae doctus Roscius egit.

Doctus merito Roscius dicitur, non enim naturae tantum bonitate, verum summo labore summaque diligentia [4] pervenerat ad artis suae excellentiam, quae tanta fuit, ut, in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur [5], deque perfecto oratore in proverbium abiret: Roscius est in scena [6]; eamque artis praestantiam ad summam usque senectutem retinuit [7]. Mortuus iam erat, cum Cicero orationem pro Archia haberet [8], quod fecit a. 693. Aesopus quoque recte gravis ab Horatio vocatur, vehemens enim erat in agendo cum magno ardore vultus motuumque [9]. De eo Cicero in Sestiana, quam habuit a. 698., c. 56.: «summus artifex et semper

---

[1] Iliad. Libr. XX. v. 407. sqq.

[2] Aeneid. Libr. III. v. 49. sqq.

[3] Metamorph. Libr. XIII. v. 429. sqq.

[4] Valer. Max. Libr. VIII. c. 7. § 7. Cf Macrobius Saturn. Libr. II. c. 10.

[5] Cicero de Oratore Libr. I. c. 28. et 61.

[6] Id. in Bruto c. 84.

[7] Id. de Legibus Libr. I. c. 4., de Oratore Libr. I. c. 60. Ceterum de Roscii laudibus, in Oratione pro eo passim, pro Quintio c. 25., (qui locus omissus est in Orellii Onomastico,) de Oratore Libr. I. c. 27., de Divinat. Libr. I. c. 36., Libr. II. c. 31. Cf. quoque Plutarchus in Vita Ciceronis c. 5.

[8] Vid. c. 8.

[9] Cicero de Divinat. Libr. I. c. 37.

partium tam in republica quam in scena optimarum.» Sed anno proximo 699. in Epistola ad Marium[1]: «deliciae vero tuae, noster Aesopus eiusmodi fuit ut ei desinere per omnes homines liceret.» Subita profecto mutatio, seu artificis, seu ipsius Ciceronis. Horatius autem scripsit Epistolam allatam ad Augustum Libr. II. 1. iudice Massono [2], quem Dacerius, Sanadonus, Kirchnerus [3] et Weichertus [4] secuti fuerunt, anno demum 744. exeunte vel proximo ineunte, quare recte patres vocabat, qui Roscium et Aesopum viderant artificio suo florentes.

---

[1] Ad Diversos Libr. VII. Epist. 1.

[2] In Vita Horatii p. 360.

[3] Quaest. Horat. p. 38.

[4] De Vario et Cassio p. 165. Schmidius eam retulit ad a. 734., Frankius Fast. Horat. p. 81. annum eius natalem inveniri posse negat.

CAPUT DUODECIMUM.

IMPROBI.

§ 1.

In hoc Caput veluti sentinam personarum Horatianarum coniiciemus, prodigos et avaros, moechos, gulosos, scurras, latrones et delatores, iudices periuros, gregem impurum hominum turpissimorum, quibuscum, quam brevissime fieri poterit, absolvemus.

Agmeu ducant avari, in quos singulari studio Horatius est invectus. Prodit Libr. I. Sat. 1. v. 95. sqq.

> Ummidius [1] quidam, non longa est fabula. Dives [2],
> Ut metiretur nummos;

fabula autem est Ummidium securi percussum fuisse a liberta, altera Clytaemnestra, «fortissima Tyndaridarum,» i. e. Tyndarei liberorum, Castoris et Pollucis,

[1] De nominis scriptura cf. Bentleius.

[2] Ita Heindorfius. Vulgo: «*fabula, dives,*» Bentleius: «*qui tam (non —) dives.*» Diomedes Libr. I. p. 388. Putsch.: « *Ne facias quod Uvidius quidam. dixi miki placet.* »

Helenae et Clytaemnestrae [1]. De sordido ac divite illo, qui tangitur ibid., v. 64. sqq., supra iam egimus [2].

In proxima Satira v. 12. sqq. FUFIDIUS notatur. Vappae ac nebulonis famam timens, vs. 16. sq.:

> Nomina sectatur, modo sumta veste virili
> Sub patribus duris, tironum.

quamvis circumscriptio adolescentium lege Plaetoria [3] vindicabatur, quae Plauti tempore lata iam fuerat [4]. Vetabat autem illa, minorem annis XXV stipulari [5].

RUSO [6] foenerator historias scribere easque recitare solebat [7]. Cum tristes Kalendae venissent, nec solvere possent debitores, audientiam ab iis exigebat. Debitor amaras

> Porrecto iugulo historias, captivus ut, audit.

Cruquius historias interpretatur convicia, contumelias, et ita Spohnius [8] facit. Atqui haec non modo Ruso,

---

[1] Ita recte locutionem interpretatus est Bentleius. Ea, quae contra Bentleium non improbabiliter disputavit [Wolf.] Editor Libr. I. Sat. 1. (Berol. 1813.) confutantur Oreilii annotatione. Sanctius, Minerva Libr. IV. c. 11. *de Synchysi*, interpretatur: *securi Tyndaridarum*. Withofius, *Krit. Anmerk. ueber Horaz*, T. II. p. 57., legit: « *Tyndaris ut trux.* »

[2] Pag. 15.

[3] Non Laetoria, vid. Heindorfius ad Cic. de Nat. Deor. Libr. III. p. 30., Beierus ad Cic. de Off. Libr. III. c. 15.

[4] Pseud. Act. I. Sc. 3. v. 69., Rudent. Act. V. Sc. 3. v. 24. Vid. Doct. Vissering. in Quaest. Plaut. II. p. 88.

[5] Suetonius in IV. Pract. [l. Rhet.] apud Priscianum Libr. VIII. p. 794. Putsch.

[6] Libr. I. Sat. 3. v. 86. sqq. De nomine vid. Bentleius. *Rufo* ab Acrone, a Porphyrione modo *Druso*, modo *Octavius Drusus* vocatur.

[7] Cf. Suetonius in Vita Claudii c. 41.

[8] In Iahnii Edit. Horat. sec. p. 253.

sed omnes foeneratores, puto, in debitores, quum non solverent, coniiciebant. Addit Spohnius, fuisse Cn. Octavium Rusonem, equitem Romanum, negotiatorem. Cogitabat Cn. Octavium Rufum, qui quaestor stipendium in Africam portavit, teste Sallustio de Bello Iug. c. 104., ubi olim, sed perperam [1], legebatur Rufo. Is vero quaestor fuit a. 647., noster potius aequalis Horatii. Non unicus suo in genere fuit Ruso. Tradit Philostratus, in Vita Sophistae Polemonis [2], fuisse Varum quendam foeneratorem, debitores ad audiendum, cum recitaret, cogere solitum.

Novium absentem carpebat Maenius [3], Libr. I. Sat. 3. v. 21. Maenius, de quo infra, prodigus erat, Novium igitur recte inter avaros collocabimus. Idem, ut videtur, de quo Horatius Libr. I. Sat. 6. v. 120. sq.:

> obeundus Marsya [4], qui se
> Vultum ferre negat Noviorum posse minoris,

ubi Novius minor inter foeneratores recensetur a Scholiastis. Incertum est, sitne hic idem, atque ille Novius, libertinus, de quo, l. l. v. 40., tribunus quidam plebis, cives de rupe Tarpeia deiicere vel carnifici tradere ausus [5]:

---

[1] Vid. Pighius Annal. T. III. p. 139. Cf. Suetonius in Vita Aug. c. 2.

[2] Pag. 540. sq. Edit Olear.

[3] Vulgo *Maevius*, sive *Mevius*. Vid. Weichertus Poët. Lat. Rel. p. 321. sq.

[4] Servius ad Aen. Libr. IV. v. 58.: « *Lyaeo*) *Qui — apte urbibus libertatis est Deus; unde etiam Marsyas, minister eius, civitatibus in foro positus libertatis indicium est, qui erecta manu testatur, nihil urbi deesse.* »

[5] Cf. Livius Epit. Libr. LIX., Plinius Nat. Hist. Libr. VII. c. 44. Sect. 45., Aurelius Victor de Viris illustr. c. 66.

Novius collega gradu post me sedet uno:
Namque est ille, pater quod erat meus.

Quo in loco: *sedere*, figurate esse interpretandum, nec cum Scholiastis, de sedibus in theatro cogitandum esse puto.

NATTAM [1] immundum notavit Horatius Libr. I. Sat. 6. v. 123. sq., qui unguere sese soleret oleo, lucernis detracto.

AVIDIENUM Libr. II. Sat. 2. v. 55. sqq.:

Avidienus,
Cui Canis ex vero ductum cognomen adhaeret,
Quinquennis oleas est, et silvestria corna;
Ac, nisi mutatum, parcit defundere vinum; et
Cuius odorem olei nequeas perferre (licebit
Ille repotia, natalis, aliosve dierum
Festos albatus celebret) cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.

Damasippus ad Horatium Libr. II. Sat. 3. v. 69. sqq.:

Scribe decem a Nerio: non est satis: adde Cicntae
Nodosi tabulas centum, mille adde catenas:
Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.

vs. 74. sqq.:

Si male rem gerere insani, contra bene sani est;
Putidius multo cerebrum est (mihi crede) Perilli
Dictantis, quod tu numquam rescribere possis.

Exemplum Damasippus proponit. Scribe, inquit, i. e., fac, te scribere, decem a NERIO. Ita qui pecuniam mutuam accipiebant. «L. Titius,» est in

[1] Idem nomen Persius usurpat Sat. III. v. 31. *Nacam* sive *Naccam* substituere volebat Philologus propter locum Festi Libr. XII.: «*Naccae*, Fullones, quod nauci non sunt, id est nullius *pretii*.»

Digestis [1], «scripsi me accepisse a P. Maevio quindecim mutua.» Non est satis, pergit Damasippus, chirographus eiusmodi nihil valebit, quum solvere non poteris. Addamus etiam maiorem cautionem. Scribe decem, scribe mille tabulas, cautiones eiusmodi, quales PERILLIUS CICUTA [2] dictare solet, quum pecuniam mutuam est daturus, nihil profecerit is, qui mutuum tibi dedit, quum non poteris rescribere, i. e. reddere, solvere [3]. Nerii nomen Persius quoque usurpat Sat. II. v. 14.:

Nerio iam tertia ducitur [4] uxor,

ubi Scholiastes: «*Nerius morte coniugum locupletatus, foenerator est factus notissimus, de quo Horatius, cet.*» Reinhardus [5] cogitabat Cn. Nerium, quaestorem urbanum a. 705., cuius denarius exstat apud Fulvium Ursinum, Golzium et Begerum [6]. Quaestores urbani aerarium servabant teste Asconio [7]. Pompeianos id male custodiisse, Caesar tradidit [8]. Inter eos Nerium quoque fuisse, eumque sibi inde hausisse putat Reinhardus. Nec diversus videtur Nerius ab illo Cn. Nerio Pupinia, indice famoso, de quo Cicero ad Quin-

---

[1] L. 12. 1. fr. 40. de rebus creditis, si certum petetur.

[2] Ita Porphyrion. Acron modo *Perillium Cicutam*, modo *Nerium Perillium* habet.

[3] Vid. Bentleius ad l. l. et ad Libr. II. Epist. I. v. 105. Diversae interpretationes sunt Dacerii, Sanadoni, Heindorfii, aliorum.

[4] I. e.: *effertur*, vid. Servius ad Virg. Georg. Libr. IV. v. 256.

[5] In Heindorfii Satir. Horatii Edit., quam curavit Wuestemannus, p. 338.

[6] Cf. Pighius Annal. T. III. p. 437.

[7] Ad locum Ciceronis in Verrem Libr. I. c. 4.

[8] Teste Reinhardo Libr. I. de Bello Civili c. 14.

tum fratrem, Libr. II. Epist. 3., scripta a. 698. — Perillio, propter asperitatem et amaritudinem morum Cicutae cognomen datum fuisse, testantur Acron et Schol. Cruquianus.

Staberius pauperiem ingens vitium esse credebat. Cavit, ne posteritas ignoraret, quam expers eius fuerit. Heredes summam sepulchro incidere debuerunt [1]:

> **Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum**
> **Damnati populo paria [2] atque epulum arbitrio Arri,**
> **Frumenti quantum metit Africa.**

Prodit apud Ciceronem Q. Arrius, infimo loco natus, qui tamen pecuniam et honores erat consecutus [3]. Verri, Siciliae praetori, successurus erat, sed non successit [4]. Cum servis fugitivis, duce Crixo, vario successu pugnavit, a. 682 [5]. Huius filium Ernestius, in Clavi Ciceroniana, statuit Q. Arrium, qui consulatum, quem petebat, sibi esse ereptum, cum a Caesare destitutus esset, vehementer querebatur a. 695. [6], quique eodem anno, fortasse uti populi favorem sibi conciliaret, epulum funebre, in honorem patris, dedit in templo Castoris [7], ubi multa hominum millia accubuerunt, quod significare potuit Horatius. Atqui non cogitasse videtur Ernestius, quam parum probabile sit, eius, qui praetor fuerat a. 682. [8],

[1] Libr. II. Sat. 3. v. 84. sqq.

[2] Cf. supra p. 532.

[3] In Bruto c. 69.

[4] In Verrem Libr. II. c. 15., Libr. IV. c. 20.

[5] Livius Epit. Libr. XCVI.

[6] Cicero ad Atticum Libr. I. Epist. 17., Libr. II. Epist. 5. et 7.

[7] Id. in Vatinium c. 12. et 13.

[8] Ad a. 691. Q. Arrius praetorius prodit apud Plutarchum in Vita Ciceronis c. 15.

filium consulatum petere a. 695., quare rectius inter utrumque non distinguemus, uti nec fecit Cl. Orellius. Patrem Q. Arrii quod ignoremus, non mirandum est. Ipse infimo loco natus erat. Pater aut mortuus est a. demum 695. aut filius epulum dedit aliquot annos post eius obitum, quemadmodum Q. Caecilius Metellus Pius Scipio patri adoptivo Q. Caecilio Metello Pio, mortuo a. 691., munus gladiatorium dedit a. 697 [1]. Arrius certe mortuus iam erat cum Brutum scriberet Cicero a. 708 [2]. Duos filios habere debuit. Horatius enim l. l. v. 243. sqq.:

> Quinti progenies Arri, par nobile fratrum,
> Nequitia et nugis pravorum et amoro gemellum,
> Luscinias soliti inpenso pransere coëmtas:
> Quorsum abeant? sanin' creta, an carbone notati?

Alterum ex iis Borghesius [3], sed perperam, habebat C. Arrium, Ciceronis vicinum in Formiano [4], qui vero philosophiae studio deditus erat, alterum M. Arrium Secundum, cuius exstat denarius.

Opimius prodit Libr. II. Sat. 3. v. 142. sqq. Quum lethargo oppressus esset, audito nummorum strepitu sacco effusorum, statim recreatus est. Nusquam alibi memoratur.

---

[1] Exempium affert Orellius. Cf. Cicero pro Sestio c. 58., Dio Cassius Libr. XXXVII. c. 37.

[2] Vid. c. 69. Ceterum de Q. Arrio Cicero ad Quintum fratrem Libr. I. Epist. 3., pro Milone c. 17.

[3] De quo vid. Orelius in Onomastico Tulliano.

[4] Cicero ad Atticum Libr. II. Epist. 14. et 15. Monumentum prope Ciceronis Formianum Arrio Salano ab uxore Oppia positum, huius Arrii fuisse coniecit Capmartin, *Déc. de la maison de Camp. d'Horace*, T. I. p. 190.

Alfii foeneratoris, quem lepidissime inducit Horatius, Epod. II., vitae rusticae laudes celebrantem, Columella dictum servavit in libro de Re Rustica I. c. 7. § 2.: Vel optima nomina, non appellando, fieri mala.

Albinus, homo prorsus ignotus, in Art. Poët. v. 327. [1], cuius filius tam accurate docetur artem dividendi assem servandique rem familiarem, non iniuria, puto, foeneratoribus adscribetur.

De Bestio Libr. I. Epist. 15. v. 37. infra videbimus.

§ 2.

Facete Horatius Libr. II. Sat. 5. heredipetas ex persona Tiresiae perstringens, v. 55. sqq., exemplum proponit eiusmodi captatoris misere decepti:

recoctus
Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem,
Captatorque dabit risus Nasica Corano.

Quinquevirorum humile munus erat [2], scribarum quoque conditio, quamvis honesta, non admodum illustris [3]. Pergit vs. 64. sqq.:

forti nubet procera Corano
Filia Nasicae, metuentis reddere soldum.
Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit, atque
Ut legat orabit: multum Nasica negatas
Accipiet tandem, et facitus leget, inveniletque
Nil sibi legatum, praeter plorare, suisque.

Sunt qui *nubere* interpretantur, uti apud Plautum

---

[1] De quo loco cf. Cl. Peerlkamplus.

[2] Cicero Acad. prior. Libr. II. c. 44.

[3] De scribis cf. Doct. Weberus in *Jahrb. f. d. Philol. u. Paedag.* IX. *Bd.* p. 78.

Cist. Act. I. Sc. 1. v. 45.: «Haec quotidie viro *nubit*,» quique Coranum generum Nasicae fuisse censeant, uti Villius Sullae erat, Libr. I. Sat. 2. v. 64., an recte, nescio. Sequens historia vs. 84. sqq. anus illius Thebanae, quin Romae, Horatii tempore, acciderit, mihi dubium non esse videtur [1].

§ 3.

MAENIUS, qui res paternas atque maternas fortiter absumserat [2], cum NOMENTANO nepote recte componitur Libr. I. Sat. 1. v. 101. sq. [3]. Idem Maenius carpebat Novium, de quo modo vidimus, sibi ignoscebat, Libr. I. Sat. 3. v. 21. sqq., ubi scholia leguntur, quae in initio huius libri retulimus [4]. Scholiastae turpiter in iis originem nominis columnae Maeniae ad Maenium Horatianum retulerunt, quae vero posita fuerat a. 417. in honorem C. Maenii, propter victoriam de Latinis [5]. Ex eiusmodi columna gladiatores spectari non poterant, poterant ex Maenianis, quae nomen duxerunt a Maenio censore a. 436., de quo Festus Libr. XI.: «Maenius censor primus in foro ultra columnas tigna proiecit, quo ampliarentur superiora spectacula.» Maenius Lucilianus, quem

[1] Vid. eiusmodi historia Petron. Satir. c. 141. Cf. supra p. 15.

[2] Libr. I. Epist. 15. v. 26. sq.

[3] Ibi *Naevium*, sed perperam, habet Schol. Cruq. et ita plurimi Codices. Vid. Bentleius.

[4] Pag. 1., 2. et 3.

[5] Livius Libr. VIII. c. 13. Statua equestris, cuius meminit, columnae imposita fuisse videtur. Plinius Nat. Hist. Libr. XXXIV. c. 5. Sect. 11. Eadem designatur a Cicerone Divin. c. 16., pro Sestio c. 8. et 58. Egit de ea Cl. Osannus in Programmate, (*Giessen*, 1844.) quod non vidi.

Scholiastae l. l. cum Horatiano confundunt, columnam Maeniam [1] invitus procul dubio petiit. Debitores enim apud eam a creditoribus proscribebantur [2]. Notaveritne Horatius nebulonem sui temporis cognominem Luciliano, an vero illi pro vero nomine imposuerit nomen ex Lucilio desumptum, incertum est. Nomentani certe prodigi nomen apud eundem Lucilium legitur [3], ut de huius quoque nomine, sitne verum an affictum, ambigi possit. Maenius, Libr. I. Epist. 15. v. 26., cum omnia consumsisset, scurra factus, si quando

> nequitiae fautoribus et timidis nil
> Aut parvum abstulerat: patinas coenabat omasi
> Vilis et agninae, tribus ursis quod satis esset:
> Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
> Diceret urendos, corrector [4] BESTIUS.

Cruquius ad vs. 37.: «De Cornelio Bestio scribit Plutarchus, eum Ruscium, Imbrici soceri sui filium, quem acceperat servandum, dedisse morti, ut eius auro potiretur.» Fidem Cruquio habuerunt Sanadonus et Bothius. Weichertus vero illum Cornelium

---

[1] Confundunt eam cum Maenianis Asconius ad Cic. Divin. c. 16., Nonius de propr. Serm. in voce *Maeniana*. Asconius praeterea, siquidem Asconius fuit, tertium Maenium cum illis duobus, de quo supra, confundit, cum, cuius atrium emit Cato censor a. 570., ut ibi basilicam exstrueret, vid. Livius Libr. XXXIX. c. 44. De Maenianis Cic. Acad. prior. Libr. II. c. 22., Valerius Max. Libr. IX. c. 12. n. 7., Ammianus Marc. Libr. XXVII. c. 9.

[2] Schol. Bob. ad Cic. pro Sestio c. 8. Fures quoque et servi nequam apud eam a triumviris capitalibus puniebantur, teste Asconio ad Cic. Divin. c. 16. Cf. Cicero pro Cluentio c. 13.

[3] Sat. Libr. II. In Edit. Dousae p. 26. fr. 5., p. 27. fr. 15.

[4] De hac iectione, pro: *correctus*, *correptus*, cet. vid. Bentleius et Obbarius.

Bestium in Plutarcho quaesivit, nec reperire potuit. Persius Bestii nomen usurpat Sat. VI. v. 37. sq., ubi idem censor invehitur in doctores Graecos.

Ad vs. 26. Acron et Schol. Cruquianus Maenio Pantolabi tribuunt cognomen. Componitur PANTOLABUS scurra cum Nomentano nepote Libr. I. Sat. 8. v. 10. sq. Sepulcrum commune miserae plebi iis destinat Horatius. Iterum Libr. II. Sat. 1. vs. 21. sq. [1], ubi Trebatius inducitur Horatio obiiciens, quod tristi versu utrumque laesisset. Ad priorem locum Acron et Porphyrion testantur, Pantolabum proprio nomine dictum fuisse MALLIUM VERNAM, natum trans Tiberim ex parentibus ingenuis, cognomen accepisse quia ab omnibus pecuniam mutuam sumere solebat. Collegit Doct. Heusdius [2] ex scholiis allatis, Maenium Libr. I. Epist. 15. v. 26. diversum non esse a Pantolabo, adeoque eo in loco pro: *Maenio*, *Mallium* esse legendum.

De NOMENTANO, quem modo cum Maenio, modo cum Pantolabo compositum vidimus, est Libr. II. Sat. 3. v. 226.:

> Hic simul accepit patrimoni mille talenta,
> Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
> Unguentarius, ac Tusci turba impia vici,
> Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum
> Mane domum veniant [3]. qui cum venere frequentes,
> Verba facit leno: Quicquid mihi, quicquid et horum
> Cuique domi est, id crede tuum, et vel nunc pete, vel cras. cet.

---

[1] Ubi Acron: «*Nomina sunt luxuriosorum, quos etiam in priore libro Lucilius* [l. *Horatius*] *carpsit.*»

[2] Studia Critica in C. Lucilium p. 230.

[3] Nomentanus cum Apicio componitur a Seneca, de Vita beata, c. 11. Idem opponitur Cicutae Libr. II. Sat. 3. v. 175.

Nomentanus autem mox bonam patrimonii partem cum iis consumsit. Maior fortuna hoc in loco ei tribuitur, quam in scholiis ad Libr. I. Sat. 1. v. 102., ubi Acron: « *Cassius Nomentanus tam prodigus fuit, ut sestertium septuagies libidini et gulae impenderit. Huius cocum nomine Damam Sallustius Crispus centenis millibus aeris conductum habuit,* » eademque Porphyrion et Schol. Cruquianus, qui L. Cassium Nomentanum vocant. Nomentanus et Porcius convivae sunt Nasidieni in Libr. II. Sat. 8. v. 23., ubi Schol. Cruquianus Nomentanum dicit decumanum fuisse, Porcium publicanum, ut adeo uterque eques fuerit Romanus. Publicani enim equites erant, decumani autem, qui decimas conducebant, principes inter eos [1]. Porcius, ut simul de eo absolvam, nusquam alibi commemoratur, nisi sit ille ineptus adulator Maecenatis, quem Suidas ex Plutarcho affert, nomine inaudito *Iortii* [2], quod Meibomius [3] in *Porcii* nomen mutare volebat. Iortius ille, sive Porcius potius, cum Maecenas aliquando in convivio posuisset mensam angularem, — veteres autem rotundas magis amabant quam angulares, — pretiosam, eaque a convivis exquisitis laudibus exciperetur, cum nihil amplius haberet, quod expromeret, « *ἐκεῖνο δέ,* » inquit, « *οὐκ ἐννοεῖτε, ὦ φίλοι συμπόται, ὡς στρογγύλη ἐστὶν ἡ τράπεζα καὶ ἄγαν περιφερής.* »

Albi filius, notatus Libr. I. Sat. 4. v. 28. et 109., qui aere stupebat, i. e. vasis Corinthiis delectaba-

---

[1] Cicero in Verrem Libr. II. c. 71.

[2] In voce.

[3] In Vita Maecenatis, p. 127.

tur, POMPONIUS vs. 52., BARUS vs. 110., ubi Bentleius vocabulum *farris*, sive *panis* substituere volebat, TRAUSIUS [1] Libr. II. Sat. 2. v. 100., omnes aeque ignorantur.

Filius AESOPI superest, de quo Libr. II. Sat. 2. v. 239.:

> Filius Aesopi detractam ex aure Metellae
> (Scilicet ut decies solidum absorberet) aceto
> Diluit insignem baccam [2].

Vocabatur Clodius, teste Plinio. Fuerat a patre in magnis opibus relictus. Eius mentionem, parum, puto, honorificam, fecit Maevius poëta, de quo supra vidimus [3], teste Porphyrione. Dolabellae, generi Ciceronis, socius nequitiae erat [4]. Dolabella, ut videtur, amavit CAECILIAM METELLAM, uxorem P. Cornelii Lentuli Spintheris [5], (cuius pater consul fuerat a. 697.) Recte igitur hanc cogitamus in loco Horatii. Neque enim Aesopus eius amator fuisse dicitur. Lentulus divortium cum ea fecit a. 709 [6]. Plures fuerunt Metellae, quae male audierint [7].

---

[1] De nominis scriptura vid. Bentleius.

[2] Rem narrant Valerius Max. Libr. IX. c. 1. n. 2., Plinius Nat. Hist. Libr. IX. c. 35. Sect. 59., Tertullianus de Pallio c. 5. Eiusmodi exemplum Cleopatrae tradunt Plinius l. l. Sect. 58. et Macrobius Saturn. Libr. II. c. 13., Caliguiae Suetonius in Vita c. 37. Plura de Clodio habet Plinius l. l. Libr. X. c. 51. Sect. 72.

[3] Pag. 101. sqq.

[4] Cicero ad Atticum Libr. XI. Epist. 15.

[5] Id. ibid. Libr. XI. Epist. 23.

[6] Id. ibid. Libr. XII. Epist. 72., Libr. XIII. Epist. 7.

[7] Uxor Luculli, vid. Plutarchus in Vita c. 1.; uxor M. Aemilii Scauri, quae postea Sullae nupsit, vid. id. in Vita Sullae c. 6., Plinius Nat. Hist. Libr. XXXVI. c. 15 Sect. 24. Cf. Baylius *Dict. Hist.* in voce.

§ 4.

Avaris et prodigis subiungemus *νεοπλούτους*, genus hominum molestissimum, utrorumque fere mores referens, prodigum ad ostentationem, ceteroquin sordidum et avarum.

Nasidienus Rufus, procul dubio, inter eos est numerandus. Coenam, qua Maecenatem excepit festive Horatius, ex persona Fundanii, describit Libri II. Sat. 8., de qua luculenter egit Wielandus. Lambinus, quem Gesnerus, Heindorfius et Buttmannus [1] secuti fuerunt, sub nomine Nasidieni Rufi, Q. Salvidienum Rufum notatum esse putabat. Fuerat is propter merita in bello cum S. Pompeio, in Hispania et in obsidione Perusii, quamvis obscurissimis initiis, a Caesare Octaviano evectus ad dignitatem equestrem, post etiam consul designatus. Quum vero perfida consilia contra Caesarem agitaret, mortem sibi invenit a. 714 [2]. Atqui Nasidieni pictura personam imperatoris prorsus non refert, nec Librum II. Satirarum tam mature scripsisse videtur Horatius. Spohnius cogitabat Q. Nasidium, ducem Antonianum [3], cuius vero vitam moresque prorsus ignoramus.

[1] *Mythologus*, T. II. p. 332. Aut Salvidienum, aut fratrem eius, de quo Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 33., mortuum ante ipsum, cogitabat Buttmannus.

[2] Livius Epit. Libr. CXXVII., Velleius Libr. II. c. 59. et 76., Seneca de Clementia Libr. I. c. 9., Suetonius in Vita Augusti c. 66., Appianus de Bello Civili Libr. IV. c. 85., Libr. V. c. 32. et 66., Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 18. et 33. Diverse mortem eius tradunt Livius, Suetonius et Dio Cassius. Fuse de eo Weichertus Caesaris Aug. Reliq. Libr. I. Exc. III.

[3] In Iahnii Edit. Horat. sec. p. 271. De Q. Nasidio vid. Dio Cassius Libr. L. c. 13.

Est, Horatius inquit Art. Poët. v. 297. sqq., qui nec ungues nec barbam ponere curet:

> Nanciscetur enim pretium nomenque poëtae,
> Si tribus Anticyris caput insanabile numquam
> Tonsori LICINO commiserit.

Annotat Schol. Cruq.: «*Licino*) *Nomen tonsoris famati, qui postea dicitur factus senator a Caesare, quod odisset Pompeium, de quo hoc scriptum est epitaphium: Marmoreo tumulo Licinus iacet, at Cato nullo; Pompeius parvo, quis putet esse deos.*» Licinus, de quo Scholiastes, is esse videtur, quem in exemplum praedivitis proponunt quoque Seneca, Persius, Iuvenalis et Martialis [1]. Natus in Gallia fuerat, captus a Romanis servusque Iulii Caesaris factus, post ab eo manumissus, ab Augusto adeo procurator Galliae creatus, quo in munere quam turpiter se gesserit, poenam tamen effugerit, tradit Dio ad a. 739 [2]. Epitaphium, quod Scholiastes Cruq., habet quoque Persii Scholiastes ad Sat. II. v. 36., ubi est de Licini campis: «— *Alii volunt Licinium* [3], *tonsorem ac libertum Augusti Caesaris significari, praedivitem, cuius monumentum est pretiosi operis* [*sepultus*] *via Salaria prope*

---

[1] Seneca de Morte Claudii c. 6., Epist. CXIX. § 10., CXX. § 20., Persius Sat. II. v. 36., Iuvenalis Sat. I. v. 109., XIV. v. 306., Martialis Libr. VIII. Epigr. 3., (in quo tumuli Licini fit mentio.) De eodem Macrobius Saturn. Libr. II. c. 4., Sidonius Apollinaris Libr. V. Epist. 7.

[2] Dio Cassius Libr. LIV. c. 21. Perperam Scholiastes ad Iuv. Sat. I. v. 109., qui plura de eo habet, Germanum eum fuisse tradit. A Suetonio in Vita Augusti c. 67. et a Macrobio l. l. inter libertos Augusti refertur, sed itą quoque Menas, qui erat Pompeii Magni, inter S. Pompeii, vid. supra p. 298. n. 2.

[3] Ita fere prosae scriptores. *Licinum* contra habent poëtae.

urbem, ad lapidem secundum. De hoc homine non invenustum Varronis epigramma fertur: Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato parvo: Pompeius nullo: quis putet esse Deos?» Minus recte. Pompeii enim tumulus, quamvis parvus, erat [1]. Varronis autem, sive Terentium, sive Atacinum cogites, Epitaphium esse non potest, utrique enim superstes Licinus fuit. Est Tironis, cui tribuitur in Cod. Schol. Persii, ab Heinsio collato. Tiro vitam produxit usque ad a. u. 749. s. 750 [2]. Dubium autem videtur, utrum Licinus ille sit tonsor Horatianus. Augusti tonsor fuisse dicitur, ut vidimus, a Scholiasta Persii, sed Caesaris fuerit, si omnino fuit, ante manumissionem, necesse est [3].

§ 5.

Moechos, libidinosos, impudicos in hac Sectione componemus. In moechos invehitur Horatius Libr. I. Sat. 2., ridicule varia incommoda depingens, quibus obnoxii sunt. Villius, inquit vs. 64. sqq.,

> Villius in Fausta Sullae gener, hoc miser uno
> Nomine deceptus, poenas dedit usque superque
> Quam satis est; pugnis caesus, ferroque petitus,
> Exclusus fore, cum Longarenus foret intus.

---

[1] Plutarchus in Vita c. 80.

[2] Hieronymus Ol. CXCIII. 4. Vid. Wuellnerus de Varrone Atacino p. 7. sqq. Epigramma distichо, sed spurio, auctius exhibet Burmannus Anthol. Poët. Lat. Libr. II. 37. T. I. p. 205.

[3] Vid. Otto Jahnius in *Zeitschr. f. d. Alterth. Wiss.* a. 1837. p. 858. Perperam Scholiastes Iuvenalis cogitat Licinum Sat. I. v. 24. sq., ubi Cinnamum notat poëta, de quo Sat. X. v. 225. sq. et Martialis Libr. VII. Epigr. 64.

VILLIUS, non vere gener, sed per iocum ita vocatur. Erat adulter Faustae, Milonis uxoris. In FAUSTA dicitur, uti apud Tacitum legimus Annal. Libr. III. c. 24.: «D. Silanus, in nepti Augusti adulter.» Perperam Acron et Porphyrion, *Annium* Milonem eo nomine, servatis numero et quantitate syllabarum, ab Horatio significatum statuunt. Adulterum, non maritum, agnoscere praestat. Si nomen mutatum est, Fulvium, unum ex moechis Faustae, de quo Macrobius Saturn. Libr. II. c. 2. Sed mutatione, hoc in loco, opus non erat, ut recte ostendit Bentleius. Erat autem Villius quidam, familiaris Milonis, teste Cicerone [1]. Schol. Cruq., et ita quoque altero in scholio Acron, LONGARENI nomine Milonem esse designatum, opinati sunt, iisque, quod miror, fidem habuit Weichertus [2]. Fausta autem, cum Fausto, gemino fratre, nomen acceperat a patre SULLA, quod ipsius, *Felicis*, cognomen erat relaturum [3]. Matri Metellae, olim Scauri, post Sullae uxori, infamia non cedebat [4].

TREBONIO idem quod Villio acciderat, Libr. I. Sat. 4. v. 114. Ceteroquin prorsus ignoratur. Propter aetatem diversus esse debet ab illo Numonii comite, de quo supra vidimus [5].

Horatius autem facilem venerem amabat. Libertinarum amores potius suadebat. Quamvis in iis quoque erant, qui peccarent. Libr. I. Sat. 2. v. 47. sqq.:

---

[1] Ad Diversos Libr. II. Epist. 6.

[2] Poët. Lat. Rel. p. 414. Contra Madvigius Opusc. Acad. p. 71.

[3] Plutarchus in Vita Sullae c. 34., Plinius Nat. Hist. Libr. VII. c. 42. Sect. 43.

[4] Cf. supra p. 559. n. 7.

[5] Pag. 501.

Tutior at quanto merx est in classe secunda!
Libertinarum dico: Sallustius in qua
Non minus insanit, quam qui moechatur. cet.

Ubi Acron: «*Ipsi — Sallustio in senatu a censoribus hoc obiectum est. Tum ille non se matronarum sed libertinarum sectatorem esse, testatus est, et ideo ex senatu expulsus est, quod excusat idem in Catilinae bello*[1].» Multum de SALLUSTII moribus, fueritne bonis an malis, disputatum fuit. Ea omnia referre non est huius loci, quum de Sallustio historico apud Horatium prorsus non sit cogitandum. Ille enim, uti egregie observavit Torrentius, ex moechorum grege ab Horatio non fuerat excipiendus, quippe qui a Milone in adulterio deprehensus fuerat cum Fausta uxore[2]. Hoc procul dubio factum ante a. 702., ex quo Milo Massiliae exulabat. Sed erat alter Sallustius, de quo Tacitus Annal. Libr. III. c. 30. ad a. 773.: «Fine anni concessere vita insignes viri L. Volusius et Sallustius Crispus. — Crispum, equestri virum loco, C. Sallustius rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adscivit, atque ille, quamquam promto ad capessendos honores aditu, Maecenatem aemulatus, sine dignitate senatoria, multos triumphalium consulariumque potestate anteiit, diversus a veterum instituto per cultum et munditias, copiaque et affluentia luxu propior, suberat tamen vigor animi ingentibus

---

[1] Motus e senatu fuit, vid. Dio Cassius Libr. XL. c. 63.

[2] Gellius Libr. XVII. c. 18. ex Varrone, Servius ad Aen. Libr. VI. v. 612., Acron ad Libr. I. Sat. 2. v. 41.: «*Sallustius Crispus in Faustae, filiae Syllae, adulterio deprehensus, ab Annio Milone flagellis caesus esse dicitur, quem Asconius Pedianus in vita eius significat,*» eademque Porphyrion et Schol. Cruquianus.

negotiis par, eo acrior, quo somnum et inertiam magis ostentabat [1].» Hunc notare potuit Horatius, adolescentem, cum scriberet Libr. I. Sat. 2., eundem tamen postea Carmine donare Libr. II. 2. Hoc enim longo post tempore est scriptum, non ante a. 724. [2], quum Sallustius iamdudum in gratiam redire potuit cum Horatio. Maiora etiam Caesar Calvo et Catullo condonavit [3]. Nec eiusmodi Carmen est, quod iure adulatorium vocemus:

> Nullus argento color est avaris
> Abdito terris; inimice lamnae
> Crispe Sallusti, nisi temperato
> Splendeat usu.

Habebat Sallustius metalla, teste Plinio [4], in Centronum Alpino tractu, uti apposite ad hunc locum observavit Heinsius [5].

Cupiennius, de quo in eadem Satira vs. 35. sq., matronas sectabatur. Porphyrion eum vocat Cupennium (Cruquianus rectius Cupiennium) Libonem Cumanum, addit familiaritate Augusti clarum fuisse. Est Ciceronis Epistola [6] a. 710. ad C. Cupiennium, de causa Buthrotica, ab Attico suscepta; sitne hic idem atque ille adulter, quis dicat.

Aeque ignotus est Scetanius moechus, Libr. I.

---

[1] De eodem Seneca de Clementia Libr. I. c. 10., Tacitus Annal. Libr. I. c. 6., Libr. II. c. 40.

[2] Cf. supra p. 224. Sallustius historicus mortuus est a. 719., teste Hieronymo Ol. CLXXXVI. 2.

[3] Vid. supra p. 114. n. 4. et 5.

[4] Nat. Hist. Libr. XXXIV. c. 2. Sect. 2.

[5] Animadv. in Horatium p. 35.

[6] Ad Diversos Libr. XVI. 16.

Sat. 4. v. 112., quem ne imitaretur, Horatium pater hortabatur [1].

Julius et fragilis Pediatia componuntur [2] Libr. I. Sat. 8. v. 39., qua ratione, haud necesse est, ut moneamus. Pediatius erat generis equestris, testibus Scholiastis. Opportune Dacerius confert Aristophanis *Σωστράτην*, *Κλεωνύμην* cet. [3], et Ciceronis Egiliam [4].

Pediatio subiungam Cerinthum, puerum delicatum, de quo Horatius Libr. I. Sat. 2. v. 80. sq., matronam Romanam significans:

> Nec magis huic, inter niveos viridisque lapillos
> Sit licet, o Cerinthe, tuo tenerum est femur, aut crus
> Rectius:

uti locum disposuit Bentleius. Alii aliter, qua de re fuse accurateque egit Cl. Orellius. Qui legunt:

> Nec magis huic, inter niveos viridisque lapillos
> (Sit licet hoc, Cerinthe, tuum) cet.,

aut vocabulum *hoc* interpretantur *femur* tuum, aut *hanc tuam stultitiam*, *qui matronas ames*, ut Cerinthum ex pueris meritoriis eximant, adulterum faciant. Sunt qui putent, hunc esse Tibulli Cerinthum, a Sulpicia amatum. Verum ille circa a. 715., Horatianus circa 730. florebat, uti recte observavit Orellius.

---

[1] De nominis scriptura vid. Kirchnerus *des Q. H. F. Satiren krit. berichtigt.*

[2] Sunt, qui Iulium Pediatium in unius viri nomen coniungant. Perperam. Vid. supra p. 485. et 528.

[3] Nub. v. 678. et 680.

[4] De Orat. Libr. II. c. 68.

§ 6.

Ofella, gulosos vehementer insectans Libr. II. Sat. 2., ita vs. 46. sqq.:

haud ita pridem
Galloni praeconis erat acipensere [1] mensa
Infamis. quid? tum rhombos minus aequora alebant?
Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido;
Donec vos auctor docuit praetorius.

P. GALLONIUS aequalis erat Lucilii, notatus ab eo versibus, quos Cicero servavit [2].

Ad vs. 49. annotat Porphyrion: «*Ruffus praetorius instituisse creditur, ut ciconiarum pulli manducarentur. Isque cum repulsam in praetura attulisset, tale epigramma meruit: Ciconiarum iste Ruffus conditor Hic* [3] *est duobus elegantior Plancis: Suffragiorum puncta non tulit septem. Ciconiarum populus ultus est mortem.*» Idem *Asellius* ab Acrone, a Schol. Cruquiano *Asinius Sempronius Rufus* vocatur. Quum praetorius esset, non in praetura petenda, uti est apud Porphyrionem, sed in consulatu, pati debuit. Duorum Plancorum mentio in Epigrammate allato, quid significet, obscurum est. Rufus cum Nerone et Apicio componitur a Tertulliano [4]. Iam, quod praevidebat Ofella, revera factum est. Desierunt ciconiae in

[1] De acipensere Plinius Nat. Hist. Libr. IX. c 17. Sect. 27., Macrobius Saturn. Libr. II. c. 12., Athenaeus Libr. IV. c. 5. p. 136. A, Libr. VII. c. 12. p. 294. F.

[2] De Finibus Libr. II. c. 8. Id. de Gallonio ibid. c. 28., pro Quintio c. 30.

[3] *Ipse* habet Burmannus Anthol. Poet. Lat. Libr. II. 126 T. I. p. 305.

[4] De Pallio c. 5.

honore esse, non tamen mergis, quod fore suspicabatur, sed gruibus cesserunt [1].

Aufidium Catius, de quo supra vidimus [2], reprehendit Libr. II. Sat. 4. v. 24. sqq.:

> Aufidius forti miscebat mella Falerno,
> Mendose: quoniam vacuis committere venis
> Nil nisi lene decet.

Fuit M. Aufidius Lurco, qui circa bellum piraticum pavones saginare instituit, exque eo quaestu reditus sestertium sexagena millia habuit [3]. Hic fortasse designatur a Catio. Ab Orellio diversus non habetur a Lurcone tribuno plebis a. 693., qui legem de ambitu bono auspicio, claudus homo, tulit, ut ait Cicero [4].

Curtilli praeceptum memoratur Libr. II. Sat. 8. v. 51. sqq., ubi Nasidienus:

> Erucas viridis, inulas ego primus amaras
> Monstravi incoquere; illotas Curtillus echinos,
> Ut melius muria quam testa marina remittit.

§ 7.

Gulosis subiungemus scurras et parasitos. Sarmentus prodit Libr. I. Sat. 5. in comitatu Maecenatis. Componitur cum Messio, de quo iam vidimus [5]. Ut Messius, ita quoque Sarmentus eques Romanus dici-

---

[1] Plinius Nat. Hist. Libr. X. c. 23. Sect. 30.

[2] Pag. 139. sqq.

[3] Varro de Rustica Libr. III. c. 6. § 1., Plinius Nat. Hist. Libr. X. c. 20. Sect. 23.

[4] Ad Atticum Libr. I. Epist. 16. Prodit M. Lurco, pro Flacco c. 4.

[5] Pag. 536. Sarmenti dictum refert Quintilianus Instit. Orat. Libr. VI. c. 3. § 58., qui vero locus corruptus est.

tur a Porphyrione. Perperam. Domina eius exstabat, teste Horatio v. 55. Messius ex eo, vs. 65.,

> Donasset iamne catenam
> Ex voto Laribus [1], quaerebat: scriba quod esset,
> Nihilo deterius dominae ius esse.

Erat vidua M. Favonii, illius aemuli Catonis, qui partes Pompeii fuerat secutus, captus vero ab Antonio et Octaviano et interfectus [2]. Rectio eius bonorum ad Maecenatem venit, qui Sarmentum, servum eius, libertate donavit et scribam fecit. Testatur id Scholiastes ad Iuvenalis Sat. V. v. 3. sq.:

> Si potes illa pati, quae nec Sarmentus iniquas
> Caesaris ad mensas, nec villis Galba tulisset,

haec annotans [3]: « *Sarmentus, natione Tuscus, e domo M. Favonii, incertum libertus an servus, plurimis forma et urbanitate promeritis, eo fiduciae venit, ut liber* [4] *equitem Romanum ageret, decuriam quoque quaestoriam compararet. Quare per ludos, quibus primum quatuordecim ordinibus sedit, haec a populo in eum dicta sunt:*

> *Aliud scriptum habet Sarmentus, aliud populus voluerat.*
> *Digna dignis. Sic Sarmentus habeat crassas compedes.*
> *Rustici, ne nihil agatis, aliquis Sarmentum alliget.*

Dum autem caussam usurpatae dignitatis dicit, precibus

---

[1] Cf. supra p. 534. sq.

[2] De eo Cicero ad Atticum Libr. I. Epist. 14., Velleius Libr. II. c. 53., Suetonius in Vita Augusti c. 13., Appianus de Bello Civili Libr. II. c. 119., Dio Cassius Libr. XL. c. 45., Libr. XLVII. c. 49. Repulsam in praetura passus erat, vid. Cicero ad Diversos Libr. VIII. Epist. 9., postea vero praetor creatus. Praetorius enim vocatur a Velleio l. l.

[3] Ex emendatione Rutgersii Lect. Ven. c. 16. p. 335. sq.

[4] Pro: *ut liber*, legebatur: *per.* Melius Weichertus: *pro equite R.*

et gratia, summoto accusatore, dimissus est, cum apud iudices nihil aliud docere tentaret, quam concessam sibi libertatem a Maecenate, ad quem rectio bonorum Favonii pertinuerat. Iam autem senex, in maximis necessitatibus, ad quas libidine luxurieque deciderat, coactus auctionare, cum interrogaretur, cur scriptum quoque quaestorium [1] *venderet, non infacete* [add. *respondit,*] *bona se memoria esse praeditum.*» Sarmentus igitur, quem equitem fuisse dicunt Scholiastae, pro equite agebat. Scriptum quaestorium comparaverat, id est factus fuerat scriba quaestoris. Aliud scriptum, *στίγμα*, utpote servo fugitivo, ci optabat populus. Iocus, cum diceret, se bona esse memoria, etiam post Salmasii, Rutgersii, Weicherti [2] diversas interpretationes, mihi obscurus videtur. Perperam autem Scholiastae Caesaris Sarmentum, de quo Iuvenalis, cum altero Maecenatis confuderunt. Caesaris ille, qui belli Actiaci tempore inter eius *παιγνίων παιδάρια* erat, teste Plutarcho [3], diversus esse debet ab eo, qui post pugnam Philippensem manumissus scribaque factus fuerat.

De Pantolabo et Mulvio supra iam vidimus [4]. Milonius in Libr. II. Sat. 1. v. 24., qui saltare [5] solebat, simulac fervor capiti numerusque lucernis accesserat, ut ait Horatius, inter scurras ponitur a Scholiastis. Volanerius, qui cum cheragra laboraret

---

[1] Legebatur: *censorium.*

[2] Poët. Lat. Rel. p. 225.

[3] In Vita Antonii c. 59.

[4] Pag. 557 et 441.

[5] De saltatione Cicero pro Murena c. 6., Macrobius Saturn. Libri II. c. 10.

nec digitos movere posset, hominem conduxit, qui talos pro se tolleret et mitteret in fritillum, Libr. II. Sat. 7. v. 15. sqq., ceteroquin ignoratur. Ignorantur aeque SERVILIUS BALATRO et VIBIDIUS, quos Maecenas adduxerat umbras, in coena Nasidieni, Libr. II. Sat. 8. De Porcio, Nasidieni parasito, iam egimus [1].

§ 8.

Aggrediamur improbum coetum furum, latronum, veneficorum, delatorum, iudicum periurorum, carnificum. SULCIUS et CAPRIUS delatores componuntur cum CAELIO et BIRRIO latronibus, Libr. I. Sat. 4. v. 65. sqq. Omnes aeque ignorantur. Utrumque vero genus furum et accusatorum Romae, Horatii tempore, abundabat.

Cives tradere CADMO, est in Libr. 1. Sat. 6. v. 39. Cadmus carnifex fuerit necesse est, nisi MSS. Cruq. lectio: *camo*, sit praeferenda. Camus autem vinculi genus est [2].

Plura de VORANO fure, notato Libr. I. Sat. 8. v. 39., nobis dederunt Scholiastae Porphyrion et Cruquianus. Emendatius hic: « *aiunt Voranum Q. Luctatii Catuli libertum, fuisse adeo furacem, ut nummos subreptos a nummulario in calceos demiserit; a quo cum deprehensus esset, quidam subridens, Belle, inquit, si*

[1] Pag. 558.

[2] Plautus Casin. Act. II. Sc. 6. v. 37., ubi Meursius pro: *canem*. (cf. Festus in voce *catulus*,) legebat: *camum*. Proprie freni genus erat, vid. Nonius de indiscr. gener. in voce *collum*, Isidorus Orig. Libr. XX. c. 16. Graece *κημὸς*, vid. Xenophon de Re Equestri c. 5. § 3., Aelianus de Nat. Anim. Libr. XIII. c. 9.

te non ἐκχαλκεύει, hoc est, verberibus, tamquam aes, recudat, alludens ad calceos. » Eadem Scholiastes Iuvenalis ad Sat. V. v. 186., ubi Catulli cuiusdam, poëtae scenici fit mentio [1], quem Vorani patronum fuisse dicit. Catullus ille poëta, quis fuerit, quae scripserit, prorsus ignoramus.

Notantur Libr. II. Sat. 1., Cervius delator vs. 47., Albucius veneficus, de quo infra ad Canidiam, Turius iudex periurus vs. 49., Scaeva matricida vs. 53. sqq. Ignorantur hodie SCAEVA et CERVIUS, nisi recte Scholiastes Cruq.: « *Cervius, Ascanii libertus, calumniator accusavit Cn. Calvinum* [2], *lege de Sicariis,* » ubi fortasse *Servium*, cum Lambino, iure suo, *Cervio*, substituemus, ut sit ille Servius Pola, accusator teter et ferus, cuius saepius meminit Cicero [3]. Perperam Iahnius [4] cogitabat P. Cervium, legatum Verris, virum honestum, teste Cicerone Libr. V. in Verrem c. 44.

De TURIO annotat Acron: « *Turius quidam corruptissimus iudex* [l. *praetor.*] *hic est, cui Hortensius propter fratrem* [add. *consobrinum*] *Varronem ceratas diversi coloris tabellas dedit. Alias: Turium Marinum iudicem* [l. *praetorem*] *significat, qui accepta pecunia pronunciare sit solitus, qui fidem suam corruperant. Hic quo*[*que*]

[1] De eodem Sat. XIII. v. 111.

[2] Cn. Domitius Calvinus fuit cs. a. 700.

[3] Ad Quintum fratrem Libr. II. Epist. 13. (Dubium est sitne idem de quo ibid. Epist. 6., vid. Manutius.) Caelius ad Cic. inter huius Epist. ad Div. Libr. VIII. 12. Pighius Annal. T. III. p. 426. Servium Polam non distinxit a Servio, qui a. 703., trib. pl. designatus, ambitus damnatus est. Perperam. Is enim a. proximo 704. cogitare non potuit de Caelio accusando, quod fecit Servius Pola.

[4] In Horat. Edit. sec. p. 262.

tempore Verris reus erat, [et] diversi coloris tabellas fertur dedisse, ut sciret, qui secundum voluntatem iudicasset, quia nomina sua centumviri non adiiciunt,» Porphyrion: «*C. Turius hic praetor fuit, apud quem accusatus est a Cicerone Verres, Hortensio defendente.*» Turium in causa Verris praetorem fuisse, uterque collegisse videtur ex loco male intellecto Ciceronis Divinat. c. 7. Schol. Cruq.: «*C. Martium Turium significat, cet.,*» quod nomen ex *C. Turii Marini* nomine est corruptum. Praetor fuerit Turius necesse est. Hic enim tabellas iudicibus dare solebat. Qui vero praetor erat, is a poëta recte iudex dici potuit. Acronis priorem narrationem de Turio firmat Pseudo-Asconii scholion ad Ciceronis l. l.: «*Terentius Varro, consobrinus frater Hortensii, reus ex Asia apud L. Furium praetorem primo de pecuniis repetundis, deinde apud P. Lentulum Suram est accusatus; absolutusque est a Q. Hortensio* [l. *per Q. Hortensium*, i. e. consilio et opera Q. H.] *cet.* [1],» quo in loco *Turius*, ex Horatio, *Furio* substitui debet, non vero apud Horatium *Furius Turio*, ut Cruquius fecit, metro repugnante [2], quem tamen Doeringius secutus est.

§ 9.

Sequuntur illi, qui propter minora vitia, vel incertam ob causam ab Horatio notantur. Ita in exemplum oppositorum afferuntur Tanais et socer Visellii Libr. I. Sat. 1. v. 105., ubi Porphyrion: «*Tanais spado fuit, Mecoenatis libertus, ut nonnulli L. Munatii,*

[1] In Orellii Edit. Cic. T. V. p. 109. Ex emendatione Graevii.

[2] Cf. Bentleius.

ut nonnulli Plancii [1]: *Viselli autem socer Herniosi*,» melius Schol. Cruquianus: «*ut nonnulli L. Munatii Planci. Socer autem Visellii herniosus* [2], ut adeo alteri id defuerit, quo alter nimis abundaret [3].

Traduentur semel iterumque RUFILLUS, qui pastillos, GARGONIUS, qui hircum olebat [4]. Frustra inquisiverunt Interpretes fuerintne Rufillus et Gargonius primarii in reipublica viri an quivis e vulgo, nobiles an ignoti. Memoratur a Seneca rhetore Gargonius [5], qui et ipse rhetor fuit, Buteonis auditor. Hunc Bentleius cogitabat in loco allato. Eundem esse statuebat atque rabulam istum, de quo Cicero in Bruto c. 48 [6]. Is vero mortuus iam erat, cum Cicero eius mentionem faceret a. 708., alterum Seneca pater audivit.

BALBINUM polypus HAGNAE delectabat [7]. Caecusne fuerit Balbinus prae nimio amore, an compensaverit Hagna divitiis aliove vitium nasi, incertum est. Hagna meretrix vocatur a Scholiastis. Nomen

---

[1] Ruhnkenius ad Velleii Libr. II. c. 63.: «*ut nonnulli L. Munatii Planci*,» et ita Schol. Cruq.

[2] In Auctar. Comm. vet. p. 690.

[3] De hernlis vid. Celsus Libr. VII. c. 18.

[4] Libr. I. Sat. 2. v. 27. Idem versus legitur Sat. 4. v. 92. Horatii locum refert Seneca Epist. LXXXVI. § 12., ubi legitur *Gorgonius*, excepto in uno Cod. Fickerti.

[5] Suasor. VII. p. 46. Edit. 1649. Idem Gorgonius vocatur Controv. Libr. I. 7. p. 108., Libr. IV. 24. p. 241. Bentleius ibid. Libr. V. Controv. 34. p. 320. *Gargio* substituebat *Gargonium*.

[6] Ubi legebatur *Gorgonius*. *C. Gargonium* substituit Orellius. De nominis scriptura cf. Bentleius et Weichertus Poët. Lat. Rel. p. 424. sqq.

[7] Libr. I. Sat. 3. v. 40. De nomine Hagnae cf. Bentleius. De polypo vid. Celsus Libr. VI. c. 8.

certe est servarum et libertinarum. De Balbino haec resciit Spohnius [1]; unde non constat: «L. Caelius Balbinus, qui hoc tempore proscriptus erat (Appian. IV. 50), sed postea rediit et a. 724. mense Novembri consul suffectus est.» Proscriptus vero ille ab Appiano vocatur Balbinus, nullo alio nomine addito; consul suffectus est L. Saenius, cuius cognomen non legitur [2]. Fit mentio Balbini cuiusdam, prorsus ignoti, in Epist. Ciceronis ad Atticum Libri XIII. 21.

Aufidii Lusci fit mentio Libr. I. Sat. 5. v. 34. sqq., in descriptione itineris Brundisini:

> Fundos Aufidio Lusco praetore libenter
> Linquimus, insani ridentes praemia scribae [3],
> Praetextam et latum clavom prunaeque batillum.

Praetor Aufidius non erat, agebat pro praetore. Fundos, utpote praefecturam, praefecti Roma mittebantur [4]. Ita quoque duumviri illi, quos Cicero Capuae viderat [5], L. Considius et S. Saltius praetores appellari volebant. Togae praetextae ius habebant magistratus coloniarum et municipiorum [6]; praefecturarum non item. Latus clavus ad senatores pertinebat. De batillo Schol. Cruquianus: « *Vatillum*) [ita scribit] — *est vas parvum, in quo pro felici hospitum adventu incensis odoribus Iovi hospitali sacra fiebant*,

[1] In Iahnii Horat Edit. sec. p. 253.

[2] Pighius Annal. T. III. p. 501.

[3] Nescio quis contulit locum Livii Libr. XXIII. c. 19., ubi memoratur praetor Praenestinus, qui quoque antea fuerat scriba. Perperam. Dux militum ille erat.

[4] Festus Libr. XIV. in voce *Praefecturae*.

[5] Orat. de Lege agr. II. c. 34.

[6] Livius Libr. XXXIV. c. 7.

quod cum ex cupro esset, ita tollebat et ostentabat hospitibus, quasi esset aureum.»

Barrus, Libr. I. Sat. 6. v. 30. sqq., formosus haberi cupiebat. Testibus omnibus Scholiastis incestum commiserat cum Aemilia virgine Vestali. Aemilia vero, Marcia et Licinia accusatae incesti damnataeque fuerant a. 640. [1]; Barrum aequalem Horatii fuisse rectius statuemus. Fuerat Barrus quidam inter Aemiliae corruptores, eumque cum Horatiano propter similitudinem nominis, confuderunt Scholiastae. Dacerius illi nomen tribuit Titi Veturii Barri, cogitans Lucium Veturium, equitem Romanum, quem Orosius retulit inter Aemiliae corruptores. Idem vero a Plutarcho Betucius Barrus vocatur [2]. Erat Betuciorum cognomen Barrus, quare eques ille rectius dicitur Betucius Barrus. Sed a nostro Barro diversus fuit.

Barrus ille formosus diversus erat profecto a Barro maledico [3], qui componitur cum Sisenna Libr. I. Sat. 7. v. 7. sq., ubi est de Persio [4]:

adeo sermonis amari
Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.

---

[1] Vid. Livius Epit. Libr. LXIII., Cicero in Bruto c. 43., Plutarchus Quaest. Rom. 83., Dio Cassius in fragm. Peiresc. 92., Macrobius Saturn. Libr. I. c. 10., Iulius Obsequens c. XCVII., Orosius Libr. V. c. 15., (qui perperam iudicium illud refert post bellum Iugurthinum,) Asconius ad Ciceronis Orat. pro Milone c. 12.

[2] Βετούριος Βάρρος ex emendatione Fabricii, ante quem legebatur Βουτίριος Βάρβαρος. T. Betucius Barrus est apud Ciceronem Br. c. 46.

[3] Eius nomen Baroni scurrae, in loco Senecae Libr. I. Controv. 7. p. 108., imponere volebat Bentleius, (vid. ad. Libr. I. Sat. 2. v. 27.) Perperam. Vid. Weichertus Poët. Lat. Rel. p. 426.

[4] De quo supra p. 286.

Cogitabat Dacerius Cornelium Sisennam, cuius liberum sermonem coram Augusto refert Dio Cassius Libr. LIV. c. 27 [1].

Notatur TILLIUS quidam, sive TULLIUS, nam variat lectio, Libr. I. Sat. 6. v. 24. sqq.:

> quo tibi, Tilli,
> Sumere depositum clavom, fierique tribuno?
> Invidia adcrevit, privato quae minor esset.

ubi Schol. Cruq.: « *Tullius hic senatu motus est a Caesare quasi Pompeianus; occiso vero Caesare, recepit latum iterum clavum, h. e. senatoriam dignitatem et tribunus militum factus est*, » eademque sed minus emendate Acron. Interpretes, nulla auctoritate, cogitarunt fratrem Tillii Cimbri, percussoris Iulii Caesaris [2]. Alter sive TULLIUS, sive TILLIUS, est enim eadem scripturae varietas, vs. 107. sqq.:

> Obliciet nemo sordis mihi, quas tibi, Tilli,
> Cum Tiburte via praetorem quinque sequuntur
> Te pueri, Iasanum portantes oenophorumque.

Diversus hic, qui propter exiguum [3] et sordidum comitatum repreheuditur, ab altero, qui propter ambitionem. Sunt tamen, qui non distinguant inter utrumque. Huuc Spohnius docuit [4], esse Tullium, Cice-

---

[1] Legitur ibi Κορνηλίου Σισεντίου. Cognomen vero Corneliorum est Sisenna non Sisentius.

[2] De quo Cicero ad Diversos Libr. VI. Epist. 12., Libr. XII. Epist. 13., Phil. II. c. II., Seneca Epist. LXXXIII. § II., de Ira Libr. III. c. 30., Plutarchus in Vita Bruti c. 17., Dio Cassius Libr. XLIV. c. 19., Libr. XLVII. c. 20.

[3] Cf. Libr. I. Sat. 3. v. II. sq., Sat. 6. v. 116. De Iasanophoris vid. Boettiger. *Sabina* T. I. p. 40. Ed. sec.

[4] In Iahnii Edit. Horat. sec. p. 257. cl. 246.

ronis oratoris filium, Gratidiae affinem [1], praetorem sine dubio a. 719., consulem a. 724. Mirum sane, unde haec petierit Spohnius.

Componit Horatius Libr. I. Sat. 10. v. 79. sq. PANTILIUM cimicem, uti eum vocat, cum Fannio et Tigellio Hermogene obtrectatoribus suis. De Pantilio annotat Schol. Cruquianus: «*nomen est vilis poëtae et maleolentis.*» Illud *maleolentis*, procul dubio, ex *cimicis* appellatione petiit, quamvis praestat convicii rationem agnoscere in consuetudine eius bestiolae pungendi et arrodendi, quam in foetido odore [2]. Inde quoque ipsum Pantilii nomen repetendum esse videtur, *ἀπὸ τοῦ πᾶν τίλλειν*, ut adeo lectio Pantillius vulgatae Pantilii sit praeferenda [3]. De poëtica Pantilii facultate nihil hodie constat. Mire iterum Spohnius: « Fortasse innuit poëta Tullium Cimbrum obtrectatorem Virgilii unicum. Ceteri poëtae omnes Virgilio favebant. »

Opponunter invicem Libr. II. Sat. 2. v. 67. sqq. ALBUCIUS et NAEVIUS. Qui mundus est:

> neque servis
> Albuci senis exemplo, dum munia didit,
> Saevus erit; nec sic ut simplex Naevius, unctam
> Convivis praebebit aquam.

Cum Naevio recte composuit Lambinus Valerium Leonem, Caesaris hospitem, qui illi asparagos apposuit unguento, pro oleo, conspersos [4]. Albucius ignoratur.

---

[1] Ciceronis oratoris avia vocabatur Gratidia, vid. Brut. c. 45.

[2] Weichertus Poët. Lat. Rel. p. 282.

[3] Iahnius in Edit. Horat. sec. p. 261. Cf. Kirchnerus *des* Q. H. F. *Satiren Krit. berichtet* p. 149.

[4] Plutarchus in Vita Caesaris c. 17.

Priscus proponitur in exemplum hominis varii et inconstantis Libr. II. Sat. 7. v. 8. sqq.:

> saepe notatus
> Cum tribus annellis, modo laeva Priscus inani,
> Vixit inaequalis, clavom ut mutaret in horas:
> Aedibus ex magnis subito se conderet, unde
> Mundior exiret vix libertinus honeste:
> Iam moechus Romae, iam mallet doctus Athenis
> Vivere: Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.

Modo Priscus, eques Romanus, ne in laeva quidem manu, annulum, insigne ordinis equestris [1], gerebat, modo tres annulos, qui numerus eo tempore magnus, postea vero magis magisque auctus fuit [2]. Clavum, domo egressurus, sumeretne latum, ut senator, an angustum, ut eques, dubitare solebat. Quidquid autem agebat Priscus, inepte semper, moleste, ingrate, utpote Vertumnis natus iniquis. Vertumnus enim.

> Mille habet ornatus, mille decenter habet [3].

Irridetur Gargilius, Libr. I. Epist. 6. v. 58. sqq., qui cum venatum exisset, nec quidquam cepisset, emtum aprum retulit.

Theon Libri I. Epist. 18. v. 82., ubi legitur: «Dente Theonino, qui circumroditur,» eo tempore, ut videtur, maledicus notissimus fuit, hodie ignoratur. Annotat de eo Schol. Cruquianus: « *Luthienus Theon, libertinus, dicacitatis amaritudine praeter ceteros ita patronum suum exasperavit, ut domo eius summoveretur*

[1] Cf. supra p. 258. sq.

[2] Seneca Nat. Quaest. Libr. VII. c. 31. § 5., Plinius Nat. Hist. Libr. XXXIII. c. 1. Sect. 4. et 6. sq., Iuvenalis Sat. 1. v. 28., Martialis Libr. V. Epigr. 11. et 61., Libr. XI. Epigr. 59.

[3] Tibullus Libr. IV. Eleg. 2. v. 14.

et quaternario [l. *quadrantario*] *legato iuberetur restim sibi palumque emere.* »

ORBIUS, homo dives, seu fuerit sector bonorum, seu heredipeta, seu foenerator, non sine causa, puto, ita de media turba arripitur Libr. II. Epist. 2. v. 160. sqq.:

> Qui te pascit ager, tuus est, et vilicus Orbi,
> Cum segetes occat tibi mox frumenta daturas,
> Te dominum sentit.

§ 10.

Ex Stoicorum placito: Ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται, non iniuria stultis improbisque mente captos subiungemus. De altero, Menenio, iam vidimus [1], alter, cuius nomen tacet Horatius, memoratur Libr. II. Epist. 2. v. 128. LYCAS vocabatur secundum Schol. Cruquianum. Argis, sedens in vacuo theatro miras fabulas sibi audire videbatur. Idem Aristoteles narrat de quodam Abydeno [2], nec admodum dissimile de Thrasylao, sive Thrasyllo, Athenaeus [3] et Aelianus [4].

§ 11.

Supersunt mulieres infames ab Horatio notatae, Fausta, de qua iam egimus [5]; HYPSAEA, Libr. I. Sat. 2. v. 91., ab oculis vitiosis significata, *Placia* sive *Placea* dicta in scholiis, ubi *Plautia* substitui debet; CATIA, ibid. v. 95., ubi Schol. Cruquianus,

[1] Pag. 155. sq.
[2] De Mirabilibus § 31.
[3] Libr. XII. c. 13. p. 554. E F.
[4] Var. Hist. Libr IV. c. 25.
[5] Pag. 563.

emendatius quam Acron et Porphyrion: «*Haec adeo impudica fuit, ut in aede Veneris Theatinae, ad theatrum Pompeianum, quod in campo fuit, adulterium cum Valerio Siculo* [*colono* [1],] *tribuno plebis, velo obducto, commiserit.*» Metella, de qua supra iam vidimus [2], anus illae libidinosae Epod. VIII. et XII., quibuscum LESBIA, lena Epod. XII. v. 17., et AMYNTAS, vetularum sectator ibid. v. 18., sunt componendi, propter quae Carmina Walckenaerium recte vidisse spero, cum contenderet Epod. librum non ab ipso Horatio sed ab eius amicis, post mortem, editum fuisse [3]; denique Canidiam, Saganam, Veiam et Foliam.

In CANIDIAM saepius et vehementissime, modo data opera, modo velut in transitu invectus est Horatius. Causa non apparet, nisi fuerit anus illa turpissima Epod. XII., uti testantur Acron et Schol. Cruquianus. Inducitur Libr. I. Sat. 8. noctu in Esquiliis artes magicas exercens. Annotant ibi Scholiastae ad vs. 24., eam fuisse unguentariam Neapolitanam, proprio nomine *Gratidiam* dictam, quod quam ridicule in *Canidiam* mutaverit Horatius, egregie observavit Buttmannus [4]. Repetunt eadem Scholiastae ad Epod. III. v. 8., ubi Horatius, cum imprudens moretum gustasset [5], vs. 7. sqq.:

an malas
Canidia tractavit dapes?

Componitur Libr. I. Sat. 8. v. 25. cum SAGANA ma-

[1] *Colono* ortum est ex repetitione praecedentium syllabarum: *colo.*
[2] Pag. 559.
[3] *Histoire d'Horace*, T. I. p. 155.
[4] *Mythologus*, T. I. p. 332. De Gratidia cf. supra p. 392 et p. 513. n. 5.
[5] Vid. supra p. 398.

iore, de qua, quid annotaverit Porphyrion iam supra retulimus [1]. Eadem atque Porphyrion habet Schol. Cruquianus, Acron vero, ad Epod. V. v. 25., minus verisimiliter tradit, Saganam uxorem fuisse cuiusdam senatoris. In Libri II. Sat. 1. v. 48. minitatur:

Canidia Albuci, quibus est inimica, venenum.

Dissentiunt Interpretes fueritne Canidia Albucii filia uxorve, an minitata fuerit venenum Albucii, i. e. eiusmodi, quo usus erat Albucius. Scholiastae interpretantur Albucii venenum, quo, teste Porphyrione, uxorem, teste Acrone, matrem interemit; recte, ut mihi videtur; quamvis Deiphobe Glauci [2] dicitur, quae filia erat, Catonis Marcia [3], quae uxor. Putat Duentzerus [4], Canidiam amicam Albuci fuisse, hnic a capillis albis, ut illi a canis, fictum nomen imposuisse Horatium. In coena Nasidieni, Libr. II. Sat. 8. v. 94. sq., Fundanius nihil gustare vult de cibis appositis:

veluti si
Canidia adflasset, peior serpentibus atris.

Maior res agitur in Epod. V., ubi Canidia inducitur puerum patricium misere interficiens, ut ex eius medulla et iecore philtrum conficeret, quo Varum [5] quendam perduceret ad amorem. Varum Duentzerus diversum non esse statuit ab Albucio, supra memorato, proprio nomine fortasse *Verrucium* dictum, ut

[1] Pag. 2.
[2] Virgilius Aeneid. Libr. VI. v. 36.
[3] Lucanus Phars. Libr. II. v. 344. sq.
[4] *Kritik u. Erklaer. d. Oden d. Horaz*, p. 238.
[5] De quo supra p. 202. sq.

Canidia Gratidia vocata fuit. Adsunt sceleri, praeter Saganam, VEIA, vs. 29. [1], et FOLIA Ariminensis, vs. 41. sq., mulier masculae libidinis. Res autem minus prospere cedit. Varus abit, vs. 71. sq., solutus carmine veneficae scientioris. Traducitur iterum Canidia in Epod. XVII. Iram eius, per iocum deprecatur Horatius, supplex scientiae eius magicae dat manus, agnoscit, vs. 50., PACTUMEIUM [2], quem filium suum praedicabat Canidia, vere natum esse ex ea, quamvis numquam peperisset, id quod puer quoque ille Epod. V. innuerat vs. 5. sq.:

> Per liberos te, si vocata partubus
> Lucina veris adfuit.

Frustra tamen Horatius Canidiam movere conatur. Manet immota, ut saxum, surdum miseris nautis, infinitas illi miserias minans, vs. 63. sqq.:

> Ingrata misero vita ducenda est, in hoc,
> Novis ut usque suppetas laboribus.

---

[1] Ubi legitur: « *Abacta nulla Veia conscientia.* » Legit Cl. Peerlkampius: « *At Acta nulla Veia conscientia,* » ACTAM dici censens Veiam a patria, ut Foliam, vs. 42., Ariminensem.

[2] De scriptura nominis cf. Bentleius et Peerlkampius.

EPILOGUS.

Atque ita longo laboriosoque munere perfuncti sumus. Personas Horatianas, quotquot sunt, patria, aetate, natalibus, conditione moribusve diversas, sub censum vocavimus. Arbitrium Horatii secuti, censoris integerrimi iustissimique, suae quemque classi adscripsimus. Quodsi cuiusvis conditionem minus accurate exposuimus, quodsi indolem non satis perspeximus, quodsi immerito laudavimus vel vituperavimus, seu propter negligentiam, seu propter ignorantiam ita fecimus, aeque dolet, aeque veniam precamur. Est quoque ubi ipsius Horatii mentem non satis capere potuerimus, ubi sententiam, quam dixit, non intellexerimus, rationem iudicii assecuti non fuerimus. Culpa penes Horatium esse nequit. Obscuritatis vitio, veterum testimonio, minime laborabat. Seu igitur nostra culpa fuit, speramus fore, ut ingeniosior solertiorque Interpres exsistat, seu locus, in quo haerebamus, corruptela tenebatur, ut medela, sed efficax, excogitari et adhiberi possit. Iam nobis nihil amplius restat, nisi ut sollenne illud subiiciamus:

EXPLICIT FELICITER.

ADDENDA ET EMENDANDA.

P. 8. l. 12.: contextum Bentleianum. — Apicem tamen omisi, Obbarium secutus, vid. eius Ed. Epist. Hor. Fasc. I. p. 14., Fasc. IV. p. 275.

P. 11. n. 4. add.: Scholiastae omnes tubae inventionem Tyrtaeo tribuunt. Perperam. Pelasgorum Tyrrhenorum inventum fuit, vid. Muller. *Etrusker*, T. II. p. 206. sqq.

P. 15. n. 2.: Cruquius apposite meminit dicti Timonis, longe diversae sententiae, quod servavit Stobaeus [T. X. 54. p. 132. Gesn.] *στοιχεῖα τῶν κακῶν εἶναι ἁπληστίαν καὶ φιλοδοξίαν.*

P. 18. l. 8.: de compositione versuum. — Cf. Quintil. Instit. Orat. Libr. X. c. 1. § 24., Libr. XII. c. 1. § 22., Cicero Orat. c. 29., Plut. in Vita Cic. c. 24.

Ibid n. 1. add.: Ausonius Epist. XVI.

Ibid. n. 3. pro: I. C. Scaliger, leg.: I. I. Scaliger, seu, ut alibi, Ios. Scaliger.

Ibid. n. 4.: Suidas cet., — qui perperam historiam Choerili Iasensis, quam narrat Horatius, ad Samium refert, vid. Naekius Choer. Sam. quae supersunt p. 82. sqq. De Samio cf. Aristot. Top. Libr. VIII. c. 1. et Plut. in Vita Lysandri c. 18. Plutarchi locum Heinsius, de Sat. Hor. Libr. II. p. 269., perperam de Iasensi est interpretatus, vid. Naekius ibid p. 46. sqq. et 92.

P. 19. n. 1. l. 7. pro: adscribuntur a Naekio, leg.: adscribit Naekius. — Add.: Porphyrion annotat: « *Huius omnino septem versus laudantur,* » Schol. Cruq.: « *C., qui gesta Alexandri describens, septem tantum versus laudabiles fecit.* » Delet Naekius l. l. p. 206 sqq. Cruq.: « *qui gesta A. descr.,* » septem vero illos versus putat esse Epitaphium Sardanapali, quod apud Athenaeum, Libr. VIII. c. 3. p 336., septem habet versus. In Anthol. l. l. et apud Strabonem

l. l. sex habet. Quinque apud Diodorum Sic. Libr. II. c. 23. Versum sextum septimumque spurios esse censet Naekius, quartum quintumque, quos Cicero convertit in Latinum sermonem, vetustiori poëtae adscribit.

P. 21. n. 2.: cf. Athenaeus Libr. XII. c. 13. p. 522. C D.

Ibid. n. 4. et pag. 22. l. II. add.: Sect. 4.

Pag. 23. ad finem § 3. add. Porphyrionis scholion ad Libr. II. Epist. 2. v. 101.: « *Mimnermus duos libros luculenter scripsit*, » eiusdemque ad Art. Poët. v. 97.: « *Hoc a Callimacho sustulit.* » Est autem scholion ad Hephaest. Enchirid. c. 6.: « Καλλίμαχος *μοῦσαν τὴν ληκυθίαν τὴν τραγῳδίαν* λέγει. » Id. annotat ad Libr. I. Epist. I. v. 46.: « *Hoc loco Theognidis versus imitatus est, qui ait:* Ἤν (*πενίην*) *δὴ χρὴ φεύγοντα καὶ ἐς μεγακητέα πόντον* Ῥιπτεῖν *καὶ πετρῶν*, Κύρνε, *κατ' ἠλιβάτων.* » Leguntur vss. in Brunck. Poët. Gnom. p. 14. 177. sq., in Imm. Bekkeri Theogn. Edit. p. 9. v. 175., sq., in F. T. Welckeri v. 533. sq. Sed ego potius censeo, Horatium expressisse versum tertium et quartum, post allatos: « Χρὴ *δ' ἄρ' ὁμῶς ἐπὶ γῆν τε καὶ εὐρέα νῶτα θαλάσσης* Δίζεσθαι χαλεπῆς, Κύρνε, λύσιν *πενίης*, » si omnino Theognidis versus cogitavit Horatius.

P. 23. § 4. l. 2. add. Porphyrionis scholion ad Libr. I. Carm. 10.: « *Hymnus in Mercurium ab Alcaeo, Lyrico poëta.* » Vid. eius Hymni fragm. in Bergk. Poët. Lyr. Gr. p. 570. Idem Porphyrion ad Libr. I. Carm. 15.: « *Hac Ode Bacchilidem imitatur, nam ut ille Cassandram facit vaticinari futura belli Troiani, ita hic Proteum.* » Ita quoque Scholiastes ad Statii Theb. Libr. VII. v. 330.: « *Bachilides, — quem imitatus est Horatius in illa Ode, in qua Proteus Troiae futurum narrat excidium*, » uti scholion legitur in Edit. Tiliobrogae a. 1600. In Edit. Rom. a. 1475. et Ven. 1498. admodum vitiose refertur. Cf. Bergkius ibid. p. 828.

P. 25. l. 3.: naevus *in articulo* (*pueri*, uti est apud Cic. de Nat. Deor. Libr. I. c. 28.) Legit Bergkius l. l. p. 585.: « *in Lyco puero.* »

P. 26. l. 6. add.: Strabo Libr. X. p. 457. et XII. p. 549.

Ibid. n. 5. pro: Apoththeg., leg.: Institut.

Ibid. n. 6. pro: Hypothes., leg.: Hypotypos.

P. 35. l. 13.: Ignotum tragicae cet. — Perperam Horatius Susarionis, comoediae inventoris, plaustrum, (de quo Marmor. Par. et Suidas in vocibus ἐξ ἁμάξης et *τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν σκώμματα*,) Thespidi tribuit, (cf. Pollux Libr. IV. 123., qui loquitur de mensa, ἐλεῷ, in qua stabat, ὃς ἀπεκρίνατο, non in plaustro.) Illud:

» peruncti faecibus ora, » potius pertinet ad pompas in honorem Bacchi. Porphyrion ad l. l. de Thespide: «*genere Atheniensis.*» Non erat. Icaria ortus erat testibus Athenaeo Libr. II. c. 3. p. 40. et Suida in voce. De loco Horatii cf. Cl. Welckerus *ueber das Satyrspiel*, (*Nachtrag zu der Schrift ueber die Aesch. Trilogie,*) p. 247.

P. 38.: Post tragoedos mentionem facere potueram PRATINAE, dramatis Satyrici inventoris, (teste Suida in voce. Aeron ad A. P. v. 216.: «*Cratini, — is enim primus Athenis, Satyricam fabulam induxit,*» ubi vero iamdudum *Pratinae* substituit Casaubonus.) In loco Horatii, A. P. v. 220. sqq.: «Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum, Mox etiam agrestis Satyros nudavit, cet.,» Dacerius, Sanadonus, alii Pratinam cogitaverunt. Rectius Porphyrion interpretatur de pluribus poëtis, non de uno inventore: «*Hoc est, Satyrica coeperunt scribere. Ut Pomponius Atlantem*, [l. *Atalanten,*] *vel Sisyphon, vel Ariadnen.*» Erat Pomponius Atellanarum scriptor, (de quo Orellius in Exc. II. ad A. P.,) quas Diomedes quoque, (Libr. III. p. 487. sq. P.) et Marius Victorinus (Libr. II. p. 2527. P.) cum Satyrica Graecorum poësi contulerunt. Vulgarem opinionem sequitur Horatius in origine vocabuli Tragoediae interpretanda. Eadem refertur in Marm. Par. (Comprobat eam inscriptionem Bentleius in Resp. ad C. Boyl. p. 138.) Sed deceptus fuit, qui ita scripsit, uti et Dioscorides in Epigr. (Anthol. Palat. Libr. VII. 410., T. I p. 427. De eo Bentleius l. l. p. 127.) Veram originem vocis legimus in Etymol. Magno in voce: «*τραγῳδία — ὅτι τὰ πολλὰ οἱ χοροὶ ἐκ Σατύρων συνίσταντο, οὓς ἐκάλουν τράγους.*» Vid. Welckerus l. l. p. 240.

P. 40. l. 5.: sequitur apud Schol. Cruq.: «*Hoc etiam epigramma in monumento eius testatur,*» et ita Acron.

P. 55. l. 2. pro: *ἄξιόν*, legendum esse: *δεξιόν*, me monuit Doct. A. Heckerus.

P. 57. n. 3. pro: p. 55., leg.: p. 54.

P. 62. post n. 9. p. 61. add.: Meineckius ad Menandri fragm. p. 80. docet, Horatium non cogitare Chremetem ex Menandri Thesauro, sed ex alia eiusdem fabula, in qua inducitur senex quidam Chremes foenerator, ut testatur Aleiphron Libr. III. Epist. 3. Quid autem iste Aleiphronis Chremes cum Horatiano, praeter nomen, commune habeat, equidem non video.

P. 74. n. 1. pro: aun., leg.: Sat.

P. 76. l. 2.: Orbilius Flaviusque, Horatii praeceptores. — Verba

mihi imprudenti exciderunt. Flavius non fuit Horatii praeceptor, vid. Libr. I. Sat. 6. v. 72.

P. 77. n. 2.: Valerius Max. descripsit locum Cic. de Orat. Libr. II. c. 6.

P. 79. n. 4. add.: Iulius Obs. c. 115. Cf. Ovid. Fast. Libr. VI. v. 663. sqq.

P. 80. l. 14. pro: in lülis, leg.: lülis.

P. 98. n. 3. add.: Sect. 50.

P. 99. n. 3. add.: Sect. 5.

Ibid. ad fin. § 6.: Tangit Horatius Libr. I. Sat. 10. v. 44. alios quosdam, qui Satiram scribere, sed frustra, experti fuerunt. Inter illos numerandi sunt SERVIUS NICANOR et LENAEUS, (Suet. de illustr. Gramm. c. 5. et 15.,) quos affert Casaubonus de Satyr. Gr. poësi et Rom. Satira p. 288. sq. et L. ALBUTIUS, (Varro de Re Rustica Libr. III. c. 2. § 17.,) quem addit Rupertius ad Iuv. T. I. p. LXX.

P. 106. l. 13. add.: Sect. 2.

P. 121. ad finem c. I. add.: CINNAM, (de quo Catullus Carm. XCIV., Virgilius Ecl. IX. v. 35., Ovidius Trist. Libr. II. v. 434., Quintilianus Instit. Orat. Libr. X. c. 4. § 4., Gellius Libr. XIX. c. 9.) cogitant Horatii Scholiastae ad A. P. 388. et ita Philargyrius ad Virgilii l. l., quippe qui *Zmyrnam* poëma, (non *Smyrnam*, vid. Welcbertus de C. Helvio Cinna, in Poët. Lat. Reliq. cf. Sextus Empir. adv. Gramm. p. 638: 19. Ed. Imm. Bekkeri) novem annis scripserit.

P. 126. n. 1. l. 4. pro: Hypoth., leg.: Hypotypos.

P. 128. n. 4. l. 2. add.: T. II. p. 442. Ed. Bosscbae.

P. 130. n. 4. l. 2. post: c. 1., add.: § 19.

P. 133. n. 4. l. 1. post: c. 12., add.: Sect. 30.

P. 136. n. 3. l. 2. pro: III., leg.: II.

P. 137. n. 2. pro: XII., leg.: X.

P. 140. l. 4.: Annotat Schol. Cruq. l. l.: »*Irridet eum, quod de opere pistorio in suo libro scribit de se ipso: Haec primus invenit et cognovit Catius Miltiades.*«

P. 146. l. 2. pro: Melito, leg.: Meleto. Vid. Bentleius Resp. ad Boylium p. 167. sqq., Cl. Cobet. Prosop. Xenoph. p. 64.

P. 157. l. 14. pro: Torrentli, leg.: Lambini.

P. 165. l. 14. sqq.: Weichertus — ad id natus esse videtur, ut, quodcumque sibi sumserit argumentum scribendi, in eo aliis nihil agendum relinquat. — Nondum acceperam nuntium mortis viri

egregii, cum haec scriberem, nec ea post nuntium allatum mutavi.

P. 169. n. 3. i. 9. post: Pomponium l. l., add.: § 40.

P. 173. l. 17. nepos. — Perperam Spohnius in Iahnii Edit. Horat. sec. p. 260.: « filius cet. » Nec satis apparet, unde rescierit, quae sequuntur: « Adoptavit (Pedius) filium alterum Messalinae, qui inde Pedius dictus est. » Spohnium sequi non debuerat Weichertus Lect. Ven. Part. I. Exc. III.

P. 216. l. 20. pro: an recte, leg.: an minus recte.

P. 246. l. 16.: declaraverit. — De eo Appianus de Bello Civili Libr. V. c. 142. cf. Ci. Thurbeckius de C. Asinio Pullione p. 77.

P. 247. l. 9.: Aureliam. — Inter scribendum correxi Dacerium, qui posuerat vitiose Valeriam.

P. 292. n. 4. l. 3. pro: LIII. leg.: LVIII.

P. 298. l. 7. et n. 2. i. 1. pro: Mena, leg.: Menas.

P. 315. n. 1. ante c. 39., leg.: c. 25.

P. 344. l. 18.: (Augustus) cum in Britanniam esset traiecturus, — add : annu 727. v. 728. — Cf. p. 346. l. 14.

P. 348. n. 7. l. 1. post: c. 6., add.: § 1.

P. 349. n. 2. pro: p. 229., leg.: p. 224.

P. 376. n. 2. add. Paeanius in Metaphr. ibid., Orosius Libr. VI. c. 19. Cf. tamen Suidas in voce.

P. 437. l. 9. add.: Annotat Purphyrion de Flaviu: « *videlicet hunc Flavium cratherarum doctorem fuisse,* » quod Burmannus, in Anthol. Lat. T. I. p. 454., ita interpretatus est, quasi Flavius, improbus magister, docuisset iuventutem *crateras* evacuare. Dorvillius, ad Charitou. Libr. VIII. c. 4. p. 683. Edit. 1750., *cathedrarum doctorem* legendum esse coniecit, cf. locum Horatii Libr. I. Sat. 10. v. 91. Est alterum scholion ad l. l. a Burmanno allatum e Cod. Franequeranu: « *Flavus quidam, sive Flavius, fuit temporibus illius calculator vel cauculator, suos corrumpere paedagogos* [l. *paedagogumenos.* Supplet Burmannus: *solitus.*] Porphyrianum scholion e Franequerano ortum esse suspicabatur Burmannus, quod cum legisset auctor Porphyriani, *cauculatorem* perperam a *cauco*, i. e. scyphu, (vid. Trebell. Pollio in Vita Claudii c. 14.,) derivavit, cum deducere debuisset a *cauculo*, quod recentiores pro *calculo* dixerunt, unde quoque *cauculonem* legimus pro *calculone*, i. e. pro calculatore, vid. Salmasius ad Spartiani Vitam Pescennii Nigri c. 10. et ad Vopisci Vitam Aureliani c. 49.

P. 458. n. 6. post: c. 1. add.: § 18

P. 505. l. 18. deleatur: «diversa ab illa, de qua modo vidimus.»

P. 522. l. 3. post: Phyllidem, add.: Libr. II. Carm. 4.

P. 542. l. 25. pro: scriptore, leg.: actore.

Ibid. l. 27. post: c. 3. add.: § 178. sq.

P. 543. n. 6. l. 3. post: c. 1. add.: § 115.

P. 556. l. 21. post: Welchertus, add.: Poët. Lat. Rel. p. 421.

P. 561. n. 2.: De Licino haec tradit Scholiastes ad Iuvenalis Sat. I. v. 106.: «*Pallas et Licinius in aula Claudii Caesaris praepositi, curam Reip. gesserunt, cum libertini essent. Pallas libertus Claudii Caesaris cet. — Licinius ex Germania puer captus, tantae industriae fuit, ut reliquias cibariorum inter conservos foeneraret, et cui quid credidisset, quali quali poterat chirographo, pugillaribus subnotaret: quos cum in expeditione quadam transiturus flumen in vestimentis recondidisset, C. Iulio Caesari quondam ei deneganti in pugillaribus quicquam annotatum, barbarus lugens eos obtulit. Statim ad dispensationem admissus, non multo post manumissus est. Dein curationi Galliarum ab Augusto praepositus eas spoliavit, et cum flagraret invidia, basilicam sub nomine C. Iulii Caesaris aedificavit. Decessit sub Tiberio cet.*» Perperam Scholiastes l. l. et ad Sat. XIV. v. 306. Licinum vocat Claudii libertum. Recensetur Licinus inter libertinos praepotentes a Sidonio Apoll. Libr. V. Epist. 7.

INDEX.

P.

A.

Accius.....60. sq.
Achaemenes.....215. sq.
Acron (Helenius).....2. sqq.
Acronis schollon ad C. II. 13. 24. tractatur, 26.; ad E. I. 19. I., 17.; ad E. II. I. 51., 53.
Acta.....583. n. 1.
Aelius Lamia. 468. sqq. 61. n. 7. 308.
Aemilius (C.), Interpres Horatii. 4. 5.
Aemilius Indus.....530.
Aeschylus.....35. sq.
Aesopus.....545. sq.
Aesopi filius.....559.
Afranius.....61. sq. 308.
Africanus, vid. Scipio.
Agrippa.....407. sqq.
Albinus.....554.
Albius.....558. 478.
Albius Tibullus.....476. sqq. 392.
Albucius.....578.
Albucii (Canidia).....582.
Albutius poëta.....Add. 588.
Alcaeus.....23. sqq. Add. 586.
Alexander Magnus...217. sq. 428.
Alexandria quando capta..370. sq.
Alfenius Varus.....184. sqq.

P.

Alfius.....554.
Alpinus, vid. Furius.
Alyattes.....214.
Amyntas.....581.
Anacreon.....33. sq.
Ancus Martius.....236. sq.
Antimachus.....12. sq.
Antiochus.....218. sq.
Antonius (M.).....301. 271. 317.
Antonius (Iulus).....305. sqq.
Antonius Musa.....210. sq.
Antonius Rufus.....307. sq.
Anus libidinosa (Ep. VIII.,) 522., — (Ep. XII.,) 512. 521. 522.
Anytus.....145. sq.
Apella.....223.
Apelles.....428. 218.
Appiani locus B. C. IV. 51. tractatur, 303. n. 4.; ibid. V. 60., 327. n. 1.
Appius Claudius Caecus.....424.
Appius Claudius Pulcher..240. sq.
Arbuscula.....537. sq.
Archelaüs.....222.
Archias.....529.
Archilochus...19. sq. 26. Add. 586.
Archytas.....136. sq.
Arellius.....438.

P.

Aristarchus .....200. sq.
Aristippus .....151. sqq.
Aristius Fuscus.....461. sq.
Aristonicus.....219. sq.
Aristophanes.....39. 72. sq. 150.
Arrius.....552.
Asellus (Tl. Claudius).80. Add. 588.
Asterie.....505. 518. 522. 523.
Atta.....68. sq.
Attalus.....219. sq.
Aufidius .....568.
Aufidius Luscus.....557.
Avidienus Canis.....550.

B.

Bacchius.....533.
Bacchylides.....Add. 586.
Balbinus.....574.
Barine..514. 518. 519. 520. 521. 523.
Barrus.....576.
Barus.....559.
Bassus.....481. sq.
Bathyllus.....34.
Bavius .....101. sq.
Bestius .....556.
Bibulus cs. 695.....278.
Bibulus.....463. sq.
Bion.....150. sq.
Birrius .....571.
Bithus.....533.
Bolanus .....442. sq.
Brutus.....279. sqq.
Bullatius.....500. sq.
Bupalus,....20. sq. 31. Add. 586.
Butra.....508.

C.

Cadmus.....571.
Caecilius.....61. sqq.

P.

Caelius.....571.
Caesar (C. I.).....272. sqq. 248.
Caesar Augustus.....330. sqq.
Calais.....511. 517. sq.
Callimachus.....22. sq. Add. 586.
Calvus .....543. 98.
Camillus.....245.
Canidia.....581. sqq. 513.
Caprius.....571.
Cascellius (Aulus)....183. sq. 290.
Cassius Etruscus...115. sqq. 97. n. 2.
Cassius Parmensis..115. sqq. 97. n. 2.
Cassius Severus.....179. sqq.
Castor.....535.
Catia.....580. sq.
Catienus.....544.
Catius.....139. sqq. Add. 588.
Cato Censorius..166. sq. 254. sqq.
Cato Uticensis..254. sqq. 243. sqq.
Catullus.....543. 98. 114.
Catulus poëta.....571. sq.
Celsus Albinovanus.....491. sq.
Censorinus.....420.
Cerinthus.....566.
Cervius.....572.
Cervius (S. 2. 6. 77.,).....438.
Cethegus.....165. sq.
Chia.....513. 518. 520.
Chloë.505. 511. 519. sqq. Add. 590.
Chloris..504. 513. 516. 518. 522. sq.
Choerilus.....18. sq. Add. 585.
Chremes.....61. n. 9. Add. 587.
Chrysippus.....154. sqq. 147. sq.
Cicuta, vid. Perilllus.
Cinara.....511. 517. 518. 519. 520. 521. 523.
Cinna.....Add. 588.
Claudius Nero.....226. sq.
Cleopatra.220. sqq. 314. sq. 559. n. 2.

P.

Coccaius.....325. sqq.
Codrus.....213. sq.
Codrus poëta.....198. sq.
Commentator Cruquianus.....3.
Comm. Cruquiani schollon ad S.I.10. 29. tractatur, 172; ad S.I.2.95., 581.
Coranus.....554. sq.
Cordus.....198. sqq.
Cotison.....228. sq.
Crantor.....147. sqq.
Crassi (Licinii)..168. sq. Add. 589.
Crassus.....267. sqq.
Craterus .....211. sq.
Cratinus.16.sq.39.sq.72.sq. Add.587.
Crispinus.....159. sq.
Croesus.....214.
Cupiennius.....565.
Curius.....245.
Curtillus.....568.
Cyclicus scriptor (A. P. 136.) 11. sqq.
Cyrus.....215.
Cyrus (C. I. 17. at 33.)...504. 517.
Cytheris.....313. 537.

D.

Damalis.....480. sq. 517.
Damasippus.....161. sqq.
Damocles.....216. sq.
Davus.....441.
Delia.....392. 478.
Dellius.....314. sqq. 327.
Demetrius....542. 442. Add. 589.
Demetrius (E. I. 7. 52.,).....170.
Democritus.....138. sq.
Diogenes.....153. sq.
Dolichos.....535.
Domitius Marsus.....121.
Dossennus.....67. sq.
Drusus.....364. sqq.

P.

E.

Egeria.....236.
Empedocles.....134. sqq.
Enipeus.....505.
Ennius.....47. sqq. Add. 587.
Epicharmus.....64.
Epicurus.....125. sq. 139.
Eupolis.....39. 72. sq.
Euripides.....37. sq. 60.
Eutrapelus, vid. Volumnius.
Evander.....419. sqq. 1. sq.

F.

Fabius.....157. sqq.
Fabius (S. I. 1. 64. sq., secundum Schol. Cruq.,).....15.
Fabricius.....245.
Fabricius pons.....425.
Fadius Gallus (Q.)....158. sq. 162.
Fannius.....105. sqq.
Fausta.....563. 564. n. 2.
Favonius.....569.
Flavius.....435. Add. 589.
Flori locus Libr. IV. c. 12. § 51. tractatur.....411. n. 1.
Florus, vid. Iulius.
Folia.....583.
Fonteius Capito.....309. sq.
Fufidius.....548.
Fufius.....543. 15.
Fulvius.....532.
Fundanius.....467.
Furius (Alpinus)..108. sqq. 98. 186.
Furnius.....465. sq. 411.
Fuscus, vid. Aristius.

G.

Gabinius.....503. 520.

P.

Galatea.....513. 522. 524.
Galba (S. I. 2. 46.,).....189. sqq.
Galbae (Sulpicii).....190.
Gallina.....534.
Gallonius.....567.
Gargilius.....579.
Gargonius.....574.
Gellius Poplicola...174. sqq., 316.
Gellii tractatur locus L. XX. c. I. 187.
Glycera..478. 515. sqq. 519. sqq. 523.
Glyco.....531.
Gracchus.....167. sqq.
Gratidia, (vid. Canidia,).....578.
Grosphus, vid. Pompelus.
Gyges.....504. sq. 522.

H.

Hagna.....574.
Hannibal.....226. sqq.
Hasdrubal.....226. sq.
Hebrus.....505. 517.
Heliodorus.....195.
Hellas.....155.
Hermogenes, vid. Tigellius.
Herodes.....222. sq.
Hipponax.....20. sqq. Add. 586.
Homerus..9. sqq. 51. sqq. Add. 585.
Horatius..123. sqq., 279. sqq. 358. sqq. 396. sqq. 432. sqq. 509. sqq.
Horatii pater.....432. sqq.
Horatii locus C. I. 2. tractatur, 274. sqq. 281.; C. I. 12. 33. sqq., 241. sqq.; C. I. 14., 287.; C. I. 15., 304.; C. II. 18. 5. sq., 220. C. II. 20., 404. n. 3., C. II. 20. 6., 405. n. 1.; C. III. 1. 17. sqq., 216. sq.; C. III. 5. 8., 267.; C. III. 6. 9. sqq., 268. sqq.; C. III. 29. 6., 387.; C. IV. 4. 17., 366. n. 2.; C. IV. 8. 17., 252. n. 1.; Epod. IX. 19. sq., 302.; S. I. 1. 4. sqq., 96. n. 1.; S. I. 1. 64. sqq., 15.; S. I. 9. 3., 442. sq.; S. I. 10. 47., Add. 588.; S. II. 2. 50., 567.; S. II, 3. 188., 407.; E. I. 1. 23. sqq., 41. sq.; E. I. 1. 56., 436. sq.; E. I. 1. 57., 258.; E. I. 6. 40., 222.; E. I. 6. 75. sq., 436.; E. I. 12. 21., 132. sq.; E. I. 13. 17., 537.; E. II. 2. 128. sqq., 580.; A. P. 32., 530.; A. P. 63. sqq., 361. sq., 409. sqq.; A. P. 388., Add. 588.
Horatii Carmen I. 2., quando scriptum, 276. sq., 341; C. I. 7., 318.; C. I. 12., 350. sq.; C. I. 20., 383.; C. I. 21., 341. sq.; C. I. 26., 225.; C. I. 31., 343.; C. I. 35., 343. sq.; C. I. 37., 303. sq., 335.; C. II. 7., 281.; C. II. 9., 349.; C. II. 11., 412. sqq.; C. II. 13., 382. sq.; C. II. 17., 381. sqq.; C. III. 3., 345.; C. III. 5., 346., Add. 589.; C. III. 8., 224. sq. 349. 378. sqq. 382. sq. 412. sqq.; C. III. 14., 266. 350. 411.; C. III. 25., 340.; C. III. 29., 224. sq. 378. sqq.; C. IV. 2., 354. sq.; C. IV. 4., 355. 368.; C. IV. 5., 356. sq.; C. IV. 14., 355.; C. IV. 15., 357. sq.; C. S., 353.; Epod. IX., 303. 334.; S. I. 3., 184.; S. I. 4., 105. sq.; S. I. 5., 327. sqq.; S. I. 7., 282.; S. I. 9., 541.; S. I. 10., 97. n. 2.; S. II. 1., 183. 337.; S. II. 5., 336.; S. II. 6., 124. n. 2., 303. n. 2.; E. I. 12., 410. n. 4.; E. I. 20., 262.; A. P., 206. 292.
Hostius.....40.

P.

Hypsaea.....580.

I.

Iarbita.....197. sqq.
Ibycus.....504.
Iccius.....471. sqq.
Ilia.....230. sqq.
Inachia..512. 518. sq. 520. 521. 522.
Iuba.....228.
Iugurtha.....227. sq.
Iulius.....566.
Iulius Florus.....486. sqq.
Iulius Modestus, Interpres Horatii.....4. sq.

L.

Labeo.....187. sqq.
Laberius.....97. sq.
Labienus.....189.
Laelius.....254. 77. sq.
Laevinus, (Valerius) vid. Valerius.
Laevius.....45. sq.
Lalage ...504. 512. 517. 519. 520. 521. 523.
Lenaeus.....Add. 588.
Lentulus (Cn.) augur.....15. n. 2.
Lepidus.....262.
Lepos.....535. 537.
Lesbia.....581.
Leuconoë.....522. 518. 523.
Lex Calpurnia.....74. sq.
Lex Iulia.....352. 515.
Lex Licinia..... ..73. sq.
Lex Plaetoria.....548.
Lex Roscia.....257. sqq.
Libo.....424. sq.
Licinius Murena.....418. sq.
Licinus....561. sq. 290. Add. 590.
Licymnia.....394. sqq. 513. 521.

P.

Ligurinus..515. 517. 519. 520. 522.
Livia.....362. sq.
Livius Andronicus.....45. sq.
Lollius.....498. sqq.
Lollius cs. 733.....420. sq.
Longarenus.....563.
Lucilius...71. sqq., 1. 150. 194. sq.
Lucullus.....263. sqq.
Lupus.....79. sq. Add. 588.
Lycambes.....20.
Lycas.....580.
Lyce.....512. sq. 518. 519. 520. 521. 523.
Lycidas.....289. 522.
Lyciscus...512. 517. 519. 521. 522.
Lycoris.....504. 522. 523.
Lycus.....507.
Lycus (Alcaei,).....25. Add. 586.
Lyde.....514. 516. 518. 519. 520. 521. 523.
Lydia.....511. 516. 517. 519. 520. 521. 523.
Lysippus.....428.

M.

Maecenas...372. sqq. 194. sq. 288.
Maecius Tarpa.....205. sqq.
Maenia columna...555. sq. 1. sq.
Maeniana.....555. sq.
Maenius....555. sq. 1. sq. 549. sq.
Maevius.....101. sqq. 14.
Malchinus.....388. sqq.
Mallius Verna.....557.
Mamurra.....279.
Manlius Torquatus (L.)....495. sq.
Manlius Torquatus (L.) cs. 689..262.
Marcellus.....247. sq.
Marcellus (Octaviae filius,).247. sq. 211. 363. sq.

P.

Marius (C.).....155.
Marius.....227. sq.
Marsaeus.....538.
Marsyas.....549.
Matius.....141. sq.
Megilla.....502. sq. 517.
Melitus (l. Melatus)..146. Add. 588.
Menander.....61. sq.
Menas.....298. sqq. 259.
Menedemus.....61. n. 9.
Menenius.....153. 580.
Messalla....171. sqq. 290. 330. sq.
Messius Cicirrus.....535.
Metella.....559.
Metellus (C. II. 1. 1.,).....265.
Metellus (S. II. 1. 67.,)....78. sqq.
Milo.....563.
Milonius.....570.
Mimnermus.....22. sq. Add. 586.
Minucius.....424.
Moschus.....195. sq.
Moneses.....269. sqq.
Mucius Scaevola.....167. sqq.
Mulvius.....441.
Munatius.....490.
Murena, vid. Licinius.
Myrtale...512. 519. 520. 521. 522.
Mystes.....459. 517.

N.

Naevius.....578.
Naevius poëta.....46. sq. 81.
Nasica.....554. sq.
Nasidienus Rufus.....560.
Nasidius (Q.).....560.
Natta.....550.
Neaera.....514. 519. 521. 523.
Neaera (Tibulli,).....478. sq. 520.
Nearchus.....508.

P.

Nemesis.....477. sqq.
Neobule.....505. 518. 522. 523.
Neobule (Archilochi,).....20.
Nerius.....550. sq.
Nerones, vid. Drusus et Tiberius.
Nomentanus.....557. sq. 555. sq.
Nothus.....504.
Novius.....549.
Numa Pompilius.....234. sqq.
Numicius.....500.
Numida.....479. sqq.

O.

Octavia.....363. sq.
Octavius.....460. sq.
Ofella.....527.
Opimius.....553.
Oppidius, (Servius, Aulus et Tiberius).....528.
Orbilius.....437. 114.
Orbius.....580.
Origo.....537. sq. 15.
Ornytus.....518. 517.
Otho, vid. Roscius.
Ovidius.....121.

P.

Pacorus.....269. sqq.
Pactumeius.....583.
Pacuvius.....60.
Panaetius.....157.
Pantilius.....578.
Pantolabus.....557.
Parrhasius.....426. sq.
Paulli.....179.
Paullus (Aemilius).....245.
Paullus Maximus.....421. sqq.
Pausias.....427. sq.
Pedistia.....566.

P.

Pedius.....173. sq. Add. 589.
Perillius Cicuta.....551. sq.
Persii locus S. I. 115. tractatur, 80. Add. 588.; S. I. 123. sq., 72. sq.; S. VI. 10. sq., 56. sqq.
Perslus.....286. sq.
Petillius Capitoliuus.....175.
Pettius.....468.
Phalsnthus.....214.
Phidyle.....522. 524.
Philippus.....217.
Philippus (L. Martius)....169. sqq.
Philodemus.....143. sqq.
Pholoë.....504. 514. 516. 518. 522. 523.
Phraätes.....223. sqq.
Phryne.....514. 520. 521. 522.
Phyllis.....503. 514. 518. 519. 520. 521. 522. 523. Add. 590.
Piëria.....512. 518.
Pindarus.....34.
Pisones.....289. sqq.
Pitholeon.....107. sq. 98.
Placideianus.....532.
Plancus.....316. sqq.
Plato.....146. sq.
Plautus.....63. sqq.
Plinii locus Nat. Hist. Libr. XIX. c. 8. Sect. 38. tractatur, 211. u. 2.; Libr. XXXV. c. 2. Sect. 2., 106. sq.
Plotius.....447. sq.
Polemon.....147.
Pollio.....319. sqq. 196. sq.
Pompeius (S.)...296. sqq. 287. sq.
Pompeius Grosphus.....473. sq.
Pompelus Varus.....474. sq.
Pompouius.....558.
Pomponius poëta...308. Add. 587.
Pomponius (senator quidam,)....2.

P.

Popiicola, vid. Geliius et Messalla.
Porcius.....558.
Porphyriou.....3. sqq.
Porphyrionis scholion ad C. II. 13. 24. tractatur, 26.; ad E. I. 5. 9., 273. n. 1.; ad E. II. 2. 26., 263.
Porsena.....226.
Postumus.....494. sq.
Pratinas.....Add. 587.
Priscus.....579.
Proculeius.....417. sq.
Pupius.....70.
Pyrrha....512. 518. 520. 521. 523.
Pyrrhus.....218. sq.
Pyrrhus (C. III. 20. 2.,)...507. sq.
Pythagoras.....130. sqq. 51. sqq.

Q.

Quintilius.....201. sqq.
Quintius.....493. sq.
Quiutius Hirpinus.....492. sq.
Quirinus, vid. Romulus.

R.

Regulus.....249. sqq., 245.
Remus.....232.
Rhode....507. 511. u. 8. 518. 522.
Romulus.....230. sqq.
Roscius.....545. sq.
Roscius Otho (L.).....257. sqq.
Roscius (S. II. 6. 35.,).....443.
Rufillus.....574.
Rupilius Rex.....283. sqq.
Ruso.....548. sq.
Rutuba.....532.

S.

Sabinus.....508.
Saevius Nicanor.....Add. 588.

P.

Sagana.....581. sq. 2.
Sallustius.....564. 558.
Sallustius (S. I. 2. 48.,).327. 564. sq.
Salvidienus Rufus (Q.).....560.
Sappho.....23. sq.
Sarmentus.....568. sqq.
Scaeva.....572.
Scaeva (E. I. 17. I.,).....502.
Scaevola, vid. Mucius.
Scauri.....246. sq. Add. 589.
Scetanius.....565.
Scholiastes Cruquianus, vid. Commentator Cruq.
Scipio Africanus major...252. sq. 77. sq.
Scipio Africanus minor...253. sq. 77. sq.
Scopas.....426. sq.
Septicius.....508.
Septimius.....483. sq.
Servilius Balatro.....571.
Servius.....464. sq.
Servius Pola.....572.
Servius Tullius.....239. sq.
Sestius.....288.
Sicnli tyranni (E. I. 2. 57.sqq.,) 216.
Simonides.....23.
Sisenna.....576.
Sisyphus.....304.
Socrates.....145. sq.
Sophocles.....35. sqq., 60.
Sosii.....529.
Spartacus.....266. sq.
Staberius.....552.
Stertinius.....161.
Stesichorus..30. sqq. 21. sq. 52. n. 1.
Sulcius.....571.
Sulla.....563.
Sulpicia horrea.....455. sq.

P.

Surenas.....269. sqq.
Sybaris.....511. 518.
Syrus.....534.

T.

Tanais.....573. sq.
Tarpa, vid. Maecius.
Tarquinius Priscus.....241. sqq.
Tarquinius Superbus....241. sqq.
Taurus.....416. sq.
Telephus. 506. sq. 511. 517. 518. 519.
Terentia.....394. sqq., 523. 524.
Terentius.....61. sqq.
Terentius Scaurus, Interpres Horatii.....4. sq.
Thaliarchus.....502. 517.
Theognis.....Add. 586.
Theon.....579.
Thespis.....35. sqq. Add. 586.
Tiberius.....364. sqq.
Tibullus, vid. Albius.
Tigellius.....538. sqq.
Tigellius Hermogenes....540. sqq.
Tillius.....577.
Timagenes.....196. sqq.
Timon.....15. n. 2. Add. 585.
Tiridates.....223. sqq.
Titinius.....486. 63.
Titius.....484. sqq.
Torquatus.....495. sqq.
Torquatus, vid. Manlius.
Trausius.....559.
Trebatius....181. sqq. 76. sq. 394.
Trebonius.....563.
Tullius.....577.
Tullius Hostilius.....237. sqq.
Tullus (C. III. 8. 12.,).....261.
Turbo.....533.
Turius.....572. sq.

P.

Tyndaridarum (fortissima).547. sq.
Tyndaris.....513. 518. 520. 521. 522. 523.
Tyrtaeus.....11. Add. 585.

U.

Vala.....501. sq.
Valerius Cato.....193. sqq.
Valerius Laevinus.....177. sq.
Valerius Poplicola.....241.
Valgius.....457. sqq.
Varius (L.)....448. sqq. 117. 415.
Varro Atacinus.....96. sqq. 562.
Varus (P. Attius).....285.
Varus (Q. Attius).....118. 204. sq.
Varus (Lucius).....204. sq.
Varus (C. I. 18. 1.,).....202. sqq.
Varus (Epod. V. 73.,)..202. sq. 582.
Vedius Rufus.....300. 259.
Veia.....583.

P.

Veianius.....534. sq.
Vibidius.....571.
Villicus Horatii.....439. sqq.
Villius.....563.
Vinius.....438. sq.
Virgilius.....448. sqq.
Virgilius (C. IV. 12. 13.,)..455. sq.
Viscus.....462. sq.
Visellii socer.....573. sq.
Umbrenus.....527.
Ummidius.....547. sq.
Volanerius.....570. sq.
Volteius Menas.....170. sq.
Volumnius Eutrapelus...310. sqq.
Voranus.....571. sq.

X.

Xanthias.....503. 514. 517.
Xenocrates.....147.

A01 1467298

A01 1h6 72 98



DISCORSO-GIURAMENTO
LEGATO
NAPOLI
Digitized by Google